


No. A

21-315



71-2

2 a 2

31



A
21-315

| | |
|---------------------|-----|
| Biblioteca Nacional | |
| de Chile | |
| Clase | A |
| Sección | 21 |
| Número | 315 |



El P. Josef de Reina de la
Comp. de S. Luis conp. este
libro. ~~En el año de 1711~~
~~En el año de 1711~~

Pertenecce al Coll. de Granada.

No tiene q. copiar.

2228877

COMMENTARIUM *N. 9815*
IN ECCLESIA-

STEN SALOMO-

De la font de NIS, He de la source.

Cum annotationibus ex Hebræo
& æditione Græca in sin-
gula capita,

Per Fratrem FRANCISCVM TI-
TELMANNVM HASSEL-
LENSEM, ordinis fra-
trum Minorum.

IN VIRTUTE,



ET FORTUNA.

LVGDVNI,

Apud Gulielmum Rouillium,
sub scuto Veneto.

1555.

Handwritten signature and scribbles at the bottom of the page.



213
18-12-12

THEMA LI.

B R I.


*Vanitas uanitatum, dixit Ecclesiastes,
uanitas uanitatum, & omnia uanitas.*

CONCLUSIO

L I B R I.

*Deum time, & mandata eius obserua.
hoc est enim omnis homo. Et cuncta que
fiunt adducet Deus in iudicium, pro o=
mni errato, siue bonum siue malum sit.*

L A V D



LAUDES DEI

PRO SUA MAGNIFICENTIA ET GLORIA,

quas uir Dei Franciscus ex sacris literis
congessas, in seruuore spiritus ipsi sæpius

per diem atque per noctem reci-

tare solebat, easdemque fra-

tres suos frequenta-

re docebat.

*



ANCTVS, sanctus, sanctus, *Esaie 6.*
Dominus Deus omnipotēs, *Apo. 4.*
qui erat, qui est, & qui ventu-
rus est. Laudemus & super-
exaltemus eum in secula.

Dignus es Domine Deus noster accipe *Apo. 4.*
re gloriam & honorem & virtutem, & be-
nedictionem. Et laudemus & superexalte-
mus eum, &c.

Dignus est agnus qui occisus est, acci- *Apo. 5.*
pere virtutem & diuinitatem, & sapien- *Danie. 7.*
tiam, & fortitudinem, & honorem & glo-
riam, & benedictionem. Et laudemus, &

superexaltemus eum in secula.

Benedicamus patrē & filium, cum sancto spiritu. Et laudemus & superexaltemus eum in secula.

Apo. 19. Laudem dicite Deo nostro omnes serui eius, & qui timetis Deū, pusilli & magni. Et laudate & superexaltate eum, &c.

Danie. 3. Laudent illum gloriosum cæli & terra. Et laudent, & superexaltent eum in secula.

Apo. 5. Et omnis creatura quæ in cælo est, & super terram, & subter terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Et laudent & superexaltent eum in secula.

Gloria patri & filio, & spiritui sancto. Et laudent & superexaltēt eum in secula.

Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula seculorum, Amen. Et laudent & superexaltent eum in secula. Amē.

O R A T I O.

OMnipotens, sanctissime, altissime Deus, summum bonum & totum bonum, qui solus es bonus, tibi reddamus omnem laudem, omnem gloriam, omnē gratiam, omnem honorem, omnem benedictionem, & omnia bona tibi referamus semper: qui viuis & regnas in secula seculorum, Amen.

R E V E R



REVERENDIS-
SIMO IN CHRISTO

PATRI AC DOMINO D. FRAN-
cisco Quignonio, tituli sanctæ crucis in
Hierusalē presbytero Cardinali, totiûs-
que ordinis Fratrum Minorum guberna-
tori, protectori, & correctori vigilantis-
simo, Frater Franciscus Titelmānus, Has-
sellensis, eiusdem ordinis indignus
professor, post deuota pedum
oscula, vilis mancipij
humilia offert
obsequia.

*



COMMENTARIOS no-
stros in Ecclesiasten Salo-
monis, post publicam coram
auditoribus nostris prele-
ctionem, ante annos fermè
quatuor, elaboratos, atque
(vt dici solet) ad umbilicum
vsque perductos, cum post diligens eruditorum
virorum examen, amicorum precibus diu soli-

UNIVERSITATIS
DE
GIESSEN

citatus ac tandem deuictus, de tenebris in lucem
 prodire consensissem, iamque ex vetustissima li-
 bros scribentium consuetudine ipsis quoque Ec-
 clesie doctoribus precipuis, ante multa secula,
 obseruata, de patrono mecum agerem, cuius po-
 tissimum nomini essent nuncupandi ac patroci-
 nio committendi, vnus tu mihi prae omnibus,
 Reuerendissime pater, multis rationibus visus
 es dignissimus, cuius potissimum nomini labor
 hic nostrer esset nuncupandus, imò cuius nomen
 huic nostro operi, quasi validum munimentum
 & securum aduersus obtrectatores praesidium,
 congruentissimè implorandum foret atque prae-
 notandum: videlicet vt tam venerandi nominis
 tutelari signo frontem ipsam prodeuntis noui
 factus consignatam & illustratam cernentes
 aduersarij (si qui fortè exurgāt) conspecti signi
 fulgore prima statim facie deterriti, maledictis
 & calumniis abstineant. Verum quo minus id
 auderem, nempe opus istud tuo nomini dedica-
 re, duae quaedam res videbantur secundum ap-
 parentiam nonnihil obsistere. Primum qui-
 dem, nimia locorum distantia qua abinuicem
 patronus & clientulus videbamus disiuncti.
 Deinde, ipsa nuncupandi operis paruitas &
 insufficientia multiplex, quae tanti nominis splē-
 dorem sibi iure arrogare non debuerat, sed mi-
 nori aliquo patrono, exiguitatis suae sibi conscia,
 permanere contenta. Et prior quidem res illa,
 ostenta

ostentationem quandam & inanis gloriolæ auram præ se ferre: posterior audaciam & præsumptionem ostentare, secundum faciem (vt solent homines) iudicanti, videri poterit. Quid enim tibi, inquiet aduersarius, cum his qui tam longo à te interuallo disiuncti sunt, quasi propè non habeas quorum tituli prenotandis & consignandis tuis libris sufficiant, vt ex tam longinquo debeant aduocari tituli peregrini? Et quorsum opellam tam exiguam, opusculum tam humile & magnis viris indignum, tantæ maiestatis inscribis nominibus? Cur non potius te tuo (quod dici solet) metiens pede, tecumque perpendens quàm sit tibi domi curta supellex, tecum habitare didicisti: aut certè humilioribus te subiiciens, ad tantæ dignitatis fastigia non præsumpsisses tam indignus, cum sordidis tuis munusculis, conscendere? Ista quidem, sat credo, nonnulli obiicient, & forsitan his acerbiora adicient. Ego verò aduersus vtramque hanc obiectionem iustam mihi, dictante conscientia, habere videor & sufficientem responsionem, vt nihil illa debuerint obistere quæ obiecta sunt, quo minus tua nomini nostra hæc opella veniret dedicanda. Quod enim priori loco de locorum distantia obieebatur impedimentum, apparentiæ quidem nonnihil, sed causæ rationabilis & veræ sufficientiæ nihil in se continet. Si quidem longè præstantior & spe-

Etabilior est, virtutis quàm loci presentia: longèque magis honorari & literariis monumentis celebrari illorum digna est memoria, qui per heroicarum virtutum studia orbi toti prodesse, sicq; spiritu omnibus ubique presentes per charitatis vim exhibere se student, quàm ij quos corporali nobis presentia tantum vicinos habemus, virtutum autem studia vel nulla vel per exigua in eis cernimus, neque profectum vllum ex corporali eorum presentia accipimus. Quid anim? An ideo solis gloriosissimam, potentiam atque virtutem non admirabimur, non etiam predicabimus, atque canticis exultationis in Deo conditore eius collaudabimus, quia secundum localem distantiam longissimo interuallo & supra quàm humanum credat ingenium altissimo interstitio à nobis eleuatus & super-eleuatus est? Imò hoc ipso magis admirandus ille venit & celebrandus laudibus, quòd tanta à nobis locorum intercapedine distans, tam nihilominus efficaciter sue virtutis, & circa nos & in nobis, operationem viuendam exerceat. Ad hunc sanè modum, absurdum videri non debet nec à ratione alienum reputari, si tue reuerendissime dominationis presentiam, humiles fratres Minores quamlibet secundum corporis presentiam locorum interiectis spatiis ab ea disiuncti, pro sua virili, colere, reuerari, admirari predicare & celebrare

contendant, cuius & olim ante annos multos potentem in opere & sermone virtutem certissima probatione didicerunt, atque etiamnum vigilantem in promouendis iis quæ sunt virtutis & disciplinae sollicitudinem quotidianis experimentis probant. Neque enim à memoria nobis excidit, quantam olim curam & sollicitudinem pro nobis gesseris, quantosque olim labores pro nobis susceperis atque pertuleris, cum ante annos plus minus duodecim, in generalis visitationis atque ministerij officio amplissima nostra diui Francisci familiae deseruiens, ad exemplum CHRISTI pastoris boni & ministri solliciti, orbem peragrare, prouinciâsque diuersas & regiones peregrinas visitando perlustrare, vt creditum tibi ministerium fideliter adimpleres: factis non minus quàm dictis, operibus & exemplis non minus quàm verbis &c. sermonibus subditos erudiens, & manu potius demonstrans quàm lingua predicans, quemadmodum vocatione sua dignè viuerent, promissamque Euangelicæ vitæ formam in paupertate & humilitate obseruarent: quorum quidem seminum fructus, in non paucorum fratrum cordibus in hodiernum vsque diem permanent. Vbi, quia coram Deo fidelis, & hominibus probatus inuentus es in modico, supra multa non multo post sa-

pientissimus ille & equissimus humanarum re-
 rum moderator te constituit, talentis talenta,
 & (vt proportio sit lucri ad auclam substan-
 tiam) opus operi accumulans. Sic enim in noua
 & maioris negociationis opus siue officium te
 instituit suae semper familiae sollicitam curam
 gerens piissimus Dominus, vt tamen ab anti-
 qua negociationis officio & minoris occupatio-
 nis negocio non destituerit: sicq; nonorum tibi
 meritorum cumulandorum occasionem attulit,
 vt veteris interim lucri nihil abstulerit. Quic-
 quid enim olim in minori & humiliori consti-
 tutus officio, Minorum fratrum humili familiae
 fideliter ministrando praestare consueuisti, id
 omne non minus nunc quoque, ad altioris digni-
 tatis non sine diuino nutu euectus fastigia, si-
 enul cum vniuersalis regiminis cura, & potes
 & praestas. Imò verò maiori nunc quam olim
 auctoritate, quae nostri sunt profectus ordinas,
 disponis, atque praecipis: quando tibi ex Apo-
 stolica auctoritate commissa est potestas & cu-
 ra specialis, gubernandi, protegendi, atque
 etiam corrigendi, super totam & vniuersam
 nostram familiam: ipsaque tota vicissim tibi
 ex sua regula praescripto, filiali est subiectione
 subdita, tanquam vero suo & legitimo guber-
 natori, protectori, & correctori. Quam qui-
 dem potestatem, cum prudenter animaduertat
 sanctitas

*sanctitas tua, in edificationem sibi (iuxta
 Apostolicum verbum) & non in destructio- 2.CO.10.
 nem concessam & traditam, percipiens operi
 tibi credito fideliter satisfacere, & fidem tuam
 (cui ex Apostolico mandato preciosi thesauri
 commissa est custodia) liberare, post susceptum
 vnus huius officij, magna sollicitudine illa assi-
 duè pensare & agere nunquam desinis, quæ
 pro communi totius ordinis bono & virtutum
 in eo profectu opportuna videantur: qua qui-
 dem in re, prudentis & fidelis gubernatoris, re-
 ctè præstas officium. Aduersus illos quoque
 qui commissum tibi (pusillum ordine, licet ma-
 gnum numero) gregem, opprimere quarunt
 vel hostilibus morsibus impetere, quales ab ini-
 tio semper plurimos habuit Euangelica nostra
 religio, dexteram potentia tuæ valenter exten-
 dis, ne pro voto suo pauperculus oniculis crude-
 les aduersarij valeant nocere: in quo, strenui
 protectoris munus adimpleas. Nec minus vigi-
 lantem te præbes ac sollicitum, ea quæ per car-
 nales vel animales homines (qui semper ab
 initio spiritualibus fuere commixti, veluti gra-
 no palea, tritico & xania) in hac nostra Deo
 prædilecta religione paulatim à primæ perfe-
 ctionis nitore degenerant, ad originaria recti-
 tudinis normam reducere, quæq; extra ordi-
 nem perfectæ regularis obseruantia hac illac-
 que*

que declinare iam cœperant, debita correctionis censura adhibita, in ordinem redigere: in quo iusti correctoris titulo egregiè respondes & fungeris officio. Quæ sanè tria commissa tibi auctoritatis officia, quanta solitudine & vigilantia exercere non desinas, in generali capitulo totius nostri ordinis nouissimo, Niceæ anno proximè elapso celebrato, patribus omnibus illic in nomine Domini, ad consultandum de puriori Euangelicæ vitæ obseruatione, congregatis, apertissimè patefactum est, & luce clarius demonstratum: vbi ex tue prudentiæ consilio non pauca ad puriorem regulæ Euangelicæ obseruationem vehementer conducentia, fuere proposita, tractata atque conclusa: quando & palam omnibus Reuerendissimus pater frater Vincentius Lunellus, totius ordinis imbi electus generalis minister, ex longa tecum familiaritate pectoris tui optimè conscius, Reuerendus quoque pater frater Leonardus Publicius, vltra montanarum partium generalis commissarius, aliique nonnulli ex probioribus vltromontanarum partium patribus (qui eo anno, ob emergentia diuersorum casuum perplexa negocia, familiarius tua opera vsi fuerant) sanctè testati sunt, nihil tue Reuerendissimæ dominationi æquè curæ & cordi esse atque communem ordinis profectum, & perfe-

Etiam

Etiam purioris obseruantiae regularis disciplinam. Neque verò nobis tantum Minoribus fratribus aut nostro peculiariter ordini, sed generaliter CHRISTI fidelibus omnibus, orbique Christiano vniuerso, tuae virtutis spectata probitas & prudentiae tuae probata industria non mediocria attulit commoda. Nam vt caetera multa dissimulem, vel vnum illud quis digna gratiarum actione prosequatur abs te orbi Christiano praestitum beneficium, quod te mediatore ante annos aliquot, inter sanctissimum dominum papam Clementem & Christianissimum imperatorem Carolum, non sine maximo & praesentissimo fidei Christianae periculo exorta dissidia atque etiam bella & praelia iam suscitari coepta, sic breui temporis spatio sopita fuere atque sepulta, tamque alio faedere pax certissima terris Christi fidelium reddita, vt ab eo tempore nullus vnquam vsquam inter illos potentissimos duos orbis moderatores vel tenuissimus belli aut cuiuscunque dissidij rumusculus auditus fuerit? Imò verò citra id temporis mutuae quoque familiaritatis & amicitiae non fictae patientia signa non pauca, vtrinque sunt exhibita, orbique manifesta. In quo transigendo negotio, quantis te ipsum exposueris laboribus atque periculis, illud satis aperte testatur, quòd interim dum ista a-

geres

geres, pacis legatione ut pacis angelus fungens
terra & mari vltro citroque discurrens, semel
atque iterum crudelibus Turca piratis in præ-
dam veneris: sic nullus tibi parcens laboribus
& quibusuis temetipsum obiiiciens periculis, ut
gregi Christiano pacem procurares & grauif-
simo imminente discrimini occurreres. Quid
enim? An non manifestum toti Christiani-
tati fuisset periculum, & quasi de proximo
imminens excidium, cum ante aliquot annos
impiissimus ille Mahumetanorum imperator
Solimannus, cum ingenti apparatu, & exer-
citu innumerabili semel atque iterum in odium
Christiani nominis, terras inuaderet & acer-
rimè oppugnaret Christi fidelium: si tunc, in-
quam, inter duos primos illos orbis Christiani
monarchas, pontificem maximum & maxi-
mum imperatorem, intestina inuenisset bella
atque dissidia? Nunquid non desolandum
fuiisset, in se diuisum, electum Christi regnum?
Nunquid non domus super domum, & ciuitas
super ciuitatem, & prouincia casura erat super
prouinciam: si duos illos Christianitatis sum-
mos moderatores, à quibus ceteri omnes depen-
dent tam principes quàm plebei, priuata fouen-
tes odia & domestica exercentes prælia offen-
disset, ille Christiani nominis iuratus &
CHRISTIANI sanguinis sitientissimus ho-
stis?

sis? Quis enim hunc tanta vi in Christiano-
 rum fines irruentem pepulisset, quis aduersus
 tantam potestatem procedere obuiam potuis-
 set, si illi quorum primum & maxime inter-
 erat Christianam gentem ab hostili incurſio
 defendere, hostilibus inter sese animis & ar-
 mis decertare in domo & templo Dei, id est
 intra Ecclesiam (ut male cœpta iam res erat,
 iactaque belli alea) perrexissent? Arbitror
 equidem, neminem esse vel tenuissimam rerum
 habentem experientiam, qui non manifestissi-
 mum vniuerso populo Christiano superuentu-
 rum ex ea re periculum, imò excidium immi-
 nens, animaduertat. Ac proinde, tue pru-
 dentia & industria, post Deum, qui tua in
 hoc vti voluit opera (ut solet ipse, prima &
 vniuersalis omnium causa, non sine mediis &
 particularibus causis sua opera peragere)
 Christiani vniuersi acceptum referre debent,
 quod ab illis crudelissima & truculentissima
 beluæ faucibus, quas super vniuersos in san-
 guine Christi baptizatos ad deuorandum
 aperuerat tanquam absorpturus ad instar
 immanis illius Leviathan sine admiratione *Iob 40.*
 fluium, fiduciam quoque habens Iordanis
 transglutiendi per os suum, eruti sint atque
 liberati: ita ut cum fiducia dicere valeant
 illud, *Aposto.* Liberavit nos Dominus de ore *2.Ti.4.*
 leonis

leonis & ab omni opere malo, & saluos faciet
 in regnum suum caeleste. Cuius quidem bene-
 ficij per te mundo in tanta necessitate praestiti
 magnitudinem memori mente reuoluens & a-
 nimo grato expendens Christi in terris vica-
 rius Clemens, eius nominis septimus, prudenter-
 que secum reputans quantam ex assidua tua
 apud se praesentia sperare merito deberet utili-
 tatem, qui tanta ex vnius legationis munere
 sibi suoque gregi commoda senserat prouenisse,
 tum pro accepti gratitudine beneficij, tum pro
 spe consequendi amplioris commodi & lucri
 cumulationis expectatione, lucernam ardentem
 & lucentem non ultra passus est, sub modio de-
 litefcere, sed super candelabrum in eminentiori
 gradu potius duxit collocandam, vt sic exal-
 tata non illis tantum luceret qui in angusto &
 pauperculo humilis Francisci tuguriolo, tan-
 quam in hoc seculo aduena & peregrini, lati-
 tant, verumetiam qui in ampla & magnifica
 Dei domo Ecclesia sancta inhabitant vniuer-
 sis Christicolis. Proinde, vt in partem sollicitu-
 dinis suae te pertraheret Christi vicarius, atque
 vt a latere suo nunquam abscederes, quasi vin-
 culo quodam alligaret, vt ad manum semper
 haberet tantae prudentiae & probatae iampride-
 dem virtutis virum, cum quo securè ac sine pe-
 riculo omnia suae administrationis mysteria,

negociá que omnia quamlibet seria , ardua & secreta consultando tractare posset , de consilio & assensu fratrum suorum reuerendissimorum dominorum Cardinalium (quibus non potuit non esse gratissimum , talem suo collegio fratrem & socium ascribi , qui vnus multorum onera in consultandis & gerendis rebus suis humeris ferre posset) Cardinalitiæ dignitatis titulo & insigniis honorandum , officiisque & muneribus onerandum duxit . Et quoniam certa iamiam experientia animum in te submissum , & ab omni ambitione alienum deprehenderat vt te volentem nolentem eò quò volebat pertraheret atque ad sibi consentiendum sancta quadam violentia cozeret , simul vt cateris malè suspicandi (ad quod ex naturalis inclinationis prauitate nimium prona est humane nature miseria) omnem auferret occasionem , sub obedientiæ sacræ mandato , sanctæ Romane ecclesiæ Cardinalem te esse , ac de cætero suo semper lateri adesse , præcepit , quemadmodum suis propriis literis in hoc per varias ordinis prouincias destinatis sanctitas eius apertè testatum esse voluit . Qua quidem tuæ humilitatis nihil tale vel ambientis vel expectantis ad tantæ celsitudinis gradum tam gratuita promotione , & piissimi Imperatoris erga prudentissimum pontificem maiori beneuolentiâ conciliatus est animus , &

b



quæ te mediatore inita erat pacis concordia,
 tali medio facta est solidior. Quod enim de
 imperatore Valentiniانو in iis quæ à Medio-
 lanensium populo circa Ambrosium, missum
 à se iudicem ad regendas Lyguria Emiliaq;
 prouincias, gesta fuisse legimus, id ipsum & de
 Christianissimo nostro Carolo in iis quæ à
 pontifice Romano ac purpuratis patribus acta
 fuisse, verisimili existimatione credimus. Ni-
 mirum ut ille summo cum gaudio scribitur ac-
 cepisse quod iudices à se directi ad sacerdotium
 peterentur, ita & hic gratissimum haud dubie
 creditur habuisse, & pro magno amicitie veræ
 symbolo pacisque serio firmatæ velut sigillo ac-
 cepisse, quod ab ipso missi pacis legati ad Car-
 dinalitium gradum cogerentur. Denique, ut
 à beatitudinis promissione, verè pacificis ex ore
 Christi superbenedicti edita & promulgata,
 quam tibi in opportunitate bona & magna
 Christiani populi necessitate comparauerat,
 nunquam te contingat excidere, aut splendido
 illo in eadem pollicitatione adiuncto diuinæ fi-
 liationis titulo spoliari, modis omnibus eadem
 nunc apud sanctissimum dominum Paulum
 eius nominis tertium tractare & agere non
 cessas, quæ apud eius prædecessorem Clementem
 antea maximo cum fructu & summa laude
 perfeceras, id est, ea quæ pacis sunt inter duos
 Christiani

Christiani orbis monarchas & mutue inter illos concordie assidue meditari & agitare, in fauorem haud dubie vniuersi populi Christiani. Quam quidem pacem, si forte aliquando (quod absit) preualentibus malignis suggestoribus, quales saepe transformatos in angelos lucis ad principum aures submittit callidus ille angelus Sathanae, contingat auferri de medio, vel interiectis disidiis scindi, quid erit ultra spei, de ea que tantis iam vndiquaque fluctuum procellis impetitur & ventorum turbibus agitatur, Petri, imò Christi, nauicula? Hinc quidem pestiferis hæresiarchis, in dies & pluribus & crudelioribus, Christi sponsam Ecclesiam suorum errorum veneno inficere ac perdere studentibus: qui sicut serpens Euam seduxit sua astutia, ita simplicium hominum animas suis pestiferis dogmatibus corrumpere studiosissimè laborant. Illinc verò immanissimis Turcis, quorum indies cum ambitione crescit auaritia, precedentis victoriæ multiplicis fiducia ad vltiora semper perurgente animum, Christianique sanguinis in eis sitis ardescit vehemētiore, graui pondere & tota sue potentiæ virtute (que sine Christo nobis foret intolerabilis) Ecclesiæ incumbētib; & opportunitatem præstolantibus, terræque & mari di-

ligitissimi mè perquirentibus, vt præcipua Chri-
 stianorum præsidia siue vi siue fraude occupent,
 quo deinde paulatim, oblata occasione intestini
 alicuius dissidij, vniuersum sibi orbem Chri-
 stianum subiiciant, sanctumque CHRISTI
 IESV nomen solùm in cælis & in terris vne-
 randum & adorandum penitus eiiciant, ab
 hominum memoria: quod illis quidem in primo
 & altissimo est cordis desiderio. Tantis, inquam,
 malis vndiquaque, nempe & ab intus & à fo-
 ris, ab extraneis & à domesticis, è terra & è
 mari, imminentibus, nemo non videt, quàm sit
 necessaria Christianis principibus pro sanctæ
 Ecclesiæ defensione mutua inter se concordia,
 quàmque necessarium & imprimis vtile agant
 negocium, qui contra malignos susurratores,
 pro sui privati lucri commodo, aut pro suis pri-
 uatis implendis affectibus in auribus princi-
 pum Christianorum classica semper canentes,
 suauibus econtrario monitionibus, & efficio-
 ribus persuasionibus illorum aures, non quidem
 blandiendo, sed meliora suadendo, demulcere
 assidue student, animosque à furore bellico com-
 pescere, atque ad mansuetudinem Christiana-
 nam, pro communi omnium bono, inflectere.
 Cùm itaque tam manifestè commoda & mul-
 tiplicem vtilitatem, non nostro modo ordini,
 verùm generaliter vniuerso Christiano orbi,
 omnia

omnibusque citra delectum Christicolis, ubi-
 cunque tandem locorum degentibus, ex tuæ
 prudentiæ discretione & virtutis præstantia
 prouenisse atque etiamnum prouenire constat,
 mirum videri meritò non debet, neque vanita-
 ti imputari, sed iustitiæ potius & æquitati de-
 putari, si tuæ reuerendissimæ dominationis di-
 gnissimum nomen, nos quoque qui secundum
 loci distantiam procul videmur abesse, pro no-
 stra virili colere, literariisque monumentis ce-
 lebrare, studeamus. Possunt siquidem & de-
 bent, boni filij patrem pium, humiles subditi gu-
 bernatorem discretum, deuoti clientuli patro-
 num & protectorem fidelem, obedientes disci-
 puli præceptorem & correctorem mansuetum,
 siue absentem corpore, siue præsentem, & affe-
 ctu debito reuereri, & congruentibus honorum
 caeremoniis venerari. Proinde, ex ista locorum
 distantia nihil rationabilis impedimenti habe-
 ri videtur, quo minus hic noster labor tuæ cel-
 situdini iure possit ac debeat nuncupari. Quod
 verò secundo loco obiectum fuerat, de indigni-
 tate operis nuncupandi, ne id quidem magnope-
 re meum angit animum. Hunc siquidem mihi
 scrupulum adimit, ea quam de tua benigni-
 tate toties per diuersos patres familiaris tibi
 notos mihi prædicata, firmam in animo con-
 cepti persuasionem, vnde mihi indubitatum

certoque persuasum habeo, non posse à tam benigno patre & clementissimo Domino tanquam indignum repelli, quod ex humili corde & animo deuoto à filiis & clientulis debita cum reuerentia fuerit oblatum, etiam si alioqui minus ex se sufficiens videatur ipsum quod offertur munusculum. Sæpe enim generosus animus non minus hilari corde & læta facie exigua à pauperculus accipit munuscula, quàm à magnis & diuitibus præclara suscipit donaria. Quemadmodum videlicet reges nonnunquam & principes, fluidi lactis haustum, aut pressi lactis vasculum, aut placentas rusticas, aut poma piræque viridia, aliæque huiusmodi rustica munuscula de pauperculorum manibus maiori cordis lætitia & vultus hilaritate suscipiunt, quàm magna soleant à diuitibus accipere donaria. Et quidem in lege veteri suas oblationes pauperculus tenuioris fortunæ homines habebant, quorum manus ampla donaria inuenire non poterant. Et in tabernaculo Domini, qui aurum & argentum non habebant, caprarum pilos qui facile & nullo negotio haberi poterant, in oblationem adferebant, neque horum minus grata Deo erant oblationes paupercule, quàm illorum donaria magnifica, si non vt manus parca, ita

ca, ita & auara intus anima latitaret. Ipse quoque Dominus viduam duo era minuta mittentem in gazophylacium, non solum, non abiecit cum suo dono exiguo, verum etiam alijs omnibus quorum multi multa iniecerant, prætulit, quod animam diuitem & liberalem in manu pauperula ostendisset, victum suum totum vnica oblectatione in templi obsequia conferens. Denique, & roseas gramineasque corollas diuis in Christianorum templis magna nonnunquam deuotione à pauperculis offerri, & veluti ampla quadam donaria appendi aut affigi illorum statuis cernimus: neque dubitant orthodoxi, acceptam sanctis hanc esse deuotionem simplicium, quicquid tandem obgannientes sine intellectu circa hæc aliæque huiusmodi Christianæ pietatis exercitia, (non intelligentes neque quid loquantur, neque de quibus loquantur) impj blaterent heretici. Quibus sanè exemplis, meo sic animo persuasum habeo, quicquid tuæ celsitudini à nostra paupertate corde deuoto offeretur, qualecunque tandem fuerit, neque auerso vultu inspicendum, neque indigno animo suscipiendum fore. Quam etiam persuasionem amplius confirmarunt & prorsus certissimam mihi reddiderunt, literæ reuerendi atque eruditissimi patris, fratris Francisci Castellæ, in Romana cu-

ria negotiorum ordinis vigilantissimi procuratoris, superiori mense isthic ad nos destinatae, quibus aperte id mihi significatum est ab eo qui tui pectoris est bene conscius, tuae reuerendissima dominationi non fore ingratum, quicquid ex nostra officina tuo prodiret nomini consecratum. Confidenter itaque, nihil inueniens rationabilis impedimenti, omni hasitatione postposita, omni dubitationis abiecto scrupulo, procul ablegato timore, ad reuerendissima dominationis tuae pedes accedens, post humilia & deuota tuae sanctitatis vestigijs infixata oscula, vultum & si propter humanitatis tuae confidentiam non penitus verecundia opertum, nonnullo tamen propter celsitudinis tuae reuerentiam rubore suffusum de puluere erigens omni qua possum humilitate rogo & supplico, vt exigui ingenij pauperculum istud munusculum de manibus indigni seruuli dignetur Reuerendissimus Dominus animo lato & vultu sereno suscipere, placidaque manu tractare & oculis aequis inspicere. Quod non ob aliud ex tam longinquis partibus ad tuae reuerendissimae dominationis praesentiam transmissum est, quam vt ex eo intelligat prudentia tua, etiam apud longè distantes & qui corporalibus nunquam oculis tuam dominationem viderunt, esse qui pro beneficiorum orbi toti, & nostro signanter ord

ter ordini, præstitorum multitudine & magnitudine, non immemorem neque prorsus ingratum erga te animum gerant. Non enim eo animo hæc nostra scripta oculis dominationis tuæ siue offerimus, siue obtrudimus, vt grauissimis & longè utilissimis negotijs occupatum ad nostra ista humilia, & (vt verius dicam) ludicra scripta curiosius lustranda pertrahamus, vt sic nostrarum nemiarum occasione bonas horas minus bene colloques: sed in hoc tantum, vt vel obiter inspecta vnus libelli pagina, animum cognoscas humilis clientuli tuæ reuerendissimæ dominationi deditissimum, atque ex vno reliquos æstimans, certò tibi habeas persuasum alios quoque complures latitare in diuersis orbis partibus, tibi licet de facie incognitos, corde tamen deditissimos, qui cum aliud non habeant quo tuis beneficijs respondeant, præter deuota orationum suffragia, ijs apud diuinam clementiam toto affectu pro reuerendissima dominatione tua interpellare nunquam desinunt: vt quod hæctenus pro communi ordinis & orbis bono egisti & agis sæliciter, vtriusque hominis sospitate gaudens imposterum quoque alacriter & perseveranter agere velis & valeas, donec magno illi patrifamilias visum erit, post consummatum ad vesperam diem laborem vineæ, ab opere laborioso ad consola-

tionem beatae requiei euocare fidelem operarium, ac pro fideli opere pactum persolvere denarium, id est, pro bonis operibus & honestis actionibus in vita ista peractis gloriosam aeternae felicitatis mercedem. Quam ipse nobis qui polliceri dignatus est, praestare quoque dignetur, Deus optimus, maximus, Christus IESVS Dominus noster, cui est cum patre & spiritu sancto gloria & imperium in secula seculorum. Amen. Bene ac feliciter in eodem Domino nostro IESU Christo valeat tua reuerendissima dominatio, communi semper profectus pectore toto intenta: & homunculum istum, intra numerum clientulorum & seruulorum, vel nouissimo loco dignanter constituat. Lo-
 uanij, anno Domini millesimo, quingentesimo
 tricesimo sexto,
 mensis Iu-
 niij die de-
 cima.

*

Deo semper & vbique gloria
 vna vni, vnde, eo
 omnia.

*

AD



AD LECTOREM, AV-
toris præfatio in sequentes com-
mentarios Ecclesiastæ
Salomonis.



INTER cæteros veteris pagi-
ne libros, Christiane lector,
ille qui ab Hebræis Kohe-
leth, à Græcis, Ecclesiastes di-
citur, à Latinis Concionator
dici potest, per sapientissimū & gloriosis-
simum regem Salomonē, dictante spiritu-
sancto (quod apud neminē, siue Hebræorū
rabbīnorum, siue Græcorū aut Latinorum
doctorum hactenus extitit cōtrouersum)
cōscriptus, peculiare videtur habere ener-
giā, & vim quandā singularē, eāmq; non
mediocrem, ad persuadendum animis ho-
minū, mundi & omnīū quæ in eo cernun-
tur siue geruntur verum contemptū, per-
festāmq; cordis ab his omnibus quæ sub
sole videtur abdicationem. Quæ quidem
persuasio non illis tantū qui speciali ali-
quo voto arctioribus vitæ semitis, sponte
sua se astrinxerūt (vt vulgus sibi mūdano-
rum



rum & animalium hominum falso persuadet) verum etiam Christianis omnibus ad propositum æternæ vitæ præmium inoffenso pede contendere cupientibus vehementer utilis est atque imprimis necessaria: nisi promissi sui quod in sacri baptismatis fonte coram Deo & sanctis angelis emiserunt, ac iureiurando confirmaverunt, transgressores & violatores haberi velint. Quid enim est aliud Sathanæ & pœp̄is eius omnibus abrenuntiare, quod oēs nos fecimus quicumque in sanguine Christi baptizati sumus, quàm mundum & omnia quæ sunt in mundo despiciere, atque pro nihilo pendere? Omne enim quod est in mundo, magno illo theologo attestante, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, estque totus ipse in maligno positus. Propter quod etiam non immerito, & ipsum, & quæ sunt in ipso omnia ex affectu proicienda censuit, suosque filiolos (ea siquidem tenerioris amoris nominatione suas ouiculas dulcis pastor dilectus discipulus gaudebat compellare) ne illis per affectum dilectionis inhaererent, solite præmonuit: palam contestatos universos, ut mundi osiores se exhibere studeant, si Dei amatores haberi & esse velint. Si

chari

1. Ioan. 2.

¶ 5.

1. Ioan. 2.

charitas patris in eo. Neq; verò solus iste dilectus discipulus aduersus mundum sic strenuè depugnat, verumetiam ceteri apostoli in suis diuinis quas nobis in monumentum perpetuum reliquere literis, vix vsquam non aduersus mundum & ea quæ in ipso sunt constanti voce exclamant & quasi vno ore conclamant. Omnium deniq; validissimè & efficacissimè, Christi superbenedicti vnus veri magistri nostri dicta & facta, siue potius facta & dicta (quandoquidem hunc ordinem spiritus sanctus in apostolicorum actuum descriptione praelegit, tanquam ad instruendos & commouendos homines, quorum gratia ille sua omnia & fecerat & dixerat magis efficacem & validum) ad istuc ipsum, id est, ad contemnendum mundum cum omnibus quæ sunt in ipso, imò ad penitus odiendum atque execrandum, cum suo tenebroso principe nos prouocant, incitant, impellunt, ac velut violentia quadam sancta compellunt. Qua quidem in re pulchra quædam & peramcena piis mentibus se se offert consideratio, circa istum tam suauem paginae veteris ad paginam nouam concentum, tamque apertam & manifestissimam vtriusque scripturae consonantiam. Vt vel hinc manifestè

Actu. I.

nifestè pateat cuilibet non obtenebratos habenti mentis oculos, ab vno eodémque authore, nempe diuino spiritu, vtramque similiter profectam, illam quidem tempore priorem, hanc verò dignitate & perfectione præeuntem. Id quod in libri huius de quo loqui cœpimus cum nouæ pagine scriptura collatione, quam euidētissimè cerni potest. Nihil enim aliud concionatorius iste veteris pagine liber, per longas disputationes & deductiones prolixas, multiplicésque per exempla varia & ferè per particularia singula discursus, docet vel agit, nisi quòd noua pagina tota per sanctorum Apostolorum atque ipsius Apostolorum magistri absolutissimam doctrinam, exemplo operum non minus quàm sono verborum, compendiosissimè simul & efficacissimè agit. Nimirum, vt vniuersa ista sub sole sensibus nostris obiecta & subiecta affectibus, forti animo & corde magno doceamur contemnendo transire, ac penitus nihili faciendo supergredi: ad ea verò quæ supra solem sunt, sensui quidem abscondita, sed fidei non ignota, sola verè bona, sola rationalis creaturæ amore digna, tota vi memoriæ, tota mentis acie, toto affectus studio, omnium denique virium

rium conatu , transcendere , imò transi-
lire , imò (ne fortè moram vsquàm nobis
contingat fieri noxiam aut periculofam)
transuolare studeamus. Videlicet , vt vbi *Matt. 6.*
noster est thesaurus , ibi sint & corda no- *et 24.*
stra: vbi nostrum est corpus , illuc conuo- *Psa. 102.*
lent iuuentute spiritali renouatæ aquilæ:
vbi caput agit , illic agât & membra: vbi
mensæ accumbit Dominus , illic in circui- *Colo. 3.*
tu afsistant serui: vbi in patris dextera glo- *2. Cor. 5.*
riatur filius naturalis & primogenitus,
ibi corpore absentes , spiritu præsentés
congaudeant cohæredes & adoptitiij. De-
nique, vt tales nos modò per terrenarum
(quas sibi vulgus somniando confingit)
fœlicitatum contemptum ac indefessum
veræ pietatis, quæ ad omnia valet, exerci- *1. Tim. 4.*
tium exhibere studeamus , qui digni ali-
quando habeamur promissionem illam
pietati debitam in præmium accipere , id
est, veram illam ac solidam fœlicitatem
ad quam obtinendam ab optimo , piissi-
mòque Deo conditi sumus , perpetua se-
curitate possidere , vbi post laborem mo-
dicum, magna nos expectat requies post
passiones vix momentaneas easdémque
leuissimas, incomparabile pondus gloriæ *Rom. 8.*
nunquam intermorituræ nos manet: quan- *2. Cor. 4.*
do assignata pro operibus bonis optima
& maxi

Apocal.
14.

*Thema
sermonis
magni-
ficum.*

*Grauis et
seria con-
clusio.*

& maximè opima mercede, amodo iam dicet spiritus, vt requiescamus à laboribus. Hunc nimirum esse scopum orationis huius siue declamationis concionatorix, tum exordium ipsum siue thema initio sermonis magno pondere propositum, tum conclusio ipsa prolixæ ac vehementioris disputationis tam serua, in fine operis totius tanta cum autoritate & maiestate, quasi in signaculum pietatis apposita, apertè testantur, ac nimis quàm euidenter demonstrant. Vanitas vanitatum, conscendens suggestum è pulpito declamans noster præter concionatorum morem purpuratus ait Ecclesiastes, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo quo laborat sub sole? Descensurus tãdem è pulpito & concionem dimissurus, orationem finiens, Deum time, inquit, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo. Et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in iudicium, pro omni errato, siue bonum, siue malum sit. Quid illo dici potuit vehementius, atque ad persuadendum omnium quæ fiunt sub sole contemptum efficacius? Isto rursùm quid potuit dici vtilius, atque ad obtinendam veram fœlicitatem compèdiosius? Et quo modo

modo hæc ipsa, etiamsi in carne mortali (quod datum postea fuit apostolis, vsque tunc quanlibet desyderatum negatum tamen, Prophetis quoque & regibus) ex ore suo benedicto docentem audisset Christum Dominum, potuisset vel apertius tradere, vel maiori cum efficacia proponere? Denique, illa omnia tam varia, quæ inter thema illud tam splendidum & conclusionem istam tam seriam, ad illius quidem declarationem huius verò constabilitationem, interiecta leguntur de multiplici seculi vanitate, & variis hominum insanis, quibus sese frustra distendunt & ab vno solo verè summo bono elongant, ac penitus alienos reddunt, non illi modò qui infimum in plebe locum obtinent ignobile vulgus: Verumetiam plerique eorum qui doctores se & rectores profitentur ac gloriantur aliorum, duces cæci, errantes & in errorem mittentes, quàm hæc inquam, omnia apertè euangelicæ Christi doctrinæ consonare inueniuntur, quàm aptè illius exemplis quadrant omnia. Videlicet quæ noster Ecclesiastes tam luculenter quàm efficaciter differit, de contemnendis mundi huius delitiis & carnis voluptatibus, de non magnificandis temporalibus diuitiis, de execranda auri atque argenti aliarum-

*Mat. 15.
2. Ti. 3.*

que possessionum intermina cupiditate, de abiiciendis pro terrena substantia vel acquirenda vel conseruanda curis superuacaneis, de ipso quoque scientiæ aut sapientiæ humanæ studio immodico (quod nonnullis altiori animo sine Deo altiora se quarentibus viscus est nō minus tenax & laqueus non minus perniciosus, quàm aliis quibusdam crassiori ingenio crassa ista concupiscentibus auri atque argenti congregandi & variæ supellectilis conseruandæ immodicum desyderium) aliis que huiusmodi occupationibus vanis, que à vero & serio pietatis studio vel auocare prorsus vel certè demorari & vehementer impedire animos hominum solent, fugiendis. Hæc inquam omnia, tam copiosè ab Ecclesiaste nostro dicta, tam eleganter ante oculos posita, tam ornatè composita, tam frequenter & opportunè repetita, & variis moralium sententiarum passim infertis documentis, quasi flosculis quibusdam redimita, non alio spectant, quàm ut illud animis hominum ad virtutem capefendam ex corruptione vitiatæ originis alioqui tardioribus, persuadeant ac vel inculcando ingerant vel etiam insculpant, quod multò post illo suo plusquam melleo ore & labiis plusquam roseis, magister

ster noster vnus ille & solus benedictus
 Dominus I E S V S Christus simplicissimo
 nos sermone edocuit, Attendite, inquit, *Luca. 21.*
 ne grauetur corda vestra crapula & ebrie-
 tate & curis huius vitæ, ne fortè superue-
 niat in vos repentina dies illa. Tanquam
 laqueus enim superueniet in omnes qui
 sedent super faciem omnis terræ. Et alibi, *Luca 21.*
 Videte & caute ab omni auaritia, quia nõ
 in abundantia cuiusquam vita eius est, ex
 iis quæ possidet. Ac rursus, Nolite thesau- *Mat. 6.*
 rizare vobis thesauros in terra, vbi erugo
 & tinea demolitur, & fures effodiunt & fu-
 rantur, sed thesaurizate vobis thesauros
 in celo, vbi nec erugo neque tinea demo-
 litur, & vbi fures non effodiunt nec furan-
 tur. Et iterum, Nolite solliciti esse animæ *Mat. 6.*
 vestre, quid manducetis, & corpori vestro,
 quid induamini, & alia huiusmodi, quibus
 plena sunt sacrosancta euangeliorum vo-
 lumina. Quæ quidem Domini nostri sim-
 plicia & humilia verba, licet viris spiritua-
 libus & perfecti in Spiritu sancto iudicij,
 qui (iuxta Apostolum) pro consuetudine *Heb. 5.*
 in diuinis sententiis exercitatos habent
 sensus, multò sint sapidiora, solidiora & ef-
 ficaciora dictis ac scriptis, quâlibet secun-
 dum exteriorem verborum faciem magis
 compositis vel ornatis aliorum quorum-

*Ioan. 3.**Ioan. 1.*

cunque, etiam diuinorum scriptorum atque doctorum, utpote ab eo immediate profecta, qui non ad mensuram accepit à patre spiritum, & de cuius plenitudine superfluenti ceteri omnes ad mensuram beneplaciti ipsius necesse habuerunt accipere: imperfectioribus tamen & rudibus, utpote qui adhuc vel in totum vel magna ex parte carnales sunt aut animales, vel omnino nihil vel parum admodum spiritus Christi habentes, diuinarumque rerum expertes, quibus pro sui iudicij ruditate & infantili teneritudine solidus ille verborum Christi cibus nondum sapit vel proficit, fieri poterit, ut ista nostri Ecclesiasticis doctrina (bona quidem esca, sed non equè atque illa fortis & solida) non parum proficiat, paulatimque illos ad robur qualecunque perducatur. Quo etiam consilio, gloriosus ille inter sanctos ecclesie doctores Hieronymus, sanctae femine Blesillae librum istum se scribit, cum Romae adhuc ageret, prelegisse: ut eam ad contemptum mundi huius prouocaret, & omne quod in mundo cerneret, putaret esse pro nihilo. Videlicet, quoniam deprehenderat, acerrimo (in diiudicandis potissimum scripturis) vir iudicio, praeter ceteris librum hunc concionatorium ad id negotium valere pluri

plurimum. Neq; id sanè mirum, quando-
quidem in hanc rem sapientissimus mor-
taliū Salomon, diuina sapientia non mi-
nus quàm humana experientia plenus in
opere isto sic totus fertur, sic vniuersum in
eam videtur effundere ex industria spiri-
tum, sic omnes ingenij neruos, omnè elo-
quentiæ venam, denique vim omnem &
conatum in eam exerit, præter diuini spi-
ritus vigorem (qui præcipuè spectandus
est) validos quoque Dialecticæ neruos &
latos germanæ rhetoricæ colores adhi-
bens negocio, vt etiam gentilis quilibet
spiritus Christi penitus non possit non ve-
hementer commoueri, si in huius libri at-
tentiori lectione aliquantisper fuerit cõ-
moratus. Huius, scilicet rei gratia, id est,
propter tam singularem libri huius vtili-
tatem, quam attentis liberaliter propinat
auditoribus, ante annos ferè quatuor post
enarrata auditoribus nostris ex obedi-
entiæ sacræ mandato apostolica scripta, &
sancta Domini nostri I E S V Christi qua-
tuor euangelia, vnà cum Apocalypsi & li-
bro Psalmodum, ad hunc tandem concio-
natorium Salomonis librum animum ap-
puli, vt eum præsentibus auditoribus se-
cundum Dei gratiam prælegendo enar-
rare. Atque sub idem tempus, vt etiam

absentibus lectoribus suppeditaret muta litera, quod presentibus auditoribus lingua viua ministrabat, manum quoque calamo, ad conscribendum que omnipotentis gratia erat datura, admouere ceppi, neque ab incepto destiti, donec tamen currente sub manu figuli rota, hi qualescunque exirent commentarioli, in hoc scribendi genere (quod eousque non attigerim) prima nostri ingenij exercitamenta. Siquidem vsque ad hoc operis, Paraphrastica scribendi ratione, propter compendiosam in elucidando breuitatem, & latentem quandam in commouendo (quasi ex ipso authoris ore voce prodeuntem) energiam magis oblectabar: qua & antea iam vsus fueram, in elucidandis apostolicis literis & hymnis Dauidicis, iam pridem in lucem editis: itemque in duobus (secundum Matthæum & Ioannem) euangeliiis, atque in libro Iob disertissimo, nondum typis excusis opportuno tempore, cum visum fuerit altissimo, de tenebris in lucem prodituris. Vt autem in hoc Ecclesiastæ opere, præter morem, commentandi rationem assumerem, partim necessitas quædam, partim vtilitas multiplex induxit. Vtilitas quidem propter res quæ in eo tractantur maximè serias, & ad communem

homi

hominum vitam, si bene expendantur & pro sua dignitate exactius tractentur, non mediocriter conducentes, quas leui manu & quasi sicco pede pertransire, ipsa rerum dignitas non patiebatur. Necessitas verò, propter difficultates multas & perplexitatum inuolucra, quibus non paucis in locis obscuritatem non parua simplicibus lectoribus liber iste ingerit, & quasi tenebras caecutientibus oculis offundit, quos quidem nodos nimium inuolutos penitus dissoluere, & implicitos nimis ad plenum explicare, non parui fuerit negocij, neque ad eam rem breuis paraphrasis sufficere posse videbatur angustia, vt quasi necessario ad iusti commentarij prolixiorum tractatum videretur recurrendum, si pro sua dignitate & electorum utilitate susceptum negocium foret prosequendum, atque in finem debitum perducendum. Cuius quidem difficultatis inter praecipuas vna videtur esse originalis ratio, additionum atque translationum nimia varietas, quae cum in aliis aliquot veteris potissimum scripturae libris, tum in hoc signanter, modestiam parit non mediocrem enarrantibus. Saepe enim id quod in Hebraica veritate ponitur, longo interuallo ab eo videtur distare quod in additione Graeca (quae se-

ptuaginta interpretum vulgo dicitur) legimus. Et hoc ipsum quod inibi legimus, sic anceps videtur atque ambiguum, vt ipsi quoque authores Græci qui in librum hunc commentarios scripserunt, ex eodem cōtextu diuersam subinde videantur accepisse lectionem. Inter quos præcipui duo, & ipso quoque Hieronymo priores fuerunt, Gregorius Næocæsariensis, cuius in hunc librum breuis extat paraphrasis, ab ipso nonnunquam Hieronymo in commentariis, non sine magnæ laudis præfatione, ad verbum citata: quam nos modò in manibus habemus, versam à Ioanne Oecolampadio, antequam in hæresim illâ impiam aduersus sacrosanctum Euchariæ sacramentum impia blaterantem, Berengariani erroris innouator incidisset, cum adhuc in Ecclesiasticæ communionis vnitæ & catholicæ fidei sincérité peristeret, apud Birgittanos monachos nouicius degens, qua quidem conditione (vt ex ipsiusmet literis nuncupationis loco præfixis liquet) mirè tum ipse sibi placebat, & tantum non plaudebat, qui non ita multò post, septicipiti exurgente hydra illa toto iam olim orbe per insignem maliciam egregiè nobilitata, nō solum monachatus insignia proiecit, verumetiam

sacerd

sacerdotij iura violauit, & christianismi vota contempfit: vt vel in hoc vno exemplo viri alioqui magni, & tam sanctimonix quàm eruditionis fama clari quilibet quãlibet magnus discat, iuxta apostolicã monitionem, altum ne sapiat, sed metuat *Roma. II.* ne cadat. Alter verò Olympiodorus quidam, vir non minus humane philosophiæ, quàm diuinæ scientiæ peritus, & in scripturis sacris egregiè instructus, id quod eius copiosa & erudita in hunc librum testantur commentaria, in quibus passim diuinis humana subtiliter & sublimiter, eò iuncta videmus atque commixta. Et hi inquam, ipsi (vt ad propositum redeamus) ambo Græci commentatores, cùm eandem credantur æditionem Græcam enarrasse, sic tamen interdum variant in enarrando, vt non modò sensum alium commentati, verum etiam textum diuersum secuti videantur. Nostra verò æditio Latina, quæ modò in Bibliis Latinorum vulgatis legitur, neque per omnia Hebraicæ exactè respondet veritati, neque æditioni Græcæ per omnia consentit, sed quasi inter vtrûque media, imò ab vtraque secundum literæ superficiem ex parte aliqua discedes, paraphrasticè nõnunquam sensum expo-

nit verius, quàm reddat literam. Id quod
 facer ipse Hiero. qui eius author creditur,
 apertè satis testari videtur, cùm in præfa-
 tione libro huic in vulgatis latinorum Bi-
 bliis præmissa, suas Paulam & Eustochiũ
 alloquens, ait, rogatum se olim à sancta
 Blesilla, vt in morem commentarioli ob-
 scura quæque differeret, vt absq; ipso pos-
 set quæ legebat intelligere, post illius obi-
 tum & illius memoriæ & ipsis reddere
 quod debebat. Quæ verba illud satis indi-
 care videntur, quod in opere isto non ipsi
 semper literæ fixus inhæserit, sed liberio-
 ri aliquoties spiritu obscuriorem literam
 clariori commentariolo, quod sine quali-
 cunque literæ immutatione fieri non po-
 tuit, illustrauerit. Quod in sequentibus
 quoque verbis aliquanto etiam apertius
 videtur indicare, quibus lectorem breui-
 ter admonet, nullius auctoritatem in hac
 æditione fuisse sequutum, sed de Hebræo
 transferendo, maximè septuaginta inter-
 pretum consuetudini se coaptasse, idque
 in iis duntaxat in quibus non multum ab
 Hebraicis discrepabant: interdum quoq;
 Symmachi & Aquilæ & Throdotionis
 fuisse recordatum, vt neque nimia nouita-
 te lectoris studium deterreret, neque rur-
 sum veritatis fonte omissio opinionum
 riulos

riuilos confectaretur. Adde, quod in ipsis quoque diui Hieronymi, quæ in librum hunc scripsit, commentariis, nõ istius semper æditionis textus exponitur, sed frequenter verba multo alia siue ex Hebraica veritate, siue ex æditione septuaginta, siue ex aliorum supracitatorum æditionibus, adducit quæ commentando elucidat: siue quod propriam suam æditionem modestiæ causa dissimulare voluerit, ne sua impudenter alienis videretur præferre, id quod & aliàs in præfationibus versionum suarum testatum ab ipso meminimus, in quotidiano fratrum cõuentu veterem potius æditionem aliorum, quàm nouam suam, se maluisse enarrare: siue quod Græcorum commentatorum sequutus sententias (quibus non parum oblectatus, neque raro vsus animaduertitur) ipsa quoque alienæ æditionis verba sequi nonnunquam coactus fuerit. Vnde fit vt ipsa interdum quæ in eius commentario, quasi ad elucidationem textus, verba ponuntur, prorsus extranea videantur ab eiusdem Latina æditione, nihilque ad eius elucidationem vel parum admodum conducentia. Facit autem ista translationum varietas: sicut in aliis quibusdam veteris scripturæ libris, ita signanter quoque in isto, vt minus à
scripto

scriptoribus antiquis proueniat adiu-
 menti illis, qui textum libri huius non quibus
 libet per se apertum & expositum secun-
 dum eam æditionem qua nunc vitur ec-
 clesia Latina, simplicioribus fratribus, ad
 ædificationem charitatis, siue viuæ vocis
 magisterio, siue mutæ literæ ministerio,
 enarrare tentauerint. Nam si quid vnus
 idémque æditionis textus fuisset, quem
 doctissimi illi viri Gregorius Næocæsa-
 riensis, siue (vt eum alicubi citat diuus
 Hieronymus) Gregorius Ponti, Olym-
 piodorus, ac deinde Hieronymus ipse, e-
 narrarunt, cum æditione ista quam nos
 modò in receptis Bibliis legimus, pluri-
 mum haud dubie adiuventi ex illorum
 eruditissimis & exactissimis cõmentariis
 consequerentur posterì, qui librum istum
 vel per se legere vel aliis prælegere, secū-
 dum vulgatam modò æditionem nostrã,
 tentarent. Nūc verò, ista tanta versionum
 & interpretationum varietas facit, vt sæ-
 pius vel omnino nihil, vel certè admodū
 parum adiuventi, ex illorum commenta-
 riis consequamur, ad assequendam nostrę
 lectionis latinæ, modò vulgatæ, illorum
 temporibus adhuc incognitę vel nouitię,
 genuinam intelligentiam. Idque in illis
 potissimum locis, vbi magis videbatur o-
 pus

pus bono adiutorio, in iis videlicet quæ maiorem habent obscuritatem, aut in quibus aliquid latet singularis perplexitatis. Nam in iis quæ per se quasi obuia, & vltro aperta sunt atque exposita, frequentem satis inter æditiones & commentatores est inuenire consonantiam, ibi satis se attingunt, & quasi adinuicem mutuo consensu colludunt. In iis verò quæ abstrusum videntur habere intellectum, difficultatēque & perplexitatem in se continere, ibi videlicet mira apparet dissonantia & varietas mirabilis, quæ lectorem sollicitū potius faciat aut anxium relinquat, quam instructum reddat, nodosque occurrentes potius implicet & inuoluat magis, quam explicet penitus aut expediat: tametsi post longam tandem inspectionē & profundiorē considerationem possit nonnunquam occurrens eiusmodi varietas in apparentem & veram reduci concordiam. Quæ omnia in annotationibus nostris ex Hebraica veritate, & Græca editione post singula capita adiectis, luce clarius videre licebit: quas quidem annotatiunculas non ipsi commentariorum corpori inserendas duximus, sed ex industria separatim, post singulos singulorum capitum commentarios, quasi appendicio more, potius iudicauim

cauimus adiiciēdas, ne tam multiplex illa
 varietas & perplexa sepius è varietate eius
 eemodi nascens difficultas, confusionem
 potius gigneret quàm ædificationem le-
 gentibus, si in ipso commentariorum cor-
 pore fuissent suis quæque locis interiecta.
 Distrahit enim mentem ab vnitæte sua &
 à principalis negocij profundiori confide-
 ratione impedit, confusa & non congruo
 ordine distincta varietas, siquidem (vt in
 vulgato est verbo) intentus pluribus, mi-
 nor est sensus ad singula. Cùm enim hu-
 mani virtus ingenij non infinita sit sed fi-
 nita, constat, eam quo in plura infunditur,
 eo minus fundi in singula: quoniã (vt ma-
 xima habet philosophica) vnita virtus se-
 ipsa dispersa est fortior. Consimili quoq;
 ratione in nostris istis commentariis, sen-
 sus mysticos, allegoricos, morales & ana-
 gogicos, quibus nonnulli etiam vetusti li-
 bri huius tractatores in eodem narrando
 multum intendisse videntur, ex industria
 dissimulauimus: hoc præcipuè conantes,
 vt sensum ipsum primum clarè & apertè
 proponeremus, præcipuamque literæ in-
 tentionē efficaciter ingereremus simpli-
 cibus piorum lectorum non auribus tan-
 tùm & oculis, sed animis & cordibus, cu-
 ius rei gratia filum ipsum continuè dispu-
 tation

tationis superuacaneis & ad rem principa-
liter intenti, negocij nihil faciētibus ex-
positionibus & aliis varietatibus, interrū-
pere veriti sumus, ipsāmq; concionis co-
hæretiam ne extraneis admixtis negociis
diuideremus, quantum potuimus, vitauim-
us. Sed neq; necessariū valde nobis, neq;
admodum vtile visum fuit, mysticis sensibus
in huius libri enarratione multū insi-
stere, qui per se moralis est, & secundū li-
teralem disputationem ea quæ componē-
dis secundū diuina præcepta moribus ve-
hementer conueniunt, tradit, id est, ad cō-
temnēda (vt suprā diximus) cuncta visibi-
lia mundi huius bona, & vniuersa hominū
iuxta figuram mundi huius studia, ea verò
quæ pietatis sūt & timoris Dei strenuè
prosequenda & agenda viriliter, quorum
alterum sermonis thema, alterum cōclu-
sio & peroratio, quàm manifestissimè pro-
ponunt. Vt interim taceā, quod iis qui vel
modicū ingenij & exercitatos aliquantū-
lūm in diuinis libris habent sensus, nō ad-
modum difficile est, bene intellecto & cla-
rè apprehenso literali sensū, originario &
(vt ita dicam) fundamentario, superædifi-
care sensus mysticos, allegoricos & anago-
gicos, iuxta quod ipsorū desiderauerit spi-
ritus. Quemadmodū videlicet illud quod
in prin.

in principio libri huius de ortu & occasu solis dicitur, Oritur sol & occidit, & ad locū suum vertitur, &c. Non magni fuerit negocij iis qui vel paululū in diuinorum lectione librorum versati sunt, ad Christi natiuitatē in mundo, eiusdēmq; per mortem à mundo discessionem ac rursus per resurrectionem in mundū reuersionē atq; in cælos ascensionem accommodare atq; ita in ceteris. Hos itaq; in Ecclesiasten Salomonis cōmentarios, nostras in hoc scribēdi genere liberiori primitias, Christiane lector, animo benigno precor suscipias & vultu sereno inspicias, suscepturus non multò post, Deo optimo maximo fauente consimiles quoq; in mysticū illū & planē diuinū Cantici Canticorū libri cōmentarios, & alia nōnulla per nos ex Dei gratia ad cōmunem sacræ scripturæ studiosorū vtilitatē elaborata, nempe paraphrasticas elucidationes: in librū Iob, & in Euangelia duo secundū Mat. atq; Ioannē: si modò hæc quæ modò à nobis offeruntur fructū aliquē veræ pietatis (cui omnia nostra studia deseruire debēt) proferre cōtingat. In Deo bene vale, Christiane lector, peccatoris huius in tuis nunquam precibus imme mor.

Deo semper & vbiq; gloria.

COM



COMMENTARII
IN LIBRUM SALO-
MONIS, QUI INSCRI-
BITUR ECCLE-
SIASTES,

*Per fratrem FRANCISCUM TI-
TELMANVM Hassellensem.*

PRIMI CAPITIS
commentarius.



ERBA Ecclesiastis filij Da-
uid, regis Hierusalem. Vanitas
vanitatum, dixit Ecclesiastes,
vanitas vanitatum, & omnia
vanitas.

Ecclesiastes Græcè, Latinè dicitur con-
cionator. Formatur enim ab ecclesia Ec-
clesiastes, sicut cōcionator à concione, ac-
cipiendo concionem pro congregato in
vnum populo, coram quo sermo habetur. *Ecclesia-*
Vnde Ecclesiastes dicitur, qui coram ec- *ste offi-*
clesia siue concione aut congregatione *cium.*

UNIVERSITATIS
DE
HELANA

populi loquitur. Aptè verò Salomon concionatorem se appellat in huius libri titulo, quòd in eo non vnum aliquem priuatim instituat, sed communiter ad vniuersam ecclesiam dirigat sermonem. Concionatoris insuper exactè agit officium, modúmque obseruat & ordinem. Concionator enim themate statim initio concionis suæ proposito, totum deinde sermonem contextit circa ea quæ thema propositum respiciunt: interdum quidem latius expatiando, & per occasionem etiam alia quæ opportuna videntur introducendo, ita tamen vt semper tandem ad propositum sermo recurrat, atque in eodem quod cœpit finiat. Hæc omnia quàm exactissimè obseruata videre est in hoc libro, qui velut tota vna & perpetua est concio. Proponit initio thema sermonis, dicens, Vanitas vanitatum dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas. Id ipsum subinde replicat in processu, atque circa hoc totum pene librum contextit, interdum quidem ad alia quæ videntur negotio extranea per occasionem declinans, semper tamè post paululum huc recurrit, per particularia demonstrans verum esse quod initio propositum est, ac tandem velut per inductionem (quam vocant Dialectici) ex singularibus

ribus sufficienter enumeratis, vniuersalis pronuntiati infert veritatem : idémque ipsum quod initio vt thema deducendum proponit in fine vt conclusionem replicat probatam, quemadmodum in libri conclusione licet ad oculū cernere. Est item Ecclesiastis siue concionatoris officium, in sua concione falsitatem refutare, veritatem elucidare, vitia notare & arguere, virtutes indicare, & commendare, atq; ab illis quidem auocare, ad has autem exhortari. Quemadmodum diuus indicat Paulus, cum Timotheo illi Ephesiorum Ecclesiasti præcipit, dicens: Prædica verbū, *1. Tim. 4.* in sta opportunè, importune, argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Hæc autem omnia quàm pulchrè quàmq; efficaciter præstet huius libri concio, ipse processus facillimè evidentissimèq; monstrabit. Nunc igitur quid purpuratus iste noster & regius Ecclesiastes, de suggestu quem conscendit concionatoris assumens officium, sit pronuntiaturus, arrectis auribus & diuino concionatori, debito silentio audiamus. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Thema profecto magnificum, & *Thema* magnificè enunciatum. Neque vulgarem *concionis* pollicetur, neq; mediocriter hominibus *propositæ.*

vtilem futuram concionem, thema istud
 tam egregium, tanta efficacia propo-
 situm: si quidem (vt in veteri est prouerbio)
 ex vnguibus leonem licet conicere. Non
 enim opinari fas est, hunc nostrum Eccle-
 siasten, cui dedit Deus sapientiam præ
 cunctis qui fuerunt ante ipsum, similem
 fore plerisque concionatoribus, qui hu-
 mano vel ingenio vel eloquio innitentes,
 concionis suæ thema ad ostentationem
 verbis plus quàm sesquipedalibus libra-
 tum magno pondere proponunt, cum in
 prosecutione prorsus ieiuni, aridi, le-
 ues, & vani inueniantur, nihilque solidæ
 ædificationis ipsorum contineat oratio.
 Et primum quidem in hoc nostri Eccle-
 siastis themate aduertendum est, neque
 frequentem earundem vocum replicatio-
 nem esse superuacaneam, neque sine cau-
 sa abstractis magis vocibus quàm concre-
 tis (vt vocant) efferi sermonem, vt ma-
 luerit dicere, omnia esse vanitatem, non
 contentus dixisse vana omnia. Vtrunque
 enim horum, eandem ferè rationem ha-
 bet. Nam & replicatio illa multiplex, &
 abstractarum vocum vsus, æque ad ex-
 aggerandam rem & pondus adiiciendum
 sententiæ faciunt. Huiusmodi enim re-
 plicatio magnam habet vehementiam.

Primum

Primum quidem, illa quæ per genitium fit suo nominatio coniunctum, ut hic dicitur, Vanitas vanitatum. Ita enim solemus quæ sunt insignia notatu, ut florem florum appellantes rosam. De param virginem Mariam, virginem virginum salutantes, omnium supremum regem & Dominum Christum regem regum, & dominantium Dominum vocitantes, quod nomen in sacra Apocalypsi etiam vestimento ipsius & femori inscriptum fuisse legimus. Dicens ergo vanitatem vanitatum, insignem & maximam indicat vanitatem. Deinde quod non contentus semel dixisse, vanitas vanitatum, denuo replicat, atque etiam tertio simpliciter vanitatem enunciat, magnam habet vehementiam. Quemadmodum in Psalmo volens Propheta magno affectu ad laudem Dei fideles inuitare, frequenti replicatione verbi dicit, Psallite Deo nostro, psallite, psallite regi nostro psallite. Et rursus, Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra, Cantate Domino, & benedicite nomini eius. Peculiarem quoque gratiam habet, quod ita premitit iterum atque iterum, vanitas vanitatum, vanitas vanitatum, priusquam indicet de quo loquatur, aut quid sit illud quod velit esse vanitatem

*Vanitas
vanitatum
quid.*

*Apocal.
19.*

*Psal. 48.
Psal. 95.*

- vanitatum: tandem tamen effundens totum spiritum, cum subiūgit, & omnia vanitas, tanquam rem grandem proponens quum non velit nisi sic paulatim detegere. Simili modo in Psalmis magna spiritus alacritate propheta gestiens, dicit, *Afferte Domino patriæ gentiū, afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius.* Et iterum: *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum, afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius.* Prius tātūm dicit afferte, nec quid afferre debeant indicat, sed replicans, afferte, adiungit quod afferri velit: quasi prius parare animum volens ad afferendum, quàm quid sit afferendum indicet.
- Psal. 28.* Sic alibi. *Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas: prius imperfectè & trūcatè loquitur ac postmodum perficit sermonem.* Et rursus, *viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt: bis dicit aquas vidisse Dominum, antequam effectum subsequutum exprimat.* Sic in proposito themate iterum iterūmq; replicat, vanitas vanitatum antequàm quid sit illud quod velit vanitatem dicere, exprimat: quod tandem subnectit dicens, *Et omnia vanitas.*

Porro

Porro huiusmodi abstractis vocibus exaggerationem indicari, etiam ex communi sermone est manifestum, quo hominem insigniter pigrum ipsam pigritiam dicimus, & insigniter liberalem appellamus, liberalitatem, quo etiam modo apud Comicum, seruus sceleratus, scelus dicitur. Si mihi modo loquendi usus est Psalmista, diceens, Verūtamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens. Vbi idem intelligimus per vniuersam vanitatem, quod hīc per vanitatem vanitatum, hoc est, vtrobiq; maximam vanitatem. Et hęc de ipsa tantum forma sermonis propositi. Nunc verò ad sententiam transeuntes videamus, quid sibi velit iste concionator, tale proponens paradoxum. Omnino enim paradoxum quoddam est hoc verbi quod audiuius, nec vsque adeo dissimile illis paradoxis quę differuit Cicero, ex quibus sunt, Omnes stultos insanire; solos sapientes esse liberos, & omnes stultos esse seruos, solos sapiētes esse diuites, aliāq; his similia. Ut enim hęc paradoxa sunt, id est, positiones extraneæ, quę sunt præter cōmunem opinionem & vulgatam sententiam hominum, ita est & hoc thema nostrum quoddam paradoxum. Nempe præter communem hominum opinionē est, omnia esse

Psal. 38.

Paradoxa Ciceronemati nostro similia.

vanitatem, cum bona pars hominum etiam felicitatem suam iis in rebus constituat, quæ iste dicit esse vanitatem, neque simpliciter vanitatem, verum etiam cum singularitatis nota, vanitatem vanitatum. Videamus ergo quomodo paradoxum istud & thema verum sit, & num vnus sententia multorum milium suffragiis sit anteferenda. Aut enim vulgus hominum errare necesse est, aut Ecclesiasten nostrum initio sermonis sui falsum thema proponere. Verum hic meminisse oportet ad finiendam disceptationem, quod in Euangelio Dominus suos monet, ut per angustam portam intrare & arctam viam ambulare contendant, eo quod lata sit porta & spaciofa via erroris, quam & multi perambulant. Hic certe habemus à summo & certissimo iudice Christo, infallibilem pro Ecclesiaste aduersum multitudinem, prolata sententiam, cui nefas sit refragari. Dicat ergo fidenter, Vanitas vanitatum, vanitas vanitatum, & omnia vanitas: tanquam si dicat, Circumspiciens per vniuersa quæ sub sole cernuntur atque geruntur, & secundum eam sapientiam quæ mihi à Deo eminenter est data penitissime singula considerans, deprehendo nihil esse sub sole, neque quicquam in rebus humanis inueniri,

*Matt. 7.
Contra
Christi
vnus sen
tentiã to
tius vulgi
nihil va
let iudi
cium.*

ri, in quo possit statuere homo finē suum, & fœlicitatem sibi constituere: nihil potest inueniri neque extra neque intra hominem, quod ita sit stabile, solidum aut perfectum, vt dignum sit cui homo suum cor apponat & affectum super omnia dedat, in quo possit humanus affectus tanquam in vltimo fine quiescere. Huiusmodi namq; res si quæ esset, talis esse deberet, cui nihil omnino deficeret, & in qua vna haberentur omnia, ita vt desiderari nihil posset quod non in illa haberetur. Alioqui non foret sufficiens ad satiandum hominis desiderium, quod facere debet, id quod, tanquam finis vltimus desideratur. Tale autem nihil esse in omnibus rebus creatis, neq; intra hominem neq; extra hominem, est certissimum: cum in nulla re creata quis possit habere omnia. Rectè ergo dicit, omnia esse vanitatē, id est, vana esse creata omnia. Absit enim, vt cū creatis simul creatorem sapientissimus Ecclesiastes insipiēter intelligat, vt etiam illum velit sub vanitate includere. Idcirco enim omnia sub vanitate includit, vt hunc solum exclusum doceat esse meram veritatem & veram fœlicitatem. Vnde in fine concionis, post conclusionem constitutam. Omnia sunt vanitas, paucis inter-

iectis ita sermonem terminat. Finem lo-

Eccle. 12. quēdi pariter omnes audiamus: Deum time, & mādata eius obserua. Hoc est enim omnis homo, & cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium, pro omni errato, siue bonum siue malum sit. Ex qua conclusio- ne sermonis, manifestum est in themate proposito Deum excludi à vanitate, vt post omnia ipse tanquam vera vna & sola fœlicitas monstraretur. Sed hīc forsitan

Questio de rerum creatarū vanitate. miretur aliquis, omnia creata dici vanita- tem, cum omnia quæ à Deo creata sunt veritatem habeant suæ essentiæ, & verum esse ab illo acceperint. Videtur ergo etiā creatori esse iniurius, qui omnia ipsius o- pera vana asserit. Scribitur item in initio

Gene. 1. Geneseos, vidisse Deum omnia, quæ fece- rat, & erant valde bona. Quod si erant omnia valde bona, quomodo potest quic- quā esse vanitas? Bonum enim & verum conuertuntur. Iterum Psalmista testatur,

Psal. 138. dicens: Mirabilia opera tua Domine, & a-

Psa. 110. nima mea cognoscet nimis. Et alibi, Ma- gna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius. Confessio & magnificen-

Psal. 32. tia opus eius. Ac rursus, Omnia opera e-

Psal. 91. ius in fide. Et iterum, Delectasti me Do- mine in factura tua. Quomodo autē cum his cōstare potest, omnia esse vanitatem?

Quo

Quomodo potest salua religione Ecclesiastes abiicere quæ à Deo creata sunt, vt dicat vanitatem ea esse & vanitatem vanitatum, cum ab ipsa scriptura diuina tantis efferantur præconiis? Verùm hæc omnia non aduersus Ecclesiastis nostri dicta peculiariter obiiciuntur, verumetiam aliquanto apparentius aduersus Davidis patris verbum, qui eodem illustratus spiritu prior cecinit. Vniuersa vanitas, omnis homo viuens. Hominem enim (qui est inter corporalia omnia nobilissimus, & omnium finis) si audet dicere non vanum modò, verumetiam vanitatem vniuersam, de cæteris, quæ propter hominem facta sunt, quid illum sensisse putabimus? Pro harum igitur obiectionum dissolutione, sciendum (iuxta quod fides catholica nos docet) vnicum esse ens primum, & vnã primam essentiam, à qua creata omnia suum esse participant, & vnã item esse bonitatem primam, vnã veritatem, vnã primam perfectionem, à qua cætera omnia bona, vera aut quomodocunque perfecta, suam illam bonitatem, veritatem atque perfectionem accipiunt. Vnde creaturarum essentia, bonitas atque perfectio, non est nisi participium quoddam illius primæ essentia atque bonitatis. Est

autem

Psal. 83-

*Questio-
nis profu-
dior reso-
lutio.*

autem illa prima essentia atq; bonitas so-
la infinita , omnium autem creaturarum
essentia atq; perfectio finita est, & non nisi
scintillula quædam comparata ad immen-
sum lumen, neq; nisi guttula comparatio-
ne ad immensum pelagus. Cùm igitur di-
uina essentia sit infinita, ex qua omne esse
& omnis perfectio omnisque bonitas de-
bet effluere , ita vt sit impossibile aliquid
assignari essentiæ vel bonitatis, quod nõ
ab ea effluerit , consequitur , in ipsa esse
omnia quæcunque cogitari possunt, & o-
mnem comprehensibilem essentiam, bo-
nitatem atq; perfectionem in ipsa inclu-
di , tanquam in fontali principio , ex quo
emanare debēt omnia. Creaturarum verò
essentiæ & perfectiones , quia finitæ sunt,
& tantum quædam participia illius primæ
infinitæ essentiæ, idcirco nulla est creatu-
ra quæ includat in se omnia , sed plurima
sunt præter eam alia atque extranea , quæ
in ipsa non includuntur. Vnicuique enim
creaturæ est tantum sua propria & pecu-
liaris essentia , qua ab aliis rebus diuersi
generis atq; speciei distinguitur : & simi-
liter suæ propriæ perfectionis vnicuique
sunt rei, naturæ propriæ cõuenientes. Cæ-
terum aliarum rerum à quibus secundum
essentiam distinguitur, neq; essentias, ne-
que per

que perfectiones in se continet. Atq; hac consideratione, in singulis creaturis dicimus esse vanitatem, & eam quidem magnam valde, vt si compareretur quod est veritatis vel bonitatis in creatura cū ea quæ sibi inest vanitate, proculdubio longè excedit vanitas vanitatem. In Deo autem, nihil nisi veritas & bonitas inuenietur, & omnino nulla vanitas. Vanitatem enim in creatura defectum accipimus. Sicut enim vnamquaq; creaturam veram & bonam dicimus, consideratione entitatis & bonitatis illius participatæ, ratione videlicet illius quod suprâ diximus participij: ita e contrario vanam dicimus, consideratione defectus ab illa perfecta bonitate atq; essentia. Manifestum est autem in vnaquaq; creatura, si compareretur id quod habet cū eo in quo deficit vel quod ipsi deest, longè superior videtur defectus, & erit infinitū quod deest, comparatione ad id quod habetur. Omnis enim creatura plus habet ipsius non esse (vt ita loquar) & imperfectionis, quàm habeat esse vel perfectiōis. Singulæ enim creaturæ habent tantum esse proprium & propriam essentiam. Habent autem non esse omnium aliarum rerum, & existentium & possibilium, quæ in ipsis non continentur. Deus autem nihil

In singulis creaturarum est vanitatis plurimū.

omni

In Deo omnino habet ipſius non eſſe, eſtque eſſe
nihil eſt perfectum & pleniffimum, cui nullum de-
vanita- ficit eſſe: ſed omnia in ipſo, vt fontali o-
tis. mnis eſſentia & omnis boni principio, cō-
Ro. II. tinentur. Vnde dicit Apoſtolus, quòd ex
I. Co. 8. ipſo, per ipſum & in ipſo ſunt omnia. Et
Ioan. I. alibi, Vnus Deus pater, ex quo omnia. Et
 apud Ioannem dicitur, Omnia in ipſo vi-
 ta erant. In omnibus igitur creaturis, eſſe
 quod in eis eſt, coniunctum eſt cum non
 eſſe, & bonitas cum defectu. In Deo autē
 eſt eſſe purum, omnino ſeparatum à non
 eſſe, & ab eo quàm elongatiſſimum: & cū
 perfectione quæ in ipſo eſt, nullus ſimul
 eſt defectus. Atq; hinc conſequitur in ſo-
 lo Deo nullam reperiri vanitatem, cū
 nullus ſit in eo defectus, nullum non eſſe,
 ſed eſt eſſe pleniffimum & perfectio ſine
 omni defectu, eſtque ipſe ſic perfecta &
 plena eſſentia, bonitas, veritas atque per-
 fectione, vt non ſit in eo locus vlli vanitati,
 imperfectioni, defectui. Cætera autem o-
 mnia, quatenus eſſe habent à Deo parti-
 cipatum, eatenus etiam bona & vera ſunt,
 & eatenus in ſcripturis opera Domini, vt
 bona & magna prædicantur, exquisita
 quoque admiranda & conſideratione di-
 gna, eo quòd nihil ſit operum Domini, in
 quo non reluceat Dei omnipotentia, ſa-
 pientia

piencia & bonitas, à qua necesse est esse omne creatū effluere. Quatenus verò cum suo esse peculiari coniunctum habent non esse, eatenus vanitati sunt subiecta atque defectui. Et quoniam (vt sup. dictum est) plus habent ipsius non esse quàm habent ipsius esse singula creata, quantumuis precellentia, idcirco si re bene libremus, plus vanitatis in eis est atq; defectus, quàm sit veritatis siue bonitatis aut perfectionis.

Atque hoc ipsum est, quod hic profunda consideratione contemplans Ecclesiastes, dicit omnia esse vanitatem: nec hoc contentus, etiam vanitatem vanitatum dicit.

Ex his quoq; quæ iam declarata sunt, relinquatur manifestum, quomodo omnia creata vana sunt, id est, deficientia & insufficientia ad hominem beatificandum, id est, ad hominis mentem & voluntatem implendam. Secundum animam namque rationalem, fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, dans ei intellectum & voluntatem duas potentias nobilissimas, quibus Dei capax esset homo, & deiformis posset effici, & secundum has duas potentias est homo infinitæ capacitatis. Quapropter nec repleti penitus valet, si ab eo quod est infinite & plenissime entitatis atq; bonitatis. Quod enim infinitæ

Creata omnia ad hominem vana sūt.

nitæ est capacitatis, si debeat repleri, necesse est esse aliquid infinitæ virtutis in replendo, à quo repleatur. Nam inter replens finitè & capax infinitè nulla est proportio, propter quod, ab illo hoc repleri non potest. Declarato igitur ex prædictis, quomodo omnia creata sint essentiæ, bonitatis, veritatis, perfectionis tantùm finitæ, adiunctam habentia multam vanitatē & defectum: solus autem Deus ab omni vanitate alienissimus, essentiæ, bonitatem, veritatem habet infinitam atq; perfectissimam, consequenter quoque declaratum constat, quomodo hominis animū nulla creata valeant satiare atque replere, cū sit humanus animus capacitatis infinitæ: nimirum factus ad capiendum bonū infinitum, eoque perfruendum: creata autem omnia non nisi finita sunt, ac proinde infinitè replere non possunt. Neque aliud est quæcunq; creatura in hominis animo, quàm guttula modica in immenso maris alueo, aut puluisculus, vel atomus in totius cælestis ambitus spatio. Hæc omnia plenius ex ipsa radice suo loco declarauimus in libris de cōsideratione rerum naturalium: libro vltimo, per tota duo nouissima capita. Sed hæc forsitan prolixius cuiquam dicta videbūtur. Ego autem Ec-
clesia

clesiaſtis noſtri themati & paradoxo huic magnifico necdum pro dignitate ſatisfactum puto. Neque moleſte ferendam iudico hanc noſtram in proœmio prolixitatem, cùm ſit propoſiti thematis intellectus, velut clavis intelligentiæ, ſine qua ad ſequentia nequaquam patet tranſitus: eritque nobis iſta in proœmio prolixitas adiumento, vt facilius expeditiùſque ſequentia percurramus. Nam (vt ait Poëta) dimidium facti qui bene cœpit, habet. Sed nunc ad ſequentia, themate declarato, pergamus.

Quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo, quo laborat ſub ſole?

Quid magnum (inquit) quid eximium poteſt cõſequi homo, ex vlla creatura, quę ſub ſole eſt, cùm in ea laborem impenderit? Quantumuis quis occupetur in re qua cunq; creata, quantumuis magnum laborem, ſtadium, diligentiam, conſiderationem, affectum ei impēdat, nihil amplius, id eſt, nihil peculiare, nihil eximiũ, nihil magnum, ex ea poterit conſequi, ſic ſcilicet, vt eo poſſit ſuum animum ſatiare. Diligenter autem eſt attendenda particula illa, amplius, pro qua in Græco ponitur *ὑπερβαίνω* periffia. Valet enim idem quod abundans, excellens, magnum, eximium.

Quid amplius, &c.

Mat. 5. Quemadmodum cū in sacro Euangelio Dominus ait, Si salutaueritis fratres vestros tantū, quid amplius facitis? Græce est *τι. πέρυλλον* *ti peryllon*, id est, qd excellens, quid magnum, quid eximium, cuius, scilicet, gratia vobis merces debeat cælestis. Et Paulus 3. cap. ad Roma. Quid ergo amplius est Iudæo? ac deinde quæstionem hanc explicans, apertius subiungit, aut quæ utilitas circumcisionis? Iuxta quē modum etiam hoc in loco verti poterat, Quid utilitatis habet homo ex omni labore suo? quemadmodum quidam ex Hebræo vertunt. Consentit quoq; diuus Gregorius Næocæsariensis episcopus, in sua metaphrasi propositum locū ita enarrans. Non facilè quis vel vnā aliquā recensabit utilitatem cōcinnatā ex omnibus quæ homines super terram reptantes tanto molimine parturiunt. Vigilanter quoque notandum quod signanter dicitur, Ex omni labore quo laborat sub sole, id est, ex omni labore & occupatione quem impedit ei, quod sub sole est, hoc est, rei creatæ. Nam ex eo laborare qui supra solem est, id est, quo se occupat homo in eo quod supra solem est increatum bonum, nempe in Deo, omnino eximiam utilitatem consequitur. Laborare autem dicimus sub sole eum

Labor quidā sub sole, quidā supra solem.

le eum qui circa res creatas & transitorias occupatur, ita vt pede fixo consistat in eis, sine transitu vltiori ad creatorem. Nam si circa creaturā occupamur propter creatorem, aut ad eum transeūdo non iam sub sole labor ille permanet, sed supra solem transcendit, in eum, qui solem condidit.

Generatio praterit, & generatio aduenit: terra autem in aeternum stat. Oritur sol & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens, gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem. Lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.

Sunt circa res creatas hominum occupationes admodum variæ. Qui igitur generali quæstione indicauit, ex omni labore creatis rebus impenso nihil veræ utilitatis solidæq; felicitatis homini prouenire, propositū ostendere volens occupationem illam assumit quæ videtur hominum iudicio ceteris honestior & sublimior, nempe studium sapientiæ atque scientiæ circa occulta & mirabilia naturæ, & in hoc primum ostendit non esse veram felicitatē aut solidam utilitatem. Ad quod monstrandum adducit, quædam in natura magis admirabilia, post quæ enumerata, dicit ea primum quidem non plenè satis posse cō-

prehendi, deinde neque illis satiari hominis desiderium. Quod autē nec plenē habetur, nec habitum satiat hominis desiderium, quid amplius, quid magnum, quid solidæ utilitatis adfert homini, ut possit in illo quiescere? Inter ea autem, quæ mi-

Conseruatio speciei cum indiuiduorum corruptio ne quiddā est in natura mirabile.

rabilia sunt naturæ, vnum est, specierum perpetua conseruatio, cum indiuiduorum continua corruptione. Hoc indicat, dicēs, Generatio præterit & generatio aduenit, terra autem in æternum stat. Sic enim prætereuntibus abeuntibusque patribus nostris, nos successimus: quemadmodum illi suis patribus abeuntibus, in eorum locum successerant, & nobis iterum morte deficientibus, adueniēt posterī. Terra iterum firma in sua subsistētia, & inuariata persistit, similis diuersorio amplo, quod idem manens hospites quotidie diuersos, egrediente vno altero adueniente, sic transeūtes, suscipit. Ita terra semper ab hominibus habitatur, tanquā ab hospitibus trās-euntibus. Non est enim singulorum mora, nisi noctis vnius, summo mane, vbi paululum hīc egerimus, erit nobis emigrandum aliō. Qua consideratione, patres nostri (vt sacer Paulus testatur) peregrinos se testati sunt esse super terram, dicente etiā

Heb. 11. Psalmista, Aduena ego sum, & peregrin⁹, sicut

ficut omnes patres mei. Et rursus, Incola vel inquilinus ego sum in terra. Est alterum in natura spectatu iucundum & mirabile, nempe solis iste motus tam regularis, tam semper eandem legem seruans. Id indicat cum subsequenter ait, Oritur sol & occidit, &c. Per singulos namque dies manet sol oritur & ostendit se mundo, ad ipsum illuminandum, & vespere occidit, seque abscondit ab eo hemisphærio, quod per diem illuminauit: sic partiendo cursum & tempus, vt vtrique terræ hemisphærio semel & oriatur, & occidat quotidie: dum his qui in inferiori sunt hemisphærio oritur, occidens iis qui in superiori, & e contrario, iis qui in inferiori occidens, cum superioribus oritur. Et postquam occiderit sol, à motu non cessat, donec iterum ad locum orientis redeat qui locus eius appellatur, ad eum modum quo hominis natiuus dicitur locus, in quo natus est. Ita solem dicit reuerti in locum suum, id est in orientem, qui locus est ortus vel natiuitatis ipsius. Illuc autem reuertitur vt iterum oriatur, vt denuo se mundo manifestet, quod vocatur renasci. Sicut enim oriri nobis sol dicitur, quando apparere incipit super hemisphærium nostrum: ita renasci dicitur, quando post occasum &

Psal. 118.

Regularis ortus & occasus solis naturæ est miraculum.

absconſionem, rurfum ſe manifeſtat. Gy-
 rat ac voluit ſe ſol per meridiem ad occi-
 dentem, ac deinde ad ſeptentrionem de-
 ſectens, per ipſum ad orientis locum re-
 uertitur. Luſtrat verò ſol vniuerſa in cir-
 cuitu, quia orbem vniuerſum per dies ſin-
 gulos magna celeritate perambulat, re-
 ſpiciens omnia, quæ ſub cælo ſunt, id eſt,
 illuminans & virtute ſua cōtingens, quæ-
 cunque ſub ipſo ſunt, vbicunque locorum
 fuerint, ſiue in oriente, ſiue in occidente,
 ſiue ad ſeptentrionem, ſiue ad meridiem,
 ſemp̄que per dies ſingulos ad conſuetos
 circulos reuertitur, id eſt, ad ſolitas &
 quotidianas circunuolutiones. Nunquàm
 enim ab huiusmodi orbis peragratiōe
 ſol deſiſtit, ſed tanquàm infatigabilis cur-
 ſor perpetuò currit: mōxque vbi circula-
 tionem vel circunuolutionem vnā ab-
 ſoluerit, alteram ſine mora continuato
 curſu incipit. Hoc ipſum miraculum con-
 templans huius Eccleſiaſtis noſtri parens
 Dauid, ſub gigantis fortiter currentis: &
 ſponſi in decore apparentis ſimilitudine,
 aptè depinxit, canens Pſal. 18. In ſole po-
 ſuit tabernaculum ſuum, vel (vt in He-
 bræo ſoli accommodatiùs dicitur) Soli po-
 ſuit tabernaculum in eis nempe cælis, &
 ipſe ſol tanquàm ſponſus procedēs de tha-
 lamo

*Exponi-
 tur locus
 ſcripturæ
 Pſal. 18.*

lamo suo (in exortu suo) Exultauit sicut gigas ad currendam viam (ad percurrendum intra 24. horarum spacium totum mundū) A summo cælo est egressio eius, & occursus siue regressus eius vsque ad summum eius : nec est qui se abscondat à calore eius , hoc est , ab oriente tendit ad occidentem , & reuertitur iterum ad orientem , ita vt nullus vsquàm locus relinquatur expers beneficij luminis & caloris eius. Quem sanè passum , licet secundum præcipuam mysticam intelligentiam certum sit accipiendum, esse de Christo Domino , vero sole iustitiæ (id quod etiam nos in commentariis super Psalmos fecimus) secundum literalem tamen sensum, aptissimè tamen etiam ad solem corporalem & cursum eius celerrimum & regulatissimum possumus applicare, id quod latius ostendimus libro septimo de consideratione rerum naturalium, capite 23. vbi tractatur , quàm honorifica in sacris literis de sole fiat mentio. Manifestum est autem , iuxta iam expositam enarrationem totum hunc passum intelligi non nisi de motu solis diurno, quo intra diei naturalis, id est, 24. horarum spacium, totum orbem percurrit , qui motus à Philosophis vocatur motus raptus ipsius solis, nimirū

Motus quod ita rapiatur sol ad motum primi cæ-
raptus li mobilis , quemadmodum & omnes alij
corpo- cælestes orbés , alieno impetu , non suapte
ris sola natura . Habet verò sol , præter hunc mo-
ris. tum raptus , alterum proprium & natura-
 lem sibi motum eúmque velut priori cõ-
 trarium , quo intra spacium 365. dierum &
 sex horarum (quibus annus constat) semel
 tantùm motum suum absoluit , vadens ab
 occidente ad orientem per circulum obli-
 quum siue zodiacũ . Qui motus solis , dif-
 ferentiam ponit temporum anni , eo mo-
 do quo prior motus raptus differentiam
 ponit noctis atque diei . De quorum mo-
 tuum distinctione , quomodo fiant , quo-
 modo simul stare possint , quomodo con-
 trarij sint & contrario ordine fiant , aliãq;
 quæ ad hanc rem pertinent , plenè suo lo-
 co tractauimus , septimo libro de confide-
 ratione rerum naturalium , 14. 15. & 16. ca-
 pitulis . Et quanquam in præcedentibus
 totum hunc locum exposuimus de motu
 diurno , posset tamen nõ incommodè etiã
 de motu annuo exponi , in hunc modum :
 Oritur sol , tempore verno , quando post
 æquinoctium vernale indies magis ac ma-
 gis se nobis profert , efficitúrque nobis vi-
 cinior , & supra nostrum hemisphærium
 longiores incipit moras trahere , produ-
 cens

cens dies & noctes abbrevians. Occidit verò in autumno, quando post autumnale æquinoctium paulatim se nobis subducit, efficiturque nostris antipodibus vicinior, & magis se illis ostentat, noctes sic nobis prolongans, & dies abbrevians. Gyrat per meridiem, tempore hyemis, & flectitur ad aquilonem tempore æstatis. Pro cuius intellectu sciendum est totum circulum zodiacum, quem hoc motu sol intra annum vnum perambulat, diuidi in duodecim signa intra quorum quodlibet vno mense commoratur. Horum sex vocantur meridionalia, australia vel antarctica, eo quòd ad meridiem tendant, vnde surgit ventus auster, tenduntque versus polum antarcticum. Hæc sunt, Libra, Scorpium, Sagittarius, Capricornus, Aquarius & Pisces. In his sol moratur tempore autumnii & hyemis. Sex autem reliqua signa nempe Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, vocantur signa septentrionalia, borealia, vel arctica, eo quòd ab æquinoctiali tendant ad septentrionem, vnde flat Boreas, & versus polum arcticum tendunt. Et in his commoratur sol, tempore veris & æstatis. Ita intelligitur sol tempore hyemis gyrare per meridiem, & flecti ad aquilonem siue septentrionem per tem-

pus ætatis. Lustrat quoque sol hoc motu omnia in circuitu, & reuertitur in circulos suos, quoniam omnia zodiaci signa pertransit, totumque orbem in illo obliquo circulo peragrat, ac deinde post absolutam circulationem vnã postquam eo rediit vnde exiuit in vere, rursus circulationem nouam incipit, iterum renascens: sicque semper in circulos suos reuertitur, cursu infatigabili. Superest verò, ad plenã præsentis loci explanationẽ & illud edisserere, quam ob causam impræsentiarum spiritus nomine solem appellarit noster Ecclesiastes: maximè cum non sit scripturarum consuetudo, vt per spiritum solem significet. In promptu est ratio ex efficacia virtutis, qua super omnes inferiores generationi & corruptioni subiectas creaturas præualet. Ipse namque suæ virtutis influxu, causa est generationis rerum omnium, iuxta quod ait Aristoteles, hominem ex materia ab homine simul & sole generari: propter quod etiam à Poëtis patet deorumque hominumque meruit appellari. Id quod apertissimè etiam oculis cernimus, veris tempore ipso oriente, totam faciem terræ renouari, omnia reuiuiscere & reuirescere, vitamque & vigorem vnã cum virore recipere, quæ per hyemis

tempus

*Quare
sol appel-
letur spi-
ritus.*

tempus ob ipsius absentiam iacuerāt languida, aut latebant emortua. Denique, & vulgo eum, qui vitam lætam adferre solitus sit cōuiuio aut collegio cuiuslibet alio- qui moroso & plus nimio graui, animam aut spiritum collegij vel cōuiuij talis nomināmus, quod sine illo reliqui tristes, & quasi emortui torpeant in grauedine sua, huius verò vnius lepiditate ac facetiis prouocentur vniuersi ad risum atque lætitiā. Quomodo non ergo iure optimo solem dixerimus spiritum mundi, qui suo aduentu tam mirificè oblectat viuētia omnia, qui suo decore sic vestit, ornat & mouet omnia, quo iterum absente iacent omnia languida & marcida, aut etiā mortua pereunt? Olympiodorus Græcus author & alteram assignat rationem, dicēs, solem appellari spiritum, ratione celerissimi motus, quo rapitur, ad modum venti, qui agitur velocissimè. Nonnulli verò ventum intelligūt hoc loco per spiritum, ex quibus est Gregorius Næocæsariensis in sua metaphrasi. Ventus enim gyrando lustrat omnia in circuitu, flans ad orientē, occidentem, meridiem, & septentrionem, & in circulos suos deinde reuertitur, eò rediens, vnde venit, illicque quiescens. Nos autem priorem sententiā vt magis veri

*Olympio
dori sen-
tentiā.*

*Gregorij
Næocæsariensis sen-
tentiā.*

gis verisimilem , & pluribus sacris commentatoribus consentaneam, huic præferimus. Subsequitur verò dehinc tertium in rebus naturalibus miraculum: quod est de fluminum perpetuo cursu & mari , de quo consequenter subiungit dicens:

Omnia flumina intrant in mare , & mare non redundat. Ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.

De generatione fontium, & fluminum varia sententia.

De generatione fontium & fluiorum, vetus apud Philosophos quæstio est, quod sit ipsorum principium, quibusdam dicentibus, intra terram concauitates esse magnas, illicque ex pluuiâ aquas multas congregari, quæ deinde effluunt. Verum id tanquam vero ab simile, ab Aristotele refellitur, in libris de Meteorologicis impressionibus. Ponit autem alium generationis modum, ex aëre intra terræ poros illapso, ibique per frigus condensato in aquæ guttas, ex quarum confluxu per occultos ad hoc à natura paratos cannalium meatus, fontibus datur principium: ex quibus deinde etiam flumina oriuntur nonnunquam magna admodum, ac velut maria quædam, ex magnis potissimum montibus, sicut ex paruis montibus paruos videmus oriri fontes & flumina modica. Quam sententiam nos quoque sequuti sumus,

mus, vt admodum verifimilem & experiē-
 tiæ fatiſ cōſentaneam, 6. lib. de confidera-
 tione rerum naturalium, capitu. 7. in quo
 tractatur de fontium & fluuiorum gene-
 rationibus. Verùm huic ſententię videtur
 repugnare Eccleſiaſtis noſtri ſentētia, cui
 non ſolùm in diuinis rebus, verumetiam
 in humanis plus fidei deberi videſ, quàm
 Ariſtoteſi, licet Philoſophorum naturaliũ
 principi. Ait enim, omnia flumina in mare
 intrare, & mare non redundare, ſubiun-
 gens deinde, Ad locum vnde exeunt flu-
 mina reuertuntur, vt iterum fluant. Qui-
 bus verbis indicare videtur ſapiētiffimus
 Salomon, flumina à mari ortum habere.
 Ait enim, ipſa redire vnde exeunt. Red-
 eunt autem ad mare: Igitur à mari exeūt.
 Sed aduertendum eſt, cautè admodum lo-
 quutum eſſe Eccleſiaſten, cùm priori loco
 vniuerſaliter loquatur, dicens, Omnia flu-
 mina intrant in mare, & mare non redun-
 dat. Habet enim hoc indubitata verita-
 tem, neque apud vllos philoſophorum eſt
 ambiguitas. Non enim difficultas verſa-
 tur inter philoſophos, quò vadant, ſed vn-
 de oriantur flumina. Verùm in eo quod
 ſtatim ſubſequitur. Ad locum vnde exeūt
 flumina reuertūtur, vt iterum fluant, illic
 nō vniuerſaliter nūciauit, nec dixit omnia
 flumina

*Videtur
 Eccleſia-
 ſtes aduer-
 ſari Ari-
 ſto.*

flumina illuc reuerti vt iterum fluant. Ad cuius veritatem, cum pro particulari, indefinita illa enunciatio accipitur, sufficit, aliqua flumina ex mari habere initium: id quod prædictæ opinioni non repugnat. Quemadmodum puteos quosdam satis apparens est à vicinis aut propè fluentibus fluuiis, colatis per terram aquis, habere suam originem, quod quidem satis monstrat aquarum, quæ in ipsis sunt incrementum & decrementum, cum fluuio vnde implentur. Verumtamen in vniuersum de omnibus puteis, & fontibus id existimare, iis etiam quæ longissimè ab omni fluuio distant atque à mari, non videtur multum verisimile. Vnde inter sapientissimi Ecclesiasticis & Philosophorum principis Aristotelis sententias medijs, imò cum vtroque consentientes, quantum ad fluminum generationem arbitramur, quædam à mari per occultos meatus subterraneos à sagacissima natura & eius directore Deo ad hoc præparatos, suam habere originem, alia verò (iuxta Aristotelis supra narratam sententiam) aliter generari, & ex mari nec mediata nec immediate procedere. Ecclesiastici autem nostro impræsentiarum sufficit, aliqua esse huiusmodi flumina, quæ in mare reflu

*Concordia appa-
rentis dis-
sensionis.*

re refluunt vnde exeunt. Imò aliqua parte auget miraculum nostra sententia, quòd flumina etiam illa in mare intrant quæ ex ipso non procedunt, nec tamen redundet, & minus erit miraculum, si dicamus, omnia flumina ex mari prodire. Non enim mirum, si non redundet mare, illo supposito, cum quantum in mare ex fluminibus influit ex parte vna, tantundem effluat vel amplius ex parte altera. Quod igitur erit miraculum, omnibus fluminibus in mare intrantibus, ipsum non redundare, si omnia ex ipso dicantur effluere? Erit autem meritò admirandum, in mare labentibus continuò fluminibus, iis etiam quæ ex ipso non procedunt, iisque tam multis & magnis plærisque, ipsum tamen non redundare. Denique, etiam si vniuersalis esset enunciatio Ecclesiasticis, etiam sic ex originali lectione Hebræa seruari posset supradiçta sententia. Ex originali namque Hebræo sic verti potest: Ad locum quò pergunt flumina reuertuntur, vt fluant. Non est enim in Hebræo particula, iterum. Quod si vniuersaliter intelligatur, hunc habebit sensum cum præcedenti continuatum. Omnia flumina intrant in mare, ipsum tamen non redundat: Et omnia hæc flumina sic reuertuntur

tuntur, vel currunt ad locum quò pergūt, id est, ad mare, propter hoc vt amplius fluant. Nisi enim esset pelagus quod fluminum aquas fluentes in se absorberet, non possent perpetuò fluere flumina. Sisterētur enim aquæ, ne possent suum seruare fluxum, & iam crescerent tantum extra alueos, ad implendum terram, non autem fluerent. Ad hoc igitur pergunt, quò pergunt, id est, ad immensum pelagus, in quo absorbentur continuò aduenientes aquæ, vt habeant suum fluxum flumina. Nec obstat, nisi quod dicitur, reuertuntur, quo verbo videtur significari regressus ad id vnde exierant. Verum id facile accipietur, vt positum loco verbi, proficiscuntur, maximè ad locum suum natiuum, qui est elementum aquæ. Vnde quemadmodum spiritus hominis cum ad cælum vadit, dicitur reuerti in locum suum, cum tamen nunquam illic fuerit, eo quòd illic est locus ipsi deputatus, ad quem inhabitandum est creatus, item filij exulum parentum nati in exilio, dicuntur redire in terram suam, etiamsi nunquam in ea fuerint, eo quòd ad natiuum locum pergunt, ita dici possunt omnes aquæ reuerti in mare, eò quòd illic locus sit natiuus aquæ. Sicut enim omnis aër festinat ad elementum suum cõiungi

Eccle. 12.

iungi, & omnis terra & ignis, sic omnes aquæ ad locum aquæ naturalem (qui est locus maris) properant. Similiter nihil obstat quod dicitur: Ut iterum fluant. Primum enim illud, iterum (ut iam diximus) Hebræa non habent, sed tantum, ut fluant. Deinde potest, iterum, accipi non admodum improprie, pro amplius vel adhuc in hunc sensum: Ut adhuc fluant, vel amplius fluant, id est, ut in suo fluxu maneant. Non enim hoc loco particula, iterum, tam interruptionem quam continuationem significat. Denique ex lectione græca & antiqua æditione latina, commoda satis inuenitur huius difficultatis dissolutio. Pro fluminibus namque torrentes illic legimus. Vnde *Hieronymi expositio moralis.* & Hieronymus in commentariis secundum moralem sensum hominibus dictum istud accommodans, signanter notat dici, torrentes, non flumina, eò quod citò intercidant. De torrentibus autem quod à mari ortum habeant, rursusque eò redeant secundum physicam rationem ita intelligitur, quoniam à mari per virtutem solis eleuantur vapores aquei, qui condensati in nubes, atque in aquam conuersi, pluendo in terram decidunt, torrentesque efficiunt, qui congregantur ex pluuiis: atque ita rursus in mare redeunt ut aquæ cæterorum fluminum.

Olympio- Quam expositionem ne quis vt commen-
dori emar titiam reiiciat, Olympiodorus Græcus au-
ratio. thor peruerustus, vt præcipuam secundū
Amos 5. literam præsentis loci intelligentiam po-
 nit ad idem propositum illud quoque ad-
 ducens quod in Amos Propheta legitur:
 Qui vocat aquas maris: & effundit eas su-
 per faciem terræ.

*Cunctæ res difficiles, non potest eas homo ex-
 plicare sermone. Non saturatur oculus visu,
 nec auris auditu impletur.*

Post enumerata tria dignissima naturæ
 spectacula, difficultatē deinde ponit, quæ
 est in cognoscendo & explicando naturæ
 culta: inquiring, non sine difficultate ma-
 gna comparari posse rerum cognitionē.
 Ac deinde insufficientiam adeptæ cog-
 nitionis aperit, adiungens, Non satiatur o-
 culus visu, nec auris auditu impletur. Quæ
 duo arguūt magnam vanitatem huic oc-
 cupationi circa res cognoscendas inesse,
 vt ibi hominis animus nō debeat nec pos-
 sit sibi finem statuere. Quod enim magno
 labore tandem vix adipiscimur, idque ad-
 modum modicè & cum acquisitum fuerit
 non satiat animum, manifestum est vani-
 tatem habere, ea parte qua hominis re-

Omnes res linqvit inquietum animum. Profectò au-
difficiles tem verbum verum est, res omnes diffi-
 les

les esse cognitu. Videmus enim homines *cognitu*
 præstantissimo ingenio, qui dies ac no- *atque ex-*
 ctes consyderationi rerum insistant, post *plicatu.*
 inexhaustos labores, post multa studiis in-
 sumpta tempora vix paucula quædã pos-
 se comprehendere: ita vt si ea, quæ tenent
 intellecta, conferantur cum iis, quæ igno-
 rant, absque proportione multò plura &
 maiora probentur ignorare, quàm scire.
 Porro de difficultate, quæ est in explican-
 do, manifestum est, eam consequi ad diffi-
 cilem comprehensionẽ rerum. Cùm enim
 vox ipsa vel scriptura (iuxta Aristotelis
 verbum) eorum, quæ sunt in mente sit no-
 ta vel iudicium, impossibile est verbo aut
 scripto quẽquam rectè explicare quod nõ
 habeat cognitum. Si igitur ad cõpren-
 dendum & intelligendum sunt cuncte res
 difficiles, erunt item difficiles ad explicã-
 dum sermone. Imò plerisq; difficilius est
 rem explicare, quàm intelligere. Sunt
 enim nonnulli qui res fœliciter satis ap-
 prehendant: propter defectum tamen fa-
 cundia atque necessarię eloquentię, quod
 intelligunt expedite satis non valent ex-
 primere, tametsi plærunq; bonam apprehen-
 sionẽ sequatur bona explicatio. Quæ
 enim melius nouimus, siue intelligimus
 (iuxta sacri Hieronymi verbum) melius

& proferimus. Vnde in difficultate hac
 explicationis tacitè innuitur tenuitas ade-
 ptæ cognitionis. Quomodo item homi-
 nis oculus non possit satiari visu, nec au-
 ris auditu, experientia certissima docet.
 Imò quò plura videmus quò plura audi-
 mus, eò semper pluriora & videre & audi-
 re cupimus. Certè exemplum huius egre-
 gium in Apollonio describit beatus Hie-
 ronymus in epistola ad Paulinum, de o-
 mnibus diuinæ historiæ libris. Quem in-
 signem siue magum siue philosophū, Per-
 sas ait intrasse, Caucasum pertransisse, Al-
 banos quoque, Scithas, Massagetas, opu-
 lentissima Indiæ regna, penetrasse: & ad
 extremum, latissimo Physon amne trans-
 misso, ad Brachmanas peruenisse, vt Iar-
 cham in throno sedentē aureo & de Tan-
 tali fonte potantem, inter paucos discipu-
 los, de natura, deque motibus syderum ac
 dierum cursu audiret docentem. Inde per
 Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos,
 Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Ara-
 bes, Palæstinos reuersum Alexandriam,
 perrexisse. Aethiopiam, vt gymnosophi-
 stas & famosissimam solis mensam vide-
 ret in sabulo. Ac tandem concludens nar-
 rationem, ait, Inuenit vir ille vbique quod
 disceret, & semper proficiens, semper se
 melior

*Hierony.
ad Pau-
linum.*

melior fieret. Ecce quomodo nunquã impletur oculus visu, nunquã satiatur auris auditu. Est tamen hoc aduertendũ, istã insatiabilitatem oculorum & aurium, quę deprehenditur in hominibus, non ex ipsis esse potentiis sensitivis (cũ non sit vlla potentia corporalis ex se, nisi finitę capacitatis) sed ex cõiunctione, cum intellectu procedit. Vnde quod dicitur, oculum non impleri visu, nec auditu aurem, infinitam auiditatem, & capacitatem intellectus ac voluntatis indicat. In brutis namq; facillẽ oculus visu impletur, & auditus quolibet sono. Itidẽq; in hominibus, quãtum ex ipsorum sensuũ natura, facillẽ satiarentur oculus & auris, nisi intellectus & voluntas interius essent insatiabiles: quę cum id quod desiderãt, per sensus hos duos potissimum debeant sibi comparare, hinc fit, vt nunquam requiescere patiantur aurem ab audiendo, & à videndo oculum. Est enim intellectus quasi avarus quidã Dominus, qui quò plura habet, eò ampliora concupiscit. Oculus autem & auris, duo sunt serui præcipui & ministri intellectus, per quos omnem suam negotiationem exercere debet avarus Dominus. Nullius quippe rei potest acquirere pro statu isto notitiã intellectus humanus, nisi

*Vnde pro
cedat insa-
tiabilis ap-
petitus o-
culorũ at-
que au-
rium.*

*Compara
tio apta
proposito.*

quã ex sensibus venatur, inter quos præcipui sunt visus & auditus, quemadmodum latè ostendimus lib. II. de consideratione rerum naturalium cap. 7. & libri noni ca. 14. ac aliis aliquot locis. Quomodo autem serui illi huius avari domini, ex se quidem magis ocium amant quàm laboris molestiam, nec ad plura acquirenda sunt solliciti, agitatur tamen illos perpetuò & fatigatur cupiditas domini, ut nunquam eis liceat quiescere, quin semper alicuius rei ad parandum lucrum sint intenti, ita profectò oculus & auris ex se facillè & citò saturantur, sed dominus ille avarus internè latitans & semper lucri aliquid fictiendi id est, noui aliquid cognoscere desiderans, intellectu non finit illos quiescere, sine quibus nihil sibi potest acquirere. Ferè quoque consimili ratione euenit, ut cum brutorum gulæ facillè & citò possit satisfieri, ita ut etiam caput vltro auertant à potu & pabulo, ventre impleto, solus tamen homo nullum penitus modum in his obseruet, etiam cum venter iam ad crepitem proximus est, cessare nesciens ab ingurgitatione. Fatigatur enim linguã praua mens & peruersus affectus internè habitans, ipsamque iam olim saturam & cupientem à potu, cibòque requiem, ad nau
seam

seam vsque onerat & excrutiat. Cuius rei radicem plenius tractauimus libri de Cōsyderatione rerum naturalium octaui capite vltimo, similiter & duodecimi vigesimo sexto.

*Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est.
Quid est quod factum est? Ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere. Ecce hoc recens est. Iam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt ante nos. Non est priorum memoria, sed nec eorum quidem quæ postea futura sunt, erit recordatio apud eos qui futuri sunt in nouissimo.*

Vulgatum est illud Terentij verbum, Nihil est dictum quod nō dictū sit prius. *Terent.*
Et Aristoteles ait, Necessarium esse vt *Aristo.*
infinites eadē recurrant opiniones, mundi æternitate supposita: putans videlicet eas opiniones, quæ à posteris primitus inueniri videntur, frequenter & ab aliis prioribus fuisse inuentas, sed à memoria periisse hominum. Quod isti de opinionibus & sermonibus dicunt, id ipsum & de rebus quæ sub sole fiunt, Ecclesiastes hic asserit, nihil videlicet apud posteros sub sole nouum contingere. Arbitror autem ista secundum hyperbolem esse accipienda, non iuxta rigidam verborum si-

Quomodo nihil nouū sub sole.

gnificationem. Non enim negare possumus, quin interdū noui aliquid appareat aut contingat, cuiusmodi priora secula non viderunt. Alioqui, nōne quotidie ars humana adinuenit aliqua, quæ apud maiores nunquam fuere inuēta? Esto, in multis eadem recurrant, quæ olim ante pleraque secula similiter fiebant, omnino tamen videtur verisimile, humanum ingenium subinde noui aliquid sua infatigabili curiositate adinuenire, quod priora nūquam habuerint secula, quo etiam modo illa Terentij & Aristotelis verba oportet accipi, si generalem debeāt veritatem habere. Hoc itaq; puto significari præsentī sermone, eundem in mūdo rerum statum permanere, si totum ipsum spectemus vniuersum, & penè omnia se habere similiter in seculis posterioribus, atq; in prioribus sese habuerunt, tametsi quandoque multa iudicent homines noua & nūquam visa, propter defectum memoriæ, quam tempus absument. Atq; in hoc sensu indubiè verus est sermo Ecclesiasticus. Siue enim superiora respicimus, cælos videlicet, solem, lunam & stellas, omnia nunc in mouendo luménq; dando & recipiendo, eandem seruant regulam, quam ab initio. Vt patrum nostrorum tēporibus circunuolueba

uebatur cælum per dies singulos, & simul in cælo sol, ab oriēte ad occidentem, ac rursus ad oriētem, intra 24. horarum spacium: ita eodem in statu cernuntur hæc omnia. Vide ipsam temporum varietatem & dispositionem variam, æstatē, hyemem, ver & autumnum: eādem habemus etiam nunc distinctionem. Temporibus patrum interdum pluuia, interdum grando, interdum nix, interdum ros, interdum pruina, & singula iuxta temporum conditionem: nunc caumata, nunc frigora, atq; ita in ceteris. Nonne & nunc ista similiter ordinata & mortalibus necessaria vicissitudine cernimus aduenire desuper? Vide mare, quod fuit ab initio plenum omnigenis piscibus, quemadmodum à Deo creatum, & fœcundatum fuit. Vide terram aquis discoopertam, vt ab initio, herbisq; & arboribus fructiferis diuersi generis ornatam, qualis etiam modò cernitur. Vide deinde & quæ in hominibus aguntur. Considera conditiones puerorum. Proculdubio quales nos iam pueros videmus coram nobis ludentes, cursitantes, rebus nihili sese oblectantes, frustra sese fatigantes, tales & nos extitimus, cum essemus paruuli, id quod & Paulus agnoscebat, quanquam olim tunc è pueris excessisset, cum dice-

In moribus hominum eadem est quæ fuit ab initio diuersitas.
1. Co. 13.

ret: Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus. Ita de adolescentibus prodigis, ab omni cura vacuis, & ad lasciuiam omnem procliuibus. Ita de senibus morosis, frigidis, & plus solito tenacioribus. Considera regna, regiones, oppida, videmus omnia vt ab initio. Vt olim libido regnandi in principibus tumultus semper maximos excitauit orbi, ita facit etiam hodie: sicut in prioribus seculis, quibusdam fuit studium opprimendi rempub. aliis in libertatem asserendi, verùm hi illis semper extitere pauciores, & plerunq; infœlicem sortiti sunt exitum, quod ad corpus attinet: ita & nunc respondent omnia. Desino per plura discurrere, ne in re satis per se lucida, superuacaneas moras traham. Nunc verò ipsa Ecclesiasticis verba summam exposita, particularius, lucidiúsque explicemus. Quid est (inquit) quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? Ipsum quod faciendum est, quasi dicat, Quod factum est aut fuit in prioribus generationibus, id fiet & in subsequuturis generationibus: similiter idem erit status mundi, & creatorum omnium post nostram etatem, qui nunc est & antè fuit. Potest quoque in eundem sensum dici, Quid est quod erit?

*Expositio
literæ text
841.*

Ipsam

Ipsū quod fuit. Quid est quod fiet? Ipsū quod factum est. Id ipsum clarius explicat quod sequitur: Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est. Vix enim quicquam potest demonstra-
 ri, quantumuis mihi aut tibi videatur nouū, quod non in prioribus seculis ita fuerit. Quòd si quis exclamans obiiciat: quanta nos quotidie euenire videmus, quæ nūquam antè vidimus, imò neque facta audiui-
 mus. Pergat videre quod in textu sequitur, & erit dissoluta obiectio. Non est (inquit) priorum memoria. Hinc enim multa nobis nostra ætate admodum noua videntur, quòd rerum antè gestarum ab initio seculi penè nulla sit memoria. Esto enim, aliqua sint in historiis posteri-
 tati tradita. Quota pars est hæc eorum quæ facta sunt? Ne milesima quidem, imò vix miculæ sunt aut frustula. Dic enim, obsecro te, ex omnibus iis quæ gesta sunt in ætate prima, quæ ab Adam, ad Noe vsque per annos 1656. protensa fuit, quid ad nos peruenit, nisi admodum paucula, quæ diuinus Moyses in exordio Geneseos descripsit? Deinde, de ætate secunda quæ à Noe incepit, quàm sunt omnia fabulis & figmentis poëtarum inuoluta, quàm nihil certi, nisi rursus paucula quædam: ex mil-
 le non

Paucissimorum posteris traditur memoria.

le non vnus particula, quæ sacra nobis tradit historia, vel si quæ etiam est alia ex prophanis digna fide narratio? Sic & de aliis ætatibus dicimus. Denique, vt etiam exactè plenissimèq; essent descripta omnia, neq; vel vnum aliquid esset omissum ex omnibus memorabilibus omniũ gentium, nemini tamen posset omnium istorum esse memoria. Quis enim tot milibus librorum euoluendis, legēdis, & memoria tenendis possit sufficere? Ioannes Euangelista testatur, nec ipsum mundum posse capere libros qui tantum de factis ac dictis vnus hominis Christi essent cõponendi, si conscribi deberēt omnia, quid ergo, si singula singulorum temporum dicta & facta conscriberentur? Quasi igitur nulla est nobis antè gestorum memoria. Atque ita quæ in seculis statim venturis fient, non erit eorum memoria in longè distātibus posterioribus generationibus. Atq; hinc fit, vt semper velut noua videantur posteris omnia, aut certè plurima, cum ante plura secula eadem illa sic euenerint, neq; nobis noua modò viderentur, si olim in patrum seculis vixissemus ad hæc vsq; tempora. Huius rei euidentis argumētum habemus in sensibus, qui ob modicā admodum paucorum annorū ætatem, multa quasi

Ioan. vlt.

quasi vetera despiciunt & nihil faciunt, quæ minores ætate velut mira & noua suspiciunt. Hanc enim facilem circa omnia admirationem, facit ignorantia & inexperientia. Vnde mihi videtur nos qui in mundo agimus, similes esse peregrinis, qui per locum quemlibet transeuntes, si quid vident quod antè nō viderint, statim admirantur atq; suspiciunt, cū interim ij qui in loco illo moram lōgiorem protraxerunt nihil illorum admirentur: atq; etiam ipsi primum admirantes si diutius eodem in loco demorentur, suspicere illa desinēt, postquam noua habere desierint. Sic sanè cū in mundum venimus, tanquam peregrini, neq; nisi ad diem vnum aut alterū demorari in eo permittimur, videntur nobis noua omnia, penè quæ in eo cernimus: vbi si nobis prolixum comorationis tempus daretur plurimum seculorum, plurima vt vetera desineremus mirari. His ita particulatim expositis, restat inspicere dictorum ipsorum cum præcedentibus connexionem. Dixerat paulo ante, neq; oculum videndo, neq; aurem audiendo impleri, sed semper alia atq; alia quæ videantur vel audiātur inquirere. Inquirunt autem naturali desiderio semper noui aliquid, vt oculus videre semper no-

Peregrini p̄ ignota loca transeuntibus assimulantur ho mines in mundo agentes.

ua quærit, & auris semper noua audire.
 Nam licet de curiosis supra modum Athe-
Act. 17. nienſibus hoc ita peculiariter ſcriptum le-
 gamus, ad nihil aliud eos vacaſſe quàm vt
 noui ſemper aliquid vel dicerent vel audi-
 rent, ſecundum aliquam tamen partē ge-
 neraliter ferè omnibus id cōuenit. Omnes
 quippe nouorum percupidi ſumus, ſem-
 p̄erq; noui aliquid videre vel audire geſti-
 mus. Huic autem propoſito aptè coniun-
 gitur, quod ſequitur: Quid eſt quod fuit?
 Ipſum quod futurum eſt. Quid eſt quod
 factum eſt? Ipſum quod faciendum eſt,
 & nihil nouum ſub ſole. Sic enim proba-
 tur, maximè vanum eſſe hominis deſide-
 rium & occupationem ſenſuum circa re-
 rum vanarum cognitionem. Cùm enim
 ſine ceſſatione oculus & auris noua quæ-
 rant, & ſub ſole nihil inueniatur nouum,
 ſed vetera ſint omnia, proculdubio conſequi-
 tur, minimè poſſe impleri aurium atque
 oculorum deſiderium. Noua enim ſem-
 per videre & audire quærunt, cùm ſecun-
 dum veritatem noua nulla ſint ſub ſole,
 ac proinde quærunt quod ſecundum veri-
 tatem minimè inuenire valent. Et quo-
 modo in tali occupatione poſſet conſiſte-
 re fœlicitas?

*Ego Eccleſiaſtes fui rex Iſrael, in Hieru-
 ſalem,*

*Salem, & proposui in animo meo querere
& inuestigare sapienter de omnibus quæ
sunt sub sole. Hanc occupationem pesti-
mam dedit Deus filijs hominum, vt occu-
parentur in ea.*

Quod suprà ratione ostendit, vanita-
tem inesse considerationi rerum creatarum, id nunc quoq; experientia (quæ plurimum habet ad persuadendum momenti) confirmat, dicens, Ego qui loquor, vt expertus loquor ea quæ prædico. Fui siquidem ego rex magnificus super vniuersum populum Israël, caput & metropolim regni mei habens insignem ciuitatem Hierusalem, fuitq; propositum & desiderium cordis mei, de omnibus quæ sunt sub cælo & de cunctis creatis diligenter querere & inuestigare eorum naturas, causas, qualitates & perfectiones, paruiq; meo desiderio, & perquisiui diligenter omnia, & de cunctis sapienter disserui, & post omnia aduerti, in hoc esse magnam vanitatem, nec vlllo pacto hac occupatione animū fatiari quietū me constitui, & deprehendi hanc occupationem malam permittere Deum in hominibus, per quā occupantur & detinētur à rebus melioribus, & iis quæ magis erāt cognitu necessaria. Verè enim malam esse & admodum mortalium ani-
mis

Expertus loquitur Salomon de vanitate rerum.

mis noxiam hanc curiosam, nimisq; sollicitam creaturarum considerationem, monstrat ipsum Salomonis huius exemplum, qui postquam hæc omnia sic contēplatus fuisset atq; disseruisset, tandem à Deo per alienigenas mulieres se scēdissimè abduci permisit, dūmque ita curiosè minimas etiā perquireret creaturas, ita vt nec hyssopum in pariete intactam relinqueret, maximum omnium creatorem Deū perdidit & ignorauit: cuius mandatis recogitandis, quàm occultis rerum naturis & viribus perscrutandis, longè intendisset utilius. Monstrant hoc ipsum & Philosophorum atq; Magorum antiquorum exempla, qui noctu diūq; creaturarum inhærentes considerationi, oblitī sunt creatoris omnium: & (iuxta apostoli Pauli vocem)

Rom. I. non eum sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis, & factum est insipiens cor

Nota mo
dū loquen
di scriptu
ris vsta-
tum. eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Cæterum illud aduertendum est, quod dicitur: Hæc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, vt occuparentur in ea, accipiendum esse iuxta scripturarum consuetudinem, vt dare

Rom. I. apud Paulum dicitur Deus dedisse Gētes
in sen

in sensum reprobum, & tradidisse in passionem ignominiae, & in desideria cordis eorum. Particulam quoque, ut, non tam sine quam consequutionem significare. Deo enim hanc occupationem mortalibus permittente, consequitur, ut homines male sibi consulentes curiosa sectentur, & in ea re se occupent, quae est minus utilis. Non est tamen hoc ex loco colligendum, simpliciter malam & damnandam rem esse, rerum naturalium & creaturarum considerationem, si & modum & ordinem debitum habeat. Modum quidem, ut non nimium apponatur sollicitudinis, utque superba curiositas absit, quae plerumque talium rerum perquisitioni se admiscet. Ordinem vero, ut non nisi ad creatoris gloriam creaturae consideratione dirigatur. Sic enim (iuxta Pauli verbum) Inuisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Et (iuxta alterius Sapientis sententiam) à magnitudine speciei & creature cognoscibiliter poterit creator operum mirabilium quae mundus iste habet videri, & cum specie delectantur mirabilium quae habet mundus, virtutemque & opera eorum mirati fuerint, intelligere ex his poterunt, quanto eorum dominator speciosior est, qui haec

*Quomodo consideratio-
ni creaturarum
vacandum.*

Ro. I.

Sap. 13.

omnia cōstituit, & quantò fortior est illis
 qui de nihilo fecit omnia. Hoc sanè mo-
Psal. 138. do & hoc ordine considerabat sanctus Da-
Psal. 103. uid opera Dei, cū diceret, Mirabilia o-
 pera tua, & anima mea cognoscet nimis.
 Hoc modo in *Psal.* 103. omnem creaturā
 diligenter considerat, vsque ad auiculas
 cantillantes iuxta fonticulos in petris, &
 pisces natitantes in æquore. Sic tres illi
Danie. 3. Hebræi pueri in fornace ignis ardentis,
 ex omnibus Deo laudem, illo suo solenni
 cantico, cecinerunt.

*Vidi quæ sūt cuncta sub sole, & ecce vniuer-
 sa vanitas & afflictio spiritus. Perversi dif-
 ficile corriguntur, & stultorum infinitus est
 numerus.*

Haftenus egit de consideratione rerum
 naturaliū & occupationi circa eas docuit
 inesse vanitatem, quæ speculatiua cog-
 nitio dicitur. Nunc videtur ad praxim pro-
 cedere, id est ad occupationē quæ est circa
 res agendas, circa ea quæ aguntur in mū-
 do, quæ est practica siue moralis confide-
 titio: ostenditque, etiam in hac occupatio-
 ne, vt in se considerata, inesse vanitatem.
 Vidi (inquit) cuncta quæ fiunt quæue ge-
 rantur super terram, siue sub sole: dedi-
 cor meum non solū ad contemplandum
 naturæ occulta, verumetiam ad confide-
 randum

*Vanitas
 in praxi
 hominū
 sicut in
 specula-
 tione.*

randum hominum mores, & quæ geruntur in rebus humanis. Et deprehēdi, quòd etiam in hac occupatione non sit animo humano requies, sed potius dolor & afflictio spiritus. Cuius est causa potissima, abundantia malorum quæ se ubique offerunt, & sapienti non possunt non inferre dolorem: cui displicere debet omne vitiū, ad ipsum fugiendum & extirpandum pro viribus, & curæ cordiq; esse virtus omnis, ad eam prosequendam & pro virili promouendam. Deinde & incorrigibilitas eorum qui mala admittunt, vehementer auget in corde sapientis dolorem. Multū enim affligit cor sapientis mala auferre cupientis, cum se videt nihil proficere, & malos difficillimè corrigi. Duplicem hęc afflictionem, breui ac notabili verbo Ecclesiastes indicat, dicens, Peruersi difficilè corriguntur, & stultorum infinitus est numerus. Tolerabile quidem vtcunque foret alterum, si vel pauci essent stulti siue mali, vel ij qui mali sunt possent faciliè corrigi. Si enim tantū pauci essent mali, maior autem pars hominū bona esset, contra paucorum maliciam esset sapienti consolatio potioris partis probitas, etiā si pauci illi manerent incorrigibiles. Rursum, si malorum multitudo per sapientū

admonitiones vel increpationes posset facile corrigi, & à malo reduci, consolaretur labores quos in corrigendo infumunt fructus emendationis malorum, & fieret malicia ista multorum tolerabilior. Nunc verò, duobus his coniunctis, ut & difficile corrigantur peruersi, & ij ipsi in tam magno sint numero, quomodo non maxima est materia afflictionis & doloris ei qui se occupat in consideratione eorum quæ super terram geruntur apud homines? Quam

*Exempla
commoda
applican-
tur.*

*Ezech. 3.
Hebr. 13.
Num. 11.*

autem sit verum, utrumque horum, & prius illud de peruersorum incorrigibilitate, & posterius de stultorum infinita multitudine (heu) nimium euidenter cernit, quisque mentis oculos habet apertos, ij maxime quibus à Deo est commissum, aliorum salutem intendere, qui speculatores dati sunt domui Israël, ut inuigilent, tanquam rationem reddituri pro animabus commissarum sibi ouium. Bene illud experiebatur Moyses, cui intoleranda res visa fuit, vni præesse & inuigilare Israëlítico populo, cum stultorum multitudine & peruersorum incorrigibilitate penè ad impatiētiam adactus, in hanc vocem prorupit: cur (inquiens ad Dominum) afflixisti seruum tuum? Quare non inuenio gratiam coram te, & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius

huius super me? Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum? Ac post pauca: Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi. Sin aliter tibi videtur, obsecro, ut interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. Attamen alibi scriptura Moyfi testimonium perhibet, quod vir mitissimus fuerit, super omnes homines qui morabantur in terra. Vnde ergo hic vir mitissimus talia nunc verba profert, quae secundum speciem impatientiae plane, & murmurationis esse videntur. Vnde, nisi quia stultorum considerabat sub se infinitum numerum, & peruersos videbat difficile corrigi?

Loquutus sum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus sum, & praecessi omnes sapientia qui fuerunt ante me in Hierusalem, & mens mea contemplata est multa sapienter, & didici. Deditque cor meum ut scirem prudentiam atque doctrinam erroresque & stultitiam. Et agnoui quod in his quoque esset labor & afflictio spiritus, eo quod in multa sapientia multa sit indignatio, & qui addit scientiam addit & laborem.

Eadem quae superius dixit, hic pluribus

verbis replicat. Porro vera hæc esse quæ di-
 cit, de sua magnitudine & sapientiæ præ-
 cellentia, historia libri Regum & Paralipomenon apertissimè indicat, & orbis to-
 tus cognoscit. Neq; quisquàm hæc ab ipso
 Ecclesiaste iactanter arbitretur proferri,
 sed ad faciendam dictis fidem, ex autori-
 tate. Vnicuiq; enim experto, credendum
 est, in eo quòd secundum experienciã suã
 iudicat. Huic igitur qui sic sapientiã præ-
 celluit, vt nemo vnquàm in rerum natura-
 lium contemplatione aut rerum humana-
 rum consideratione ipsum antecesserit,
 quomodo non optimo iure fides erit ha-
 benda, dicenti, occupationes huiusmodi
 vanitatem habere & afflictionem spiritus?
 Est autem specialiter dignũ notatu, quod
 in fine capituli ait, in multa sapientiã esse
 multam indignationẽ, & dolorem adde-
 re eum qui addit scientiam. Vel ipsa hoc
 docet ætatum in eodem homine variatio.
 Quare sic quieta viuit infantia, pueritia, iu-
 uentus & adolescentia, præ ætate virili aut
 senio. Videlicet quia illa minor ætas, & sa-
 pientiã & scientiã carens, nõ mouetur ma-
 lis, quæ necdum nouit. Non indignantur
 pueri super fraudibus, fartis, rapinis, ho-
 micidiis, adulteriis denique aliis quibusli-
 bet scandalis, quæ occurrunt quotidie, nullã
 patiuntur

*In multa
 sapientiã,
 indigna-
 tio.*

patiuntur ex his conturbationē, nihil horum quicquā ipsorum affligit spiritum: videlicet quoniam neq; experientiam adhuc habent neq; sapientiam. Postea verò quā ad ætatem maiorem peruenerint, tunc propter sapientiam maiorem & experientiam, super prædictis conturbabuntur, & affligentur in spiritu propter eam quæ aduenit sapientiam atque experientiam. facit nimirum sapientia atque experientia, profundius omnia considerare, & ponderare magis: propter quod indignationem quoq; & dolorem grauiorem adducit. Vis audire, quomodo in multa sapientia multa est indignatio? Audi loquentem Prophetam, in quo abundabat sapientia atque scientia, *Tabescere (inquit) me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Et iterum, Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Et alibi. Nonne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderā illos, inimici facti sunt mihi. Et alibi, In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatē. Ac rursum, Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt*

*Psal. 118.**Ibidem.**Psal. 138.**Pf. 100.**Psal. 68.*

- super me. Audi & Apostolum clamantem,
1. Cor. II. Quis scandalizatur, & ego nō vror? Quā-
 ta est huic indignatio, qui vritur & affligi-
 tur, quoties quempiam scandalizari con-
 tingit. Vnde quoque huic tam multiplex
 indignatio & frequens exclamatio, nunc
 contra falsos Apostolos, nunc contra fra-
 trum scandalizatores, nunc cōtra pacis &
 charitatis turbatores, nunc contra peccan-
 tes, nunc contra corrigere dissimulantes,
 nunc cōtra seductos per falsos Apostolos,
 atque ita subinde aduersus alia vitia? Vn-
 de (inquam) nisi quia in multa sapientia,
 multa est indignatio, & qui addit scientiā,
Saloniis addit & laborem. Beatus Salonijs Vien-
Viennē. næ Galliarū Episcopus, post Hieronymū,
Episcop. præsentem locum de indignatione aduer-
 sum propria peccata, & dolore sancto quo
 pro malè commissis dolemus, exponit, di-
 cens, eum qui multam habet sapientiam
 multum sibi indignari, quòd vitiis subia-
 ceat & virtutibus careat, laborem quoque
 addit maiorem, dolendo & flendo, vt erro-
 rum laqueos possit euadere. Et hæc quidē
 enarrationes, de indignatione sancta & la-
 bore bono loquuntur, cuiusmodi indigna-
2. Cor. 7. tionem & tristitiam siue dolorem, Paulus
 apostolus apud suos Corinthios gloriatur
 se in ipsorū animos suis literis obiurga-
 toriis

toris introduxiffe. Alij verò de indignatione mala & labore inutili, imò noxio, interpretantur, quia sapiētia humana siue scientia occasionem præstat homini facilis & frequentis indignationis, multique doloris. Scientia namque (iuxta Apostolum) inflat habentiū animos, vbi sine charitate adfuerit. Superbi verò & tumidi spiritu, cito leui ex causa indignantur, mox vbi vllam senserint contradictionem. Arbitrantur enim neminem se habere parē, & sua placita volunt ab omnibus rata haberi. Simples verò, qui sibi pauca persuadent de sese, ac proinde facilè cōtradictionem vel resistantiam ferunt ab aliis quos sapientiores agnoscunt, non ita multam neque ita frequētem habent indignationis occasionem aut doloris materiam. Olympiodorus verò Græcus, ita interpretatur. Qui multam adeptus sapiētiā & sciētiā nihilominus delinquit, longè grauius puniendus est, sibiq; iram Dei & dolorem accumulatur, quia grauiori iudicio fit obnoxius, iuxta illud Domini verbum. Seruus qui scit voluntatem Domini & non facit, vapulabit plagis multis.

1. Cori. 8.

Olympiodori enarratio.

Luc. 12.
Sapi. 5.

Et iterum: Potentes potenter tormenta patientur.

ANNOTATIONES

ex Hebræo & aditione antiqua,

in caput primum.

*

Koheleth
quid signi-
ficet.



VERBA Ecclesiasticis) In Hebræo est dictio Koheleth, quæ fœmineam quidem habet terminationem, propter quod aliqui secūdum genus fœmineum intelligunt, verba concionatrici, subaudientes, sapientiæ vel animæ. Verisimilius tamen videtur, pro genere masculino positum esse fœmineum, quoniam paulò post sequitur: Ego Ecclesiastes fui rex Israël in Hierusalem. Et in fine libri dicitur: Cūmque esset sapientissimus Ecclesiastes, &c. vbi in Hebræo eadem dictio secundum eandem terminationē ponitur, concionatrix tamen commodè verti non potest. Dicunt verò nonnulli, Salomonem hic se appellasse Koheleth, id est, congregatorem, non à congregatione multitudinis ad quam loquitur, sed à congregatione multæ sapientiæ & scientiæ, quam per longum tempus frequenti studio & multis experiētiis sibi congregauerat, vt significetur ipse loquuturus ex pleno pectore. Communior autem & verisimilior est aliorum sententia, qui Koheleth

heleth interpretantur Ecclesiasten, id est, concionatorem, quam supra in commentariis plenius declarauimus, cui & astipulantur septuaginta interpretes, & sacri commentatores Græci atque Latini. Lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus. In Hebræo ad verbum sic legitur, gyrans gyrās vadit spiritus, aut circuiens circuiens vadit spiritus. Interpres Latinus tropo Hebraico mutato, clarius dixit, Lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus. Hanc enim generalem omnium locorum perlustrationem videtur tropus ille significare. Cū etæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone. In Hebræo est, caldebarim, quod variè vertitur & exponitur. Significat enim debar, verbum aut rem. Vnde aliqui vertunt. Cuncti sermones difficiles, vel implicati, aut laboriosi, non poterit eos homo eloqui. Ita verterunt septuaginta, ita interpretatur in Commentariis beatus Hieronymus, dicens, nō solum de Physicis, sed & de Ethicis id habere veritatem, omnia quoq; verba dicit esse graua, & magno labore disci, contra eos qui putant ociosis sibi venire notitiã scripturarū. Olympiodorus item Græcus varias adducit expositiones ad eandem lectionē. Alij verba poni putant pro rebus, vt est in
scriptu

scriptura frequentissimum vertentes iuxta modum nostræ lectionis. Cunctæ res difficiles vel laboriosæ aut graues. Quod communius quidem exponitur de difficultate quantum ad nos, secundum quod res omnes sunt nobis difficiles cognitu, quoniam non nisi graui labore rerum possumus acquirere vel tenuem notitiam. Nonnulli tamen de grauitate & labore rerum in seipsis exponunt in hunc modum. Omnes res laborant, & quasi lassæ fiunt, dum (sicut dictum est de cælo, vento, atque fluminibus) sine intermissione currunt, propter quam rerum eiusmodi instabilitatem & laboriosum motum, non potest homo eas plenè explicare sermone. Et ecce vniuersa vanitas & afflictio spiritus. Vocabulum Hebraicum reuth, vt annotauit Hieronymus, à diuersis interpretibus variè redditum est, vnde quidam in hoc loco verterunt. Vniuersa vanitas & passio venti, per spiritum accipientes ventum, vt hoc modo loquendi significantur quæ sub sole aguntur in sese considerata, vana esse & inutilia, quomodo prorsus vanum est ventos pascere. Vetus æditio septuaginta interpretum vertit *ἄπραξιον*, pro *ἄραξιον*, id est, electionem. Omnia (inquit) vanitas & electio spiritus. Quod Olympiodorus atq; Hieronymus referunt

referūt ad libertatem humani arbitrij, eo quòd agat vnusquisque quod velit, & sibi rectum esse videatur, nulla coactus necessitate, sed præuia electione, certòque consilio. Atque in hunc sensum, spiritus animam rationalem significat. In nostra autem editione Latina, beatus Hieronymus sententiã Hebræi præceptoris sui sequutus, nec passionem venti, nec electionem spiritus vertit, sed afflictionem spiritus, æstimans nomen illud reuth *לענוש* cacosin, id est, malitiam siue afflictionem hoc in loco aptius significare. Peruersi difficilè corriguntur, &c. Vetus æditio sic habet: Quod prauum est aut peruersum non potest adornari, & defectus vel imminutio siue id quod deest non potest numerari. Quæ lectio facilè ad sententiã nostræ lectionis reducitur. Significatur enim in priori parte incorrigibilitas malorum, in secunda, defectus innumerabiles esse indicatur. Eũdem sensum habet quod ex Hebræo ad verbum legitur.

Peruersum non potest di-
rigi, vel curuum nõ
potest rectifica-
ri, & defe-
ctus
non potest numerari.

SECVN



SECUNDI CAP-
tis Commentarius.

*



DIXI IN corde meo, *Vana & affluam delitiis, & fruor bonis. Et vidi quòd hoc quoque esset vanitas.*

*Compara-
tio apta p
posito.*

Aqua fluminis quæ stare nunquam potest, sed labi semper gestit & fluere, vbi obstaculum inuenit vno in loco ne transire possit, ad partem alteram deflectens transitum quærit, sic humanus animus vbi vanitatem in re vna senserit & afflictionem obersistentem, ne cum delectatione cõcupita in eam ultra possit effundi, ad aliud se deflectit, si forte alibi se maiori cum delectatione queat effundere. Rursum, insatiabilem hominum gulã videmus, multis propositis ferculis, ab hoc ad illud pertransire degustando singula, si forte alicubi cū delectatione hæere possit, & in cibo aliquo gratiã gratumue saporem inuenire. Ad hunc sanè modũ hominis animus (qui delectari semper quærit atq; gaudere, cùm sit gaudium homini naturale

naturale, vt est tristitia naturæ contraria) dum in eo cui primum herere cœpit, inuenit vanitatem, experiturque defectum & insufficientiam, propter quæ nequit in eo pro voto & desiderio suo se oblectare, transit ad aliud, si forte illic inueniat vnde amplius oblectetur, & cum etiam illic vanitatem vel æqualem vel certè maiorem inuenerit, rursus ad aliud se cōuertit, vel etiam ad prius fastiditum subinde reuertitur, dicens, Prius melius est. Tale quid exprimit hic nobis nosler Ecclesiastes, cū post expositam vanitatē quæ est in cognitione rerum & experientia eorū quæ geruntur in mundo, iam transit ad contemplandum corporis voluptatem atq; delicias, quo tandem etiam his doceat nō minorem, imò & maiorem, inesse vanitatē. Atq; id quidem paucis in ipso statim capitulis huius initio apertè definit, ac deinde latius explicat, & corporis delicias omnes distinctè exprimens, & deinde rationem vanitatis earum prolixius describens. Est autem propositorum verborū hic sensus. Posteaquàm experientia comperi, vanitatem inesse occupationi illi sapiētiae & scientiæ, quæ est in considerandis rebus naturæ vel moribus hominum, quibus statim suscepto regno donata mihi à Deo copiose sapi

se sapientia plurimum fui intentus, & plu-
 rimam inde afflictionem animo meo sensi
 accedere: cogitavi mecum ut ad delicias
 corporis me conuerterem, easque experi-
 rer, num forte in eis maiorem inuenirem
 oblectationem animi. Et comperi, quod
 etiam hic non esset mihi congruus finis,
 eo quod in ipsis quoque vanitas esset & af-
 flictio spiritus. Quam multi (proh dolor)
 exemplum istud Salomonis malum imi-
 tantur, qui ubi in aetate minori studio sa-
 pientiae aut scientiae in magna abstin-
 entia intenderunt, multosque annos pueri-
 lis & iuuenilis aetatis rebus naturae occul-
 tis vel hominum moribus cognoscendis
 insumpserunt, tandem in aetate maiori trans-
 ferunt animum & corpus ad perfruendum
 delitiis, ubi ad pinguiorem fortunam (ut
 dici solet) deuenerint, qui dicunt: Hacte-
 nus in sapientiae & scientiae studio afflicti
 sumus, & laborem ac tedium multum de-
 uorauimus. Veniamus nunc & affluamus
 delitiis & fruamur bonis. Tunc incipiunt
 dicere animae suae: Anima mea, habes mul-
 ta bona reposita in annos plurimos, come-
 de, bibe, & epulare. Sed (quod magis des-
 tum est) plerique eorum posteaquam se-
 mel se delitiis dederint, non ultra ad se red-
 eunt, ut videant quod etiam illa sit vani-
 tas, quod

*A contē
 platiōe sci
 entiae ad
 fruendum
 voluptati
 bus exem
 plo Salo-
 monis plæ
 rique trās
 eunt.*

Luc. 12.

tas, quod certè noster hic Ecclesiastes dicit: Et vidi (inquit) quòd etiam hoc esset vanitas. Vnde coniciant quidam hunc librum à Salomone compositum esse circa finem vitæ suæ, postquam ab errore quo seductus fuit, & à vita voluptuosa in quâ per mulieres pertractus fuerat, conuersus egit pœnitentiam. Diligenter verò notandum quòd proposito erroneo iudicio, statim subiungit correctionem, dicens: Et vidi quòd hoc quoque esset vanitas, &c. ne fortè si in enarrandis suis voluptatibus fuisset prolixior ante confutatum errorè, videri posset erroneam adhuc approbare sententiam. Ne vlla ergo suspicio huiusmodi possit cuiquam oboriri, mox erroneo conceptu proposito, verbis expressis corrigit errorem, exemplum omni dignū imitatione tradens doctoribus atque scriptoribus, non proponendi in vulgus sententias erroneas, nisi statim confutationè & detestationem adiungant qua agnoscant audientes siue legentes, non ex ipsius doctoris vel scriptoris sententia ea sic esse posita. Cuius contrarium callidi nonnulli doctores facientes, dum erroneas sententias vel noxias quæstiones tanquam alienas proponunt, nec dissolunt aut refutant errores, primum quidem animarū

suarum crudeles fiunt perditores. Nequit enim nocere alteri, qui non prior ipse sibi grauius noceat. Deinde & simplicium plurimorum perniciosi efficiuntur seductores, qui sententiam erroneam propositam, sed minimè refutatam tanquam veram & ex authoris sententia assertam amplexantur.

Risum reputavi errorem, & gaudio dixi, Quid frustra deciperis?

Per risum & gaudium, intelligit omnem oblectationem, quæ potest procedere homini à voluptatibus corporis. Quid enim omnibus propositis epulis, cantoribus atque cantatricibus modulantibus, omnis generis musicis instrumentis personantibus, denique omnibus præsentibus quæ ad corporis voluptatem possunt facere, quid aliud (inquam) quàm gaudere, ridere, & cachinnare possunt, qui tam consummato conuiuio intersunt conuiuæ? Omnia ergo huiusmodi Ecclesiastes noster post egregiam experientiam, reputauit, & iudicauit non esse nisi errorem & seductionem aduersus ineptam quoque illam lætitiâ quæ est in corporis voluptatibus, pœnitentiam agens, grauitè indignatus fuit, quòd per eam mentem & voluntatè suas iam sentiret fuisse fascinatas. Id significari

gnificat quod dicit: Gaudio dixi, Quid frustra deciperis? tanquam si gaudium alloquens, dicat: O inepta stultitia, quid tu vanè tibi persuades, posse te hominis animum replere, & contentum reddere polliceris, cum id minimè possis? Clarius autem istud in Hebræo dicitur: Gaudio dixi: Quid istud facis? id est, quare sic hominū mentes seducis, & in errorem pertrahis? Quare sic fascinas hominum oculos? Huius autem loci claram intelligētiā verbis paucis pulchrè expressit Gregorius Neocæsariensis, in sua metaphrasi ita inquiring: Statim autem probe intelligens esse etiam omnia vana, & risum qui temerè admitti poterat, coercebam, & voluptatem amara increpatione temperantiæ studio emendabam. Salonius quoque Viennensis Episcopus annotavit hoc in loco nō damuari quemlibet risum, etiam naturalem, moderatum atque honestum: de quo ait Sapiens: Vir Sapiens vix tacite ridebit: sed tantum risum dissolutum, atque intemperatum. Idem dicit & de gaudio.

Eccle. 21.

Cogitavi in corde meo, abstrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, deuit avémque stultitiam, donec viderem quid esset utile filiis hominum,

*quo factò opus est sub sole, numero dierum
vitæ suæ.*

Posita in verbo præcedente derestatio-
ne & execratione voluptatum tempora-
lium, nunc propositum bonum à quo ce-
cidit, videtur innouare, cùm se dicit vel-
le à vino abstrahere carnem suam, &c.
Ante omnia autem voluit à vino abstra-
here carnem, id est, affectum ab omni gu-
la & luxuria auellere. Nam sub vino, pu-
to intelligi, quicquid ad delicias carnis
attinet, & corporis malis motibus fomē-
tum atque incitamentum præbere valet.
Deinde, ad sapientiam vult transferre ani-
mum, quam dereliquerat donec vino &
carnis delitiis inhæsit, & stultitiam vult
deuitare cui adhæserat, atque in hoc statu
vult commorari, donec videat quid sit fi-
liis hominum vtile, in quo se occupare
debeant, id est, quandiu super terram vi-
uent, quandoquidem melius quidquam
inueniri in mundo non potest, quàm ani-
mum transferre ad sapientiam, & deuita-
re stultitiam, declinare, scilicet à malo &
facere bonum. Obserua autem pulchrum
Ecclesiastis ordinem, quem in sua conuer-
sione describit. Præmittit, Cogitavi in
corde meo, abstrahere à vino carnē meā,
subiungit, vt transferrem animum meum
ad sa-

*Psal. 33.
Verus or-
do cōuer-*

ad sapiētiā & deuitarem stultitiā , an-
 nectens deinde,donec viderem quid vtile
 fit filiis hominum, quo facto opus est sub
 sole , numero dierum vitæ suæ. Videlicet
 hoc verbo & exemplo docet Ecclesiastes,
 cum qui conuerti velit,debere priora ma-
 la derelinquere , & penitus abnegare vi-
 tam veterem malè actam, neque vnquā
 ad illam proponere reditum , quod indi-
 cat, dicens: Cogitavi à vino abstrahere
 carnem meam. Ipsum namque peccatum,
 simul & peccati occasiones omnes, voluit
 abiicere. Nam vinum & huiusmodi alia
 quæ sub vino intelliguntur, lapsus illi fue-
 rant occasio. Deinde , oportet nouam vi-
 tam assumere , & propositum firmum re-
 ctius viuendi constituere & non vltra ad
 peccata priora redire , quod indicat dicēs,
 vt transferrem animum meum ad sapien-
 tiā,deuitarémque stultitiā. Postremò
 perseverantiam addit, siue patiētiā quæ
 (iuxta Apostolum) opus perfectum ha-
 bet , videlicet vt in eo proposito perman-
 neat vsque in finem. Hanc insinuat , di-
 cens: Donec viderem quid esset vtile filiis
 hominum. Hoc enim modo loquendi in-
 dicat, vtilius nihil posse inueniri homini-
 bus, nisi in sapientia manere: quemadmo-
 dum alibi dicitur: Beatus homo qui inue-

*fionis ad
Deum.*

Iacob. 1.

Prover. 3.

nit sapientiam, & qui affluit prudentia. Non est autem hoc ex loco accipiendum, omnem vini usum esse fugiendum iis qui cupiunt animum suum transferre ad sapientiam, vel in eo permanere, sed usum immoderatum eius vituperat, quomodo uti eo solent qui sectantur carnis delicias. Alioqui si admodum modicè sumatur iuxta Psalm. verbum, cor hominis lætificat. Non dicit, obnubilat, aut inepta dissolvit lætitia, sed tantum lætificat. Non est autem moderata & honesta corporis lætitia, sapientiæ contraria. Attamen diligentissimè cauendum est ne supra mensuram debitam ipsum sumatur. Neque in mensura præbenda iudex ponatur sensualis concupiscentia, sed recta ratio inuigilet, ne debita mensura excedatur. Vnde Paulus apostolus discipulum è stomacho laborantem, ad vini summptionem exhortari volens, dixit: Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates. Vbi vide quàm trepidè loquatur sanctus Apostolus. Primum dicit: Noli adhuc aquam bibere. Cum enim dicit, adhuc, indicat, se non nisi pro tempore dare consilium, donec, scilicet, duraret infirmitas & repararetur sanitas,

quasi

*An oīs vini
usū sit
fugiendus.*

Psalm. 103.

1. Tim. 5.

quasi post sanitatem reparatā cessare debeat istud vinum bibendi cōsiliū. Deinde, non ait infirmo: Vtere vino, sed cum adiectione dicit: Vino modico. Causam postremo subiungit, propter stomachum & frequentes tuas infirmitates. Quale putamus cōsiliū daret ei qui valido esset & bene vegeto corpore, quid arbitramur cōsiliū daturum pinguibus istis ac bene saginatis porcellis & succulis, quibus (iuxta Persianum illud) Pinguis aqualiculus protensus extat sesquipedē, posteaquam huic ex stomacho laboranti, & crebris egritudinibus vexato, tāto cum timore loquitur? De abusu verò aut immoderato vsu vini, alibi apertè clamat: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: sed implemini spiritu sancto: velut indicare volens, vino immodico pelli spiritum sanctum. Episcopum quoque non vult esse vi nolentem, vel multo vino deditum,

Ephes. 5.

1. Timo. 3.

Magnificauit opera mea. Aedificauit mihi domos, & plantauit vineas, fecit hortos & pomaria, & conserui ea cuncti generis arboribus, & extruxi mihi piscinas aquarum ut irrigarem syluam lignorum germinantium. Possedi seruos & ancillas, multamque familiam habui. Armenta quoque & magnos ovium greges, ultra omnes qui fuerunt ante

me in Hierusalem. Coaceruau mihi argentum & aurum & substantias regum & prouinciarum. Feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, cyphos & vrceolos, in ministerio, ad vina fundenda, & supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Hierusalem.

Post clarè expositam animi sui sententiam, ac descriptam (ne cuiquam præbeat offendiculum) à malo conuersionem reddit nunc ad enarrandum particularius abundantiam & multitudinem voluptatum, quibus fuit antè perfruitus, quas sic enumerat, non quòd in eis adhuc delectetur, aut sibi complaceat in illis quæ iam abiicit & abominatus est, sed vt efficaci⁹ alios commonefaciat, faciliùsq; eis persuadeat quod intendit, nempe in voluptate esse vanitatem & afflictionē spiritus. Si enim in tanta voluptate, quanta vix vlli hominum contigit vnquam aut potest contingere non est perfecta satietas neque plena requies, sed est in ea vanitas (id quod ipse testatur qui ea est perfruitus) proculdubio in alia qualibet voluptate longè minori multominus inueniri poterit satietas. Ob hoc ergo omnia quibus ad voluptatem vsus est, enumerat, vt efficacius alios deterreat, nō vt ad similia quèquam accen

accendat. Quæ autem in litera dicuntur, de magnificarum ædium extruptione, vinearum plantatione, hortorum & sylvarum confitione, de familiæ multitudine, ac deinde alia quæ sequuntur, omnia secundum literam clara sunt, vt expositione non indigeant.

Sapientia quoque perseverauit mecum, & omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his quæ preparaueram. Et hanc ratui sum partem meam, si vterer labore meo.

Sapientia illa cælestis, quam Iacobus ait esse pudicam, pacificam, modestã, suadibilem, bonis cõsentientem, plenam misericordia & fructibus bonis, proculdubio cum Salomone non permanfit, quando totum se ex affectu delitiis corporis dedit. In maliuolam siquidem animam, eiusmodi non intrat sapientia, neque habitat in corpore peccatis subdito. Potuit nihilominus in eo perseverare sapientia ista, cū omnibus his pro magnificẽtia regia moderatè vteretur, sic tamẽ vt nondũ totum affectum dedisset voluptatibus. Sapientiam verò illam mundanam quæ circa rerum naturalium cognitionem & huiusmodi versabatur, verisimile est cū eo per-

Iaco. 3.

Sapientia duplex.

Sapient. 1.

mansisse, etiam tunc cum se totum ad corporis voluptates resolveret. Huiusmodi enim gratuita dona etiam in peccatoribus Deus subinde solet relinquere. De hac autem sapientia potissimum loqui videtur, cum dicit: Sapientia quoque perseverauit, mecum & omnia quae desiderauerunt oculi mei non negans eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate fruereetur. Profecto enim non hoc docet diuina sapientia, oculis concedere omnia quae desiderant, & cor non prohibere quin fruatur omni voluptate. Longè aliud clamabat ille huius

- Psal.* 118. Dei: Auerte (inquiens) oculos meos, ne videant vanitatem. Item & ille cui non est
- Iob* 31. inuentus similis in terra: Pepigi (inquiens) foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem
- Num.* 15. quidem de virgine. Quidquid dominus in lege praecipit populo facere sibi fimbrias per quatuor angulos palliorum, inque eis ponere vittas hiacynthinas, ne sequerentur cogitationes suas, & oculos perres varias fornicantes, est hoc non negare oculis quaecunque desiderant? An non
- Iudit.* 16. in oculis suis captus scribitur Holofernes, dum sandalia Iudith (ut ipsa gloriā canit) rapuerunt oculos eius? Et quid illud sibi vult quod apud Prophetam dicitur,
- Oculus

Oculus meus depre'datus est animã meã? *Thre.3.*
 Et iterum: Mors intrauit per fenestras no- *Hiere.9.*
 stras? Videlicet manifestè indicant hæc om-
 nia non esse sapientis, omnia concedere
 oculis quæ desiderant, sed potius compe-
 scere oculos & auertere, vt nec videant
 quod malè possit desiderari, maximè cum
 & dominus apertè dicat in Euangelio,
 Qui viderit mulierem ad concupiscẽdum *Matt. 5.*
 eam, hic mœchatus est eam in corde suo.
 Illud quoque quod sequitur: Nec prohi-
 bui cor meum quin omni voluptate frue-
 retur, quàm procul abest ab ea sapientia
 quam docuit Christus & Apostoli. Quid
 enim? An est hoc habere odio animam *Mat.16.*
 suam, eãmq; perdere & semetipsum abne-
 gare, ac crucem tollere, quæ Dominus à
 suo exigit discipulo? An est hoc mortifica-
 re membra super terram, & carnem cruci-
 figere cum vitiis & concupiscentiis, vete-
 rem hominem crucifigere cum actibus *Colo.3.*
 suis, & non vltra obedire concupiscentiis *Galat. 5.*
 carnis, quæ docet sapientissimus Paulus? *Rom.6.*
 An est hoc, non diligere mundum neque *1.Ioan.2.*
 ea quæ in mundo sunt, ad quod tanto affe-
 ctu nos hortatur dilectus Domini disci-
 pulus? Ex his itaque manifestum est, non
 illam diuinam sapientiam (quæ sola verè
 sapientia meretur appellari) cum Salomo
 ne

ne perseuerasse, cùm eo esset statu quo se hic fuisse describit. Nunquam enim sapiētia ista sic delirare, imò insanire illum passa fuisset, nisi eam prius affectu prauo repulisset. Ipsa enim est quæ ab omni lapsu seruat hominem, quemadmodum in libro Sapientiæ dicitur: Per sapientiam sanati sunt, quicunq; placuerunt tibi Domine à principio.

Sapient. 9.

Cùmque me conuertissem ad vniuersa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus frustra sudaueram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.

Nota quod ait, Cùmq; me conuertissem ad vniuersa. Significat enim illa conuersio peculiare quiddam. Alioqui simpliciter conuertit se homo ad rem quamlibet, quoties ad eam considerandam vel in ea oblectandum se applicat. Ista igitur peculiaris conuersio accipienda est, ad eum modum quo homo post prolatum verbum malum iam attēdit ad id quod protulit, vel post factum malum considerat quid fecerit, quod donec in opere esset nō aduertebat. Quemadmodum de filio prodigo legimus in Euangelio. In se autē reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei, &c. Pœnitentiam agendo, in
fe

Luc. 15.

se reuersus (quod est ad se reuersus) describitur. Ita Salomon postquam his voluptatibus aliquandiu fuisset immer-
sus, tandem ad cor rediens, & in se reuersus, qui velut extra se & à seipso alienus fuerat, cōuertit se ad considerandū ea in abominationem & detestationem sui peccati, quibus prius non bene cognitus cum delectatione inhæserat. Conuersus itaq; ad illa, vidit omnia esse vanitatem & afflictionē spiritus, & hoc peculiariter, quòd nihil eorum esset permanens, sed essent caduca & transitoria omnia, ac proinde hominis animum (qui est æternus) satiare impotentia. Qua parte omne quod sub sole est contemni debet, tanquam ad hominis fœlicitatem insufficiens. Quod enim hominis animum implere debet, necesse est æternum sit & indeficiens. Vnde si creaturam aliquam imaginemur, vt pro tempore suæ subsistentiæ infinitè perfectam, & in se continentem omnia quæcūque desiderari possint, sed corruptibilem & penitus defectibilem, in huiusmodi creatura nequaquam hominis animus posset quiescere etiamsi sic omnia in se habere eam imaginemur, donec substiterit in rerum natura. Deest enim proportio ex parte altera, eo quòd sicut infinitum capaci-
tate

Nihil hominem potest satiare creatū.

tate non potest repleri finito replente, sic neq; æternum temporali, aut incorruptibile corruptibili. Signâter ergo hoc se animaduertisse dicit, de omnibus iis quæ sub sole existunt, quòd nihil eorū permaneat.

Transiui ad contemplandam sapientiam, errorésq; & stultitiam. Quid est (inquam) homo, ut sequi possit regem factorem suum? Et vidi, quòd tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris.

*Compara-
ratio.*

Ita solet nonnunquam euenire, vt quod prius velut per nauseam aut fastidium præ alterius desiderio abiicimus, eo degustato præ cuius desiderio alterum ablegauimus, ipsum rursum resumamus. Id nobis in ciborum ferculis nonnunquam vsuuenit, vt cum propter adueniens nouum ferculum prius repulerimus, nouo illo gustato, iterum vetus reposcamus. Videtur hoc ipsum euenisse Salomoni, qui primùm fastidiens considerationē sapientiæ ob tristitiam & afflictionem quam in ea experiebatur, ad voluptates molles & iucundas transtulit animum, quas vbi suo magno malo miserè fuisset expertus, tãdem compunctus animum ad eam quam prius spreuerat considerationem sapientiæ reduxit. Id indicat, cum ait: Transiui ad contemplandam sapientiã, ad eam videlicet prosequen

sequendam, errorésq; & stultitiam, nimirum ad ea fugienda. Oppositorum nanq; (iuxta vulgatam philosophorum maximam) eadem est consideratio, quemadmodum medicorum est cōsiderare sanitatem & infirmitatem, & moralis disciplinæ virtutem atq; vitium. Et vidi (inquit consequenter Ecclesiastes) iam edoctus experientia, quòd maximo interuallo antecederet sapientia stultitiam, quam illi malè expertus præelegeram, tanto utiq; interuallo, quanto lux antecedit tenebras, ut quomodo lux in immensum est præstantior & delectabilior tenebris, sic sapientia sit præstantior & optabilior delectabiliórque stultitia. Interiicit verò inter has suæ ænunciationis partes præcipuas, particulã quandam per modum parenthesis, dicens: Quid est (inquam) homo, ut possit sequi regem factorem suum? Cuius verbi, non tam est sententia quàm applicatio, difficilis. Facilis siquidem est sententia, nullam esse comparisonem dignam inter hominẽ & Deum neq; secũdum ingenium, neque secundum potentiam aut diuitias, aut omnino secundum aliquid, ut sperare possit homo assequi & imitari Deum. Immenso siquidem interuallo absque vlla proportione, Deus superexcedit & hominem

*De conti-
nuatione
literæ.*

nem & omnia. Verùm de applicatione maior videtur difficultas. Non enim satis apparet, cui proposito huius particulæ adiectio seruiat. Iuxta beati Hieronymi enarrationem, hac particula insinuari uoluit Ecclesiastes imperfectionem & defectum nostræ cognitionis, quæ tenuis admodum & perexigua nimiùmque imperfecta inuenietur, si ad illam conferatur cognitionem quæ in ipso Deo est factore nostro. Tamen si enim intellectu & ratione à Deo donati, secundum partem aliquam ipsum cognoscere valeamus, per assiduū sapientiæ studium, ad hoc tamen nequaquam possumus pertingere, ut cum ipso secundum æqualitatem decertare audeamus. Omnis enim nostra sapientia quæ pro hoc statu mortalibus potest contingere, si ad illam perfectissimam & plenissimam Dei sapientiam conferatur, non aliud quàm tenebræ quædam videtur. Illud nihilominus se inuenisse dicit sapiens concionator, ex diligenti oppositorum collatione, sapientiam illam quæ hominibus contingit, tamen si perexigua sit, & quasi nulla, comparatione ad sapientiam factoris Dei, stultitiæ tamen humanæ ex aduerso comparatam dignissimè effulgere, & maximi esse præcij, tantoque interuallo antecedere
re stul

re stultitiam, quantò tenebræ superantur à luce, ac proinde, nequaquam spernendâ aut contemnendam esse humanam sapientiam, neq; stultitiæ equiparandam. eadem namq; res comparatione diuersorum, maximi æstimatur & minimi honoratur & contemnitur, desideratur & abiicitur. Cõparatione quidem ad longè præstantius, res vnaquæque vilescit atque despicitur, collatione verò ad id quod deterius est, habetur in precio, éstq; desiderabilis. Hunc autem præsentis loci intellectum beatus Hieronymus apertè satis indicat, his verbis: Licet (inquit Ecclesiastes) ipsam hominum sapientiam mixtam errore præviderim, nec tam purè in nostros animos illabi posse quàm est in rege & conditore nostro, tamen magnam etiam in eo quod est differentiam, inter illam & stultitiam esse cognoui, quantum potest distare dies à nocte, lumen à tenebris. Potest verò secundum alium sensum locus propositus intelligi, vt referatur ad pompam illam & magnificentiam regiam irridendam, quâ multis verbis pauloante expresserat, dicens: Magnificauit opera mea, &c. quæ omnia vt hominibus admodû magna, gloriosa & vix imitabilia, ac quasi diuina videbantur, ita ad diuinam magnificentiam

& operum eius gloriã collata, erant quasi nihilum. Quid enim erant illa, licet tam magnifica, Salomonis ędificia, domus sal-
tus Libani, & regia eius habitatio, si ad cę-
li structuram cõferantur? Quid item tem-
plum illud tam celebre, tam admirabile
omnibus, si ad templum Dei non manu-
factum conferas? Quid horti illi manu cõ-
fiti & plantati, si cum vniuersa terra verbo
Domini pulchrè germinante, quasi latif-
simo & amœnissimo viridario vno com-
parentur? Ita & in cæteris omnibus. Pro-
fecto nihil erat Salomon, quamuis tantus
in omni gloria sua vt regem factorem suũ
sequi possit. Atque iuxta hanc enarratio-
nem, redarguit hic Salomon & irridet se-
metipsum quemadmodũ solemus inter-
dum nos ipsos irridere, pro infaniis præte-
riti temporis, quod ea olim maximi fece-
rimus, quæ nunc æstimamus minimi. Ne-
que malè consonat huic sensui, quod ex
Hebræo quidã hoc in loco vertunt: Quid
est homo, vt possit sequi regem per ea quę
fecerunt, vel in iis quæ fecerunt? hoc est:
Quæ est hominis potestas, vt conetur asse-
qui regem omnium Deum & quasi vide-
ri illi æqualis, per ea opera quæ fecerunt
homines, vel facere possunt? Quasi dicat,
Per nulla opera, aut in nullis operibus
quæ ab

quæ ab hominibus possunt fieri, quisquæ potest Deum assequi, vt faciat paria.

Sapientis oculi in capite eius, stultus in tenebris ambulat.

Ostendit hoc verbo Ecclesiastes, id quod iam dixerat, sapientiam tantum differre à stultitia, quantum differt lux à tenebris, & quare sapientiam luci, stultitiam verò tenebris comparauerit, planè edisserit. Dicitur verò oculos in capite habere sapiens, quoniam in intellectu & ratione (quæ est velut caput in homine) lumen habet sapientia, qui sunt oculi animæ, quibus in cunctis suis operibus dirigitur vt nusquam offendat, vel aberrat, quemadmodum oculorum corporalium lumine in suis externis operationibus corpus dirigitur, vt cōmodè quæ sunt agenda perficiat. Stultus verò ambulat in tenebris, quoniam oculis caret, lumen sapientia non habens, quo dirigatur in actibus suis. Aliter dicitur in capite sapiens habere oculos, quoniam à longè præuidet quæ ventura sunt, atque per hanc prouidentiam ad ea quæ propofita sunt bona se dirigit, à malis autem in quæ posset incidere cauet. Stultus verò, quoniam non præuidet ventura in nouissimo quæ longinqua videntur hominibus, idcirco negatur oculos habere in capite.

Oculi sapientis in capite eius.

Si enim haberet in capite oculos , cum ipsum sit in supremo corporis situm, facile vtiq; oculis illis capiti infixis, non solum que ante pedes sunt, verumetiam que

Gregori. longe absunt videret. Quam sententiam *Næocasa.* Gregorius Næocæsariensis in sua paraphrasi pulchrè exponit , his verbis: **Qui** virtutem sectatur , similis est homini clare sursum & vndequaque eernenti , viam illius fulgidissimo iubare illustrante. Cōtrà, qui vitiis erroribúsq; implicitus comparandus est erranti in tenebris. Cæcus enim est & oculos illi effoderunt opera

Olympio-
dori sen-
tentia.

sua tenebrosa. Olympiodorus verò, distinguens inter oculos habere in capite & oculos habere in pedibus, eū dicit qui purgato intellectu contemplatur superna & æterna, oculos habere in capite, eo quòd caput eminentia quedam sit & totius corporis pars suprema , illum verò qui circa terrena occupatur, habere dicit oculos in pedibus, qui sunt pars infima & luto cenò que maculata. Secundum mysticum verò intellectum, caput Christum accipiunt, in quem semper debet tendere sapientis oculus. id est, viri iusti intentio, vt in omnibus illum quærat , non suarum concupiscentiarum tenebris immersa hæreat.

Et didici, quòd vnus vtriusque esset interitus.

Et di

Et dixi in corde meo, Si vnus & stulti & meus occasus erit, quid mihi prodest, quòd maiorem sapientia dedi operam? Locutusq; cum mente mea animaduerti, quòd hoc quoque esset vanitas. Non enim erit memoria sapientis, similiter vt stulti in perpetuum: & futura tempore obliuione cuncta pariter operient. Moritur doctus similiter vt indoctus. Et idcirco tædedit me vitæ meæ, videntem mala vniuersa esse sub sole, & cuncta vanitatem & afflictionem spiritus.

Tametsi absq; comparatione meliorem & præstantiorem iudicauerit sapientiam quàm stultitiam, sicut melior est lux tenebris, attamen nõ est talis sapientia, in qua ratione sui ipsius possit homo suum finem constituere, quasi in illa possit habere plenam requiem maximè quòd vnus sit finis (quantum ad corpus attinet) sapientis cū stulto. Sic ergo ait Ecclesiastes: Conuersus ad contemplandam sapientiam & simul errores atque stultitiam, licet aduerterim præstare sapientiam stultitiæ sicut lucem tenebris, simul tamẽ & hoc animaduerti, sapientiam non posse hominem à morte præseruare, sed consimilem esse interitũ & finem sapientum atque stultorũ. Quod animaduertens, mecum ipse disputauit in cogitationibus meis, dicens: Si ita res ha-

Sapientia non est in qua debeat homo sine sibi constituere.

bet, si eodem fine terminatur vita hominis stulti, atque hominis sapientis, quid utilitatis mihi erit ex studio sapientiae, cui operam dedi, & affectum adhibui praeteris? Atque ita mecum in corde meo ratiocinans & disputans, definiui, quod etiam hoc esset vanitas, nempe in sapientia propter seipsam velle quiescere, & non ad finem ulteriorem tendere, ad quem debet perducere sapientia. Nam sapientia ipsa, ut in se pro hoc statu considerata, nihil tale est, quod possit hominem felicem reddere, quae nec à morte quidem suos potes est praeservare, imò neque memoriam ipsius apud homines conseruare, quantum minus vitam ipsam? Non enim apud homines perdurabit imperpetuum memoria sapientis, sicut neque stulti, sed in venturis temporibus praeterita omnia simul obliuioni traduntur apud homines, & moritur doctus aequè atque indoctus, sapiens eque atque stultus, & aequè vtriusque apud homines perit memoria, non potest neque vitam neque memoriam sapienti conseruare sua sapientia aut scientia. Considerans igitur, quod etiam in iis quae praecipua videntur humanae vitae, id est, in sapientia atque scientia, sit vanitas & defectus, fastidium concepi vitae huius, utpote cognoscens nihil
hic esse

hic esse sub sole, quod meum possit satiare desiderium, sed omnia defectum & vanitatem & insufficientiam continere. Illud *Vnus sapientis ac stulti interitus.* autem breuiter notandum, quod dicit Sapiens, vnum esse stulti atque sapientis interitum, non nisi secundum corpus accipiendum esse, non secundum animam. Nam secundum corpus quidem, de omnibus vna pronunciata est sententia. Puluis es, & in puluerem reuerteris. Et omnibus hominibus statutum est semel mori, post hoc autem iudicium. Hæc est enim lex omnium filiorum Adam. Verum quantum ad animam attinet, proculdubio non vnus erit sapientis atque stulti interitus. Mors namque sapientum atque sanctorum preciosa erit in conspectu Domini, iuxta Psalmi testimonium, stultorum autem siue peccatorum erit mors pessima. Similiter & illud: Non enim erit memoria sapientis similiter ut stulti imperpetuum, de memoria apud homines accipiendum est, non de memoria apud Deum. De hac siquidem scriptum est: In memoria æterna erit iustus. Et alibi: Iusti autem imperpetuum viuunt, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio eorum apud altissimum. De impiis verò dicitur. Quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt.

*Gene. 3.**Heb. 11.**Psal. 115.**Psal. 33.**Psal. 111.**Sapi. 5.**Psal. 87.**Psal. 48.*

Et alibi, Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. Infernus quoque terra obliuionis dicitur, eo quòd obliuioni dati sint coram Deo, tanquam proiecti in aeternum, qui illum incolunt. Cæterum, apud homines quomodo æqua est stultorù atq; sapientum conditio, neque maior est memoria in posteris generationibus sapientum quàm stultorum, satis docet experientia. Imò plerosque priscorum temporum stultos, ob insignem stultitiam, habet posteritas in memoria, cùm illorum temporum sapientes penitus obliuio deleuerit. Nonnulli ea quæ hic dicta sunt de vno interitu sapiētis & stulti, vt in persona stulti dicta accipiunt, atque ita vetus æditio satis apertè sonat. Verùm iuxta formam nostræ lectionis iam posita enarratio nobis visa est commodissima.

Rursus detestatus sum omnem industriam meam qua sub sole studiosissimè laboraui, habiturus heredem post me, quem ignoro, utrū sapiens an stultus futurus sit, & dominabitur in laboribus meis quibus desudaui, & sollicitus fui. Et est quicquàm tam vanum?

Transit ad explicandam vanitatem quæ est in congregandis sine modo diuitiis, in multa sollicitudine & afflictione, tam cor-

Vanitas poris quàm animi. Huius vanitatis causam asse-

sam assignat geminam. Prior est, ex mor- *in congre-*
 tis necessitate per quam velit nolit, post *gatione di-*
 paululum omnia relinquere cogetur in *uitiarum.*
 manus hæredis siue successoris is qui ea
 congregauit. Quicquid enim præter ne-
 cessitatem & vsum necessarium congre-
 gamus viuentes, manifestum est non pro
 nobis ipsis id nos cōgregare, sed pro aliis.
 Nos enim hinc abscedentes prorsus nihil
 auferre nobiscum possumus. Nihil enim
 (vt sacer Paulus ait) intulimus in hunc *1. Tim. 5.*
 mundum, haud dubium quia nec auferre
 quid possumus. Et (iuxta sententiam beati
 Iob) Nudi egressi sumus de utero ma- *Iob. 1.*
 tris, nudi quoq; reuertemur in terram. In
 eandem quoque sententiam Sanctus Da- *Psal. 48.*
 uid ait de diuite: Cùm interierit non su-
 met omnia, neque descendet cum eo glo-
 ria eius. Quicquid igitur præter nostrum
 vsum thesaurizando congregamus, mani-
 festum est non nobis ipsis sed aliis thesau-
 rizari: iuxta quod Dauid in psalmo supra-
 citato ait: Et relinquent alienis diuitias
 suas, & sepulchra illorum domus illorum
 in æternum. Quid autem vanius, quid stul-
 tius, quid magis miserum, quàm ita cum
 solitudine sine modo aliis thesaurizare?
 Altera ratio vanitatis quã in auaritiæ oc-
 cupatione cōsiderat Ecclesiastes ex eo su-

mitur quòd nesciat homo, qualem sit post se habiturus hæredem. Primū enim, etiāsi filios habeat, ignorat tamen, an his per vim oppressis & paterna hæreditate spoliatis, ad alienos perueniant quæ ille congeffit, id quod non raro neque paucis solet accidere: potissimū vbi ingens fuerit hæreditas. Deinde, de ipso quoque suo hærede legitimo, ignorat homo dum viuit, qualis ipse post mortem eius sit futurus, & quomodo partis vsurus. Solēt enim diuitiæ hominis animū immutare, & multos frequēter à bonis initiis sapiētiae atq; virtutis, ad insipientiam & tetra vicia cernuntur pertrahere. Vnde etiam si te viuēte tuus hæres vtcunque probè se gerat & bonæ spei videatur, te tamen mortuo, forsitan in hominem alium mutabitur, inflatus diuitiarum multitudine & hæreditatis amplitudine, sicque accedente occasione, præcipitem se dabit in delitias, & quæ tu multo tempore magna sollicitudine cōgregasti, ille in modici temporis spacio, prodigalitate multa disperget, & dissipabit omnia. Huius rei partē aliquam post obitum suum sensit ipse Salomon, quando sub Roboam filio eius regnum Istraëliticum diuisum est, decem tribubus homini alieno, nempe Hieroboam, se sub-

dentibus

Salomonis exemplum.

dentibus, & à domo Dauid recedentibus, 3. Re. 12.
 propter stultitiam Roboam, qui iuuenis
 iuuenum, id est, stultus stultorum consilia
 sequutus, senum autem & sapientum con-
 silia aspernatus, populo alleuari sibi pe-
 tenti paternæ seruitutis iugum, durè &
 stultè respondit, dicens, Minimus digitus
 meus grossior est dorso patris mei. Pater
 meus cæcidit vos flagellis, ego autem cæ-
 dam vos scorpionibus. Atque hoc pacto
 stultus hæres paternam hereditatem per-
 didit, ex duodecim tribubus duas tantùm
 retinens, reliquis omnibus post Hierobo-
 am seruum fugitium Salomonis abeun-
 tibus. Quomodo insuper omnes thesauri
 quos ipse dum viueret magna diligentia
 congregauerat, ad alienos deuenerint, per
 insipientiam heredis sui, tertius liber Re- 3. Re. 14.
 gum monstrat, in cuius 14. capi. legimus,
 anno quinto à morte Salomonis Sefac re-
 gem Aegypti ascendisse in Hierusalem,
 illincque abstulisse thesauros domus Do-
 mini, & thesauros regio, atq; etiam scuta
 illa aurea quæ fecerat Salomon, pro qui-
 bus fecit Roboam scuta alia, sed pro au-
 reis non aliud quàm area. Sic breui tem-
 pore & regni hæreditas, & preciosorum
 omnium à multis annis magna sollicitu-
 dine congregatorum thesaurus per insi-
 pientiam

pietiam hæredis Roboam, deperierunt, qui tamen patre viuente, forſitan ſatis bonæ ſpei videbatur, maximè ob maturitatè ætatis, quoniam erat annorum vnus & quadraginta antequàm cœpiſſet regnare. Ipſe tamè vnus, & patris Salomonis & aui Dauidis ſolicitudine ac probitate parata penè omnia, per ſuam inſipientiam perdidit. Huius ipſius quoque rei, quàm multa quotidie coram oculis exempla videmus, vt quæ homines in magna parſimonia & ſolicitudine vel iuſtè vel iniuſtè coaceruant, poſt illorum mortem ſubito, vel per alienos vel per hæredes proprios, diſſipentur atque diſpergantur, quaſi pro nihilo.

Vnde ceſſaui, renunciauitque cor meum vltra laborare ſub ſole. Nam cum alius labore inſipientia & doctrina & ſolicitudine, homini ocioſo queſita dimittit. Et hoc quoque vanitas & magnum malum.

Bene proſecto valida & efficax valde eſt gemina illa conſideratio ſuprapoſita, vt hominis animum quem nondum penitus faſcinauit auaritia, ſufficiat ab illo immodico auaritiæ ſtudio & occupatione immoderata auellere. Cui enim ſupra quàm neceſſe eſt, imò vltra quàm honeſtum, vtile & delectabile eſt, laborare & ſolicitari libeat, ad congerendas ſine modo diuitias

uitias, vbi attentius apud se expenderit, post paululum sibi esse relinquēda omnia, atq; ex omnibus omnino nihil se allaturum secum in regionem illam longinquā & prorsus incognitam, quo propērat? Deinde, quòd neque de successore diuitiarū suarum satis compertum habeat, quis ille & qualis sit futurus, hærēsne legitimus an successor alienus, sapiēs an stultus. Rectè igitur misera illa vanitate diligentius considerata, subinfert Ecclesiastes: Vnde cessauit, renunciauitque cor meum vltra laborare sub sole. Et hoc peculiariter notandum, quod subsequenter adiungit, homini ocioso quæsitā dimittit. Immodico namque suo labore & solitudine immeritata, facit auarus ociosum hærēdem. Videns enim hærēs alieno sibi labore parata esse, non solū ad sufficientiam, verū etiam ad abundantiam omnia, laborem molestum refugit, ocium dulce præeligit, neque cogitat aliud, nisi quomodo illa alienis laboribus & curis acquisita, ipse ociosus & sine cura consumat. Et quid hac miseria vanius? Neque enim sibi proficit qui sic auarè cōgregat, quoniam ipse perpetuis vexatus laboribus ex suis diuitiis vel nullam vel minimam accipit consolationem. Sed neque hærēdi proficit, imò

*Auarus
sua ocioso
dimittit
hærēdi.*

officit

officit plurimum. Occasionem namq; illi
 præbet vacandi ocio, quod est seminarium
 atq; adeo mater ipsa malorum omnium,
 iuxta illud Sapientis: Multa mala docuit
 Eccle. 33. ociositas. Nam si ab immoderato illo cõ-
 gregandi studio abstinuisset avarus, neq;
 hæredi suo abundantiam tantam reliquis-
 set, sed tantum qualemcunque sufficien-
 tiam, aut etiam penuriam, fuisset illi hæ-
 ratione adempta ocij occasio. Dum enim
 hæreditatem videt sibi suisque non suffi-
 cere ad commodam sustentationem, cogi-
 tur ipse manus suas ad opus extendere, &
 occupationi alicui honestæ animum da-
 re, vt lucro manuû suarum suppleat, quod
 ex relicta hæreditate paterna deficit. Ac
 proinde, multò melius & sibi consulunt,
 & suis liberis qui modicum quippiam tẽ-
 poralium diuitiarum testamento illis re-
 linquunt, labore honesto & solitudine
 moderata acquisitum, quod in adiuven-
 tum potius quàm ad plenam sufficientiã
 sit vitæ frugaliter transigendæ, quàm ij
 qui multam auri argenti que vim, latam
 hæreditatem & ampla prædia, immodicis
 laboribus & solitudine nimia coacerua-
 ta illis reliquunt, in periculum graue da-
 mnationis illorum ad quos ista transmi-
 tunt. Videtur autem nobis operæ precium
 ad huius

*Melius
 agunt pau-
 ca quàm
 multa re-
 linquentes
 hæredibus*

ad huius rei certio rem fidem, Olympio- *Nota di-*
 dori Græci & vetusti authoris verba addu- *uinã. O-*
 cere, quæ locum istum enarrans scripsit in *lympido*
 hunc modum: Melius est, nos ipsos dum *ri senten-*
 sumus in vita, dispensare diuitias nostras *tiã cõtra*
 in pauperum ac egenorum necessitates, *eos qui o-*
 vt ita thesaurum habeamus indeficientẽ *mnia hæ-*
 in cælis, quàm aliis in hæreditatem trans- *redib' pu-*
 mittere, qualescunque demum illos fore *tãt cum*
 contingat. Quæ sanè verba aduersus illos *landã.*
 apertissimè faciunt, qui si quando conti-
 gerit prudentes patres diuitiis abundan-
 tes, multam partem in pios vsus erga cul-
 tum diuinum, vel in opera misericordiæ
 erga proximos expendere, & hæreditatem
 tamen sufficentem imminutam tamen
 relinquere liberis, statim exclamante, in-
 iustè fraudatos hæredes, parentes non re-
 ctè neq; iustè egisse cum liberis, eo quòd
 non in solidum omnem hæreditatem illis
 reliquerint. Hi profectò quid loquantur
 non intelligunt, humana tantum pruden-
 tia, non diuina sapientia instituti. Non e-
 quidem probo eos qui prorsus liberorum
 immemores, omnia in alienos abiiciunt.
 In illis namque locum habet, quod dicit
 Apostolus: Si quis suorum & maxime do- *1. Tim. 5.*
 mesticorum curam non habet, fidem ne-
 gauit, & est infideli deterior. Neque illud
 ignor

2. Co. 12. ignoro, quod alio loco idem ait, Nō filios parentibus, sed parentes filiis thesaurizare. Verūm & illius nos conuenit meminisse, quod diuinus ait Psalmista: Quoniā melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas. Melius utique est heredi modicum diuitiarum ac simul occasionem: honestē frugalitēque viuendi ex labore manuum, id est, occupatione honesta, iuxta Dei institutionem, relinquere, quā diuitias multas, simul cum occasione ocij genitricis malorum omnium. Tu quid sentias, bone lector, ignoro. Ego fanē qui hos per Dei gratiam cōmentarios indignus descripsi, quantum ad me attinent, coram Deo loquens in veritate protestor, meis parentibus per quos in hanc lucem Deo volente sum æditus, longē ampliores me & debere & agere gratias, pro illo (vt ita loquar) paruulo modico, quod mihi hinc abscedentes reliquerunt vix corporis necessitati sufficiens, quā si longē maiore ad me transmisissent hereditatem, lata prædia, aut regna amplissima.

Quid enim proderit homini de vniuerso labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? Cuncti dies eius doloribus & erumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit

quiescit. Et hoc nonne vanitas est? Nonne melius est comedere & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? Et hoc de manu Dei est. Quis ita vorabit & delitius affluet ut ego?

Causam reddit quare vanum sit illa sollicitari pro coaceruâdis sine modo diuitiis, eo quod omni careat utilitate. Quid (inquit) utilitatis habet homo, ex ista sua immodica & laboriosa sollicitudine, quam congregandis sine modo & termino thesauris impendit? Nihil profectò, nisi incòmoditatem magnam & afflictionem continuam, quam posse effugere si eiusmodi superfluam proiiceret sollicitudinem. Semper enim huiusmodi auari congregatores pleni sunt curis & sollicitudinibus, quibus perpetuò affliguntur, neq; per noctem ab eis habentes requiem, vix somnū plene capere valentes, propter sollicitudinem nimiam. Vnde fit, ut multa illis occurrant insomnia circa ea quibus vigiles toti incumbunt, quæ somni quietem auferunt. Multa namq; somnia, somni quietem turbant, crebrò etiam interrumpunt, dum post vehementia somnia expergefatus, somnians, mox ad sollicitudines suas rediens, nequit rursus in somnum incidere, atq; ita præcipuas subinde noctium

partes insomnes ducit auarus, magno ardore diem expectans, vt ad desiderata lucra & negotia properet. Quis (inquit subsequenter Ecclesiastes) id non esse vanissimam vanitatem, iudicet superfluis & inanibus curis sine vlla vtilitate seipsum cōficere, aliorum gratia? Nonne, inquit, melius est cum quiete & pace cordis de iis quæ Dominus dedit frugaliter viuere, & in eis moderatè oblectari, vt videlicet ex iis quæ suo labore vel industria sibi homo comparauit sine cura eiusmodi superflua comedat & bibat, & animam suam oblectet moderato vsu earum rerum quas sibi

De manu Dei sunt oīa. concessit Deus? Sunt enim dona ista quibus homo vtitur, de manu & liberalitate Dei, ad hominum vsum creata, vt homo frugaliter vtatur & moderatè oblectetur illis. Propter quod iuxta Dei ordinationē facit, qui sic eis frugaliter vtitur. Omnis enim creatura Dei (vt ait Apostolus) bona est. Et nihil immūdum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per orationē & verbum Dei. Quomodo autē de manu Dei sint omnia, quibus vti contingit homines, Psalmista indicat, dicens: Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore. Dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam, omnia imple

1. Ti. 4.

Pf. 103.

implebuntur bonitate. Et iterum: Aperis *Pf. 144.*
 tu manum tuam, & imples omne animal
 benedictione. Hoc igitur totum, id est, *Donum*
 omne quod homini in vsum venit, siue ad *Dei ma-*
 simplicem necessitatem, siue ad honestã *gnũ est li-*
 oblectationem, videlicet quod comedit, *beralis v-*
 aut bibit & vnde animæ suæ bona osten- *dit.*
 dit, hoc (inquam) omne de manu Dei est,
 quoniam omnia illa sunt dona eius. Vel
 aliter: De manu Dei est & peculiare ipsius
 donum, quòd quis eum habeat animum,
 vt audeat & velit frugaliter suis vt ad ne-
 cessitatem, honestatem, & pietatem. Verè
 enim parũ est habere bona externa, qui-
 bus possis iucundè & piè viuere, si ab a-
 uaro possideantur animo, vel potius ani-
 mum auarũ ipsa possideant. Verius enim
 à diuitiis possideretur auarus, quàm eas ipse
 possideat. Atq; hoc donum posterius ani-
 mi liberalis, liberique affectus, longè præ-
 stantius est dono priori, id est, possessione
 diuitiarum, quandoquidem hoc sine illo
 nihil nisi peccati materia est & damna-
 tionis fomentum. Ostendere autem bona *Ostende-*
 animæ suæ, in proposito dupliciter potest *re bona a*
 intelligi. Primũ, vt idem sit quòd sensus *nime qd*
 aspicere lætitia & consolatione reficere. *fit.*
 Aliter, distinguimus inter comedere &
 bibere ex parte vna & animæ suæ bona

ostendere ex parte altera. Qui enim comedit & bibit, in hoc corpori suo bona ostendit siue exhibet, quoniam cibus corporalis pascit corpus, non animam. Ostendit verò bona animæ suæ, qui de iis quæ à Domino accepit, non solum suo corpori satisfacit, sed insuper operibus pietatis & misericordiæ vacans, cultum diuinum ex eis piè augere, & proximorum necessitatibus misericorditer subuenire non negligit. Sunt quippe ista pietatis & misericordiæ opera pabulum animæ, ipsiusque salus & vita. Quoniam verò non sola corporis cura sufficit iusto, sed multo magis animæ suæ debet consulere, videlicet quātō anima (iuxta Domini verbum) plus est quàm corpus, ob hoc signanter Ecclesiastes post comedere & bibere, euestigiò adiunxit, & ostendere bona animæ suæ, quæ admodum & in capite sequenti, simili observatione eodémque consilio dicitur. Et cognouit, quòd non esset melius nisi latari & facere bene, in vita sua. Qui verò passum istum in persona stulti accipiunt, omni secundum excessum intelligunt comedere, scilicet, & bibere pro commestationibus & ebrietatibus, bona autem animæ ostendere pro omnigenis voluptatibus ad votum perfrui. Nunc verò partis
 illius

Matt. 6.

illius quæ sequitur: Quis ita vorabit, &c. *Quis ita vorabit, &c.*
 sensum & cōsequentiam videamus. Dixerat iam nunc Salomon, vanum esse auaritiæ studium circa res sine modo congregandas, vsúmque rerum frugalem & honestum prætulerať. Ne quis igitur ipsum sibi opponat, dicens: Quis vnquam te studiosius congregauit bona huius mundi, qui diuitias coaceruasti infinitas supra omnes reges terræ? cautè obiectionem istã præueniens dissoluit, se potius in liberalitatis & magnificentiæ exemplum proponens: Quis, inquit, ita vorabit & deliciis affluet vt ego? q. d. Me ipsum in exemplũ frugalis & liberalis vsus rerum propono. Quis mei similis inuenietur in magnificentia, in expensis regia dignis magnificentia, ad omnem abundantiam & gloriã? Vnde tametsi ex Dei dono per sapientiã quam mihi Deus contulit, diuitias acq̄sierim infinitas, audeo tamen pro mea cōditione & frugaliter & magnificè quęsitis vtĩ, & congregata dispergere. Non itaque iactanter hæc de se pronuntiat, sed vt sese in exemplum proponat frugalis vsus, suã magnificentiam explicat. Nec enim aliud per vorare, & delitiis affluere, secundum hunc sensum intelligimus, quã magnificum vsum rerum omnium. Quomodo

autem verum sit istud quod de seipso videtur iactare Salomon, manifestissime demonstrat Regum liber tertius, in cuius capite quarto sic legimus: Erat autem cibus Salomonis per dies singulos, triginta cori similæ, & sexaginta cori farinæ, decem boues pingues, & viginti pascuales, & centum arietes, excepta venatione ceruorum, caprearum, atque bubalorum, & auium altilium. Si verò in persona stultorum prius dicta accipiantur, poterit hæc clausula haberi tanquam confutatio obiectionis propositæ, in hunc sensum: Quid tu ò stulte obiicis de corporis delitiis, contendens eas esse magnificiendas & eligendas? Mihi potius harum rerum expertissimo crede, qui iam pridem tibi apertam sententiam de his protuli, nihil eas esse nisi vanitatem, errorem atque insaniam. Quis enim unquam sic indulxit corpori, omnibusque delitiis adeò est perfruitus, ut ego?

Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam & scientiam & latitiam, peccatori autem, dedit afflictionem & curam superfluum, ut addat & congreget, & tradat ei qui placuit Deo. Sed & hoc vanitas est, & cassa sollicitudo mentis.

Differen

Differentiam ponit inter hominem sapientem, & stultum, quorum hic rebus temporalibus cum avaritia conquirendis totum apponit affectum, ille verò (iuxta Evangelicum verbum) primùm quærit regnum Dei & iustitiam eius. Hominem itaq; sapientem & bonum, dicit habere à Deo sapientiam & scientiam bonam, atq; lætitiã in moderato vsu eorum quæ ipsi Deus concesserit. Melius est enim modicum iusto (vt Psalmista ait) super diuitias peccatorum multas, & plus habet iustus veræ, synceræque lætitiæ, ex modico illo quod ei Dominus concesserit sine anxia sollicitudine, quàm habet avarus ex omnibus illis quæ tanta cum sollicitudine sibi coaceruauit. Peccatori verò & stulto, qui toto affectu sollicitus est coaceruandis per fas & nefas diuitiis, dat Deus, id est, euenire permittit afflictionem & curam superfluam, vt prioribus plura adiiciat, nullum cupiditatis terminum præfigēs. Quæ postquàm omnia congregauerit, veniet Deus die & hora qua non sperat, & auferet animam eius, dicetque illi (vt est in Evangelica parabola) Stulte, hæc nocte repetent à te animam tuam, & quæ parasti cuius erunt? Dabitque Deus relicta bona cui ille voluerit, illi subinde de quo mini-

*Differen-
tia inter
sapientem
& stultū.
Matt. 6.*

Psal. 36.

Luc. 12.

mum is qui congregauit opinatus fuerat. Hoc autem proculdubio vanitas est, & vana atque inutilis animi sollicitudo, sic coaceruare cum afflictione, sine modo & termino, quæ postmodum relinquenda sunt alieno, quem ignoras, non illi quem tu elegeris, sed ei cui voluerit Deus ea obtingere. Sic enim ait: Vt addat & congreget & tradat ei qui placuit Deo. Non dicit: Vt tradat ei qui sibi placuerit: vel cui ipse datum voluerit, sed ei qui placuit Deo, id est cui datum ipse Deus voluerit. Sic enim frequenter euenit, vt quæ auarè ita congregata sunt per fas & nefas, affectu immodico, ad illos minimè pertingant quibus congregata fuerant, sed disponente Deo ad alienos & extraneos, de quibus is qui congregauit nihil suspicatus vnquam fuerat. Iuxta quod de huius-

Psal. 48. modi in Psalmo dicitur: Et relinquent alienis diuitias suas, & sepulchra

Psa. 108. illorum in æternum. Et alibi:

Scrutetur scenerator siue exactor omnem substantiam eius, diripiant alieni labores eius.

*

ANN

ANNOTATIONES EX
 Hebræo, atq; æditione Græca, in
 caput secundum.

*



ISVM reputavi errorem. In Hebræo est: Risum dixi amēriam siue insaniam vel illusionem, eo quòd homines faciat insanire, illuditq; mortalibus, quorum fascinat oculos. In antiqua verò æditione legimus: Risui dixi circulationem vel circuitum. Quod Olympiodorus ita interpretatur: Risui vel lætitiæ dixi: Circumuagare à me longius, & absisse. Potest tamen iuxta nostræ *Olympiodori interpretatio.* lectionis sententiam, per circuitum intelligi idem quod per errorē. Qui enim circumcumeunt non ambulātes viam rectam, hi proculdubio in errore sunt. Vel ideo circulationem dicit, lætitiā ineptā, quoniam homines facit circumferri, & miserè exagitari in concupiscētiis cordium suorum, per omnis generis vitia. Qui enim se lætitiæ ineptæ tradunt, de vitio in vitiū, continuo disfluunt. Cogitavi in corde meo, abstrahere à vino carnē meā. Huius loci admodū varia est lectio. Nā ex Hebræo videtur sensus haberi nostræ lectioni contrarius. Sic enim ad verbum ex Hebræo

vertunt, Cogitavi in corde meo, trahere in vino carnem meam. Quod sic intelligunt Hebræi expositores, Cogitavi diu versari in delitiis carnis, & illis diu immorari. Antiqua autem æditio sic habet, Consideravi, si cor meum traheret ut vinū carnem meam. Quod ita exponit Olympiodorus, Poculum quod bibētes haurimus, à conspectu nostro tollitur & evanescit. Consideravi itaq; num in prosperitatibus mundanis voluptatibusq; humana mens esse possit ita virilis ac fortis, ut absumere ac delere valeat, quasi epotum vinum, concupiscentias carnis. Feci mihi cantores & cantatrices. Huic nostræ lectioni etiam vetus consentit æditio. Alij verò pro cantoribus & cantatricibus vertunt, instrumenta musica diuersa. In eo quoq; quod sequitur, scyphos & vrceos in ministerio ad vina fundenda, maior est diuersitas. Vetus æditio habet, ministros & ministras vidi, id est, pocillatores vel pincernas utriusque sexus. Alij vertunt fistulam & cannalia, per quæ aqua flueret. Ex quibus est interpretes Chaldæus, qui fistulas intelligit effundentes aquas calidas & tepidas. Alij intelligunt vehicula operta & adornata, in quibus vectatus fuisset cum gloria. Alij sic vertunt: Electas mulieres ex præda habui.

bui. Alij id quod præcedit, delicias filiorū
hominum, cum eo quod sequitur coniun-
gentes, hunc eliciunt sensum. Acquisiui
mihi fœminas plurimas, quæ sunt delitiæ
filiorum hominum, id est, quibus nemo
non oblectatur. Sapientia quoq; perseue-
rauit mecum. Verus æditio habet: Et sa-
pientia mea stetit mihi. Quod quidam iu-
ta nostræ lectionis sensum interpretan-
tur: Sapientia mea perstitit siue permanfit
mecum, etiam cū me dedissem supradi-
ctis delitiis. Quam sententiā Olympiodo-
rus sequitur, dicens: Sapientia quoq; sta-
bilis mihi fuit. Adeo, inquit, exaltatus
sum, vt in nullo vnquam cōsilio rationeq;
aberrauerim. Alij, ad imminutionem &
defectum sapientiæ referunt, quod dici-
tur, sapientia illi stetit. Qui enim non
vltrā proficit, stare illum dicimus. Ita Sa-
lomon postquam se dedisset voluptatibus,
sensit se non vltrā proficere in sapientia,
ac proinde deficere. In huiusmodi nanque
deficit, qui non proficit. Quem sensum a-
pertè indicat Gregorius Næocæsariensis
in sua metaphrasi sic inquiens. Verū quid
post prædicta subsequutum sit, accipe. Sa-
pientia imminuebatur paulatim, & con-
cupiscentiæ parum sanæ crebrius inuale-
scebat. Quid est, inquam, homo, vt possit
seq

sequi regem factorem suum? Hoc in loco mira est interpretum varietas. Nostram lectionem beatus Hieronymus ponit, & interpretatur clarissimè in Commentariis, in eum sensum quem supra expressimus latius. Vetus æditio sic habet: Quis est homo qui sequetur consultationem, quæcunque hæc operata est? vel consilium quæcunque illud fecit? Quod ita potest intelligi. Quis ille erit qui cõsiliu meum sequetur, simul quæcũq; fecit illud meum consilium? hoc est: Multum foret ille laudandus, qui meum consilium sectaretur, quo à voluptate decreui me recipere ad sapientiam, & simul omnia quæ ego ex illo consilio feci aut facere proposui. Hunc sensum Grægorius Naxosariensis indicat his verbis: Collatis tamen inter se sapientiæ bonis & insipientiæ malis, merito admirabilem eum virum pronuntio, qui aliquando absurdè acta vita, semetipsum corripiens, in quam decet viam reuertitur. Olympiodorus triplicem aliam ponit expositionem, quam breuitatis gratia omittimus. Ex Hebræo autem admodum variè transferunt. Alij sic: Quis est homo qui currat post regem, pro eo quod iam fecerunt sibi? Alij: Quis est homo, qui sequi possit regem? id quod iam fecerunt

runt aliqui. Alij: Quis est homo qui venturus est post me regem, qui non faciet quod iam fecerunt alij? Alij: Quis est homo qui sequi possit regem per ea que iam fecerunt? Singulas harum lectionum explanare supersedeo, ne supra modum prolixus efficiar, si singula voluero persequi. Quis enim comedet & delitiis affluet, vt ego? Id est, quis me vixit sumptuosior & liberalior? quē sensum in cōmentariis plenius declarauim⁹. Quidā verò ex Hebr̄o sic legunt: Alioqui, quis comedet & festinabit vel sentiet præterquam ego? Cuius lectionis hūc assignant sensum. Quis iustius comedet & festinabit, supple, consumere bona mea, vel sentiet iucunditatem ex bonis meis, quā ego qui ea congregauī? Vetus autem editio longē alium sensum indicat his verbis: Quis comedit & bibit præter illum, nempe Deum? Hoc est: Quis comedit & bibit, nisi id à Deo habeat? Quem sensum paucis verbis exprimit Gregorius Naxocæsariensis, dicens: Nihil enim salutis nostræ seruiens, extra ipsius est prouidentiam. Atque hic sensus aptè quadrat cum illo quod statim præcessit. Et hoc de manu Dei est.

T E R



TERTII CAPI-
tis Commentarius.

*



OMNIA tempus habent, & suis spatij transcunt vniversa sub celo. Tempus nascendi & tempus moriendi. Tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum est. Tempus occidendi, & tempus sanandi. Tempus destruendi, & tempus edificandi. Tempus stendi & tempus ridendi. Tempus plangendi, & tempus saltandi. Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi. Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus. Tempus acquirendi, & tempus perdendi. Tempus custodiendi, & tempus abiiciendi. Tempus scindendi, & tempus consuendi. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Tempus dilectionis, & tempus odij. Tempus belli & tempus pacis. Quid habet amplius homo de labore suo?

Quæcunque sub sole geruntur in rebus humanis, perperuitatem non habent, sed vicissitudinem. Hoc, scilicet, est quod Terentianus ille exclamās, omnium (inquit

quit) rerum vicissitudo est. Hanc sententiam primùm generaliter propositam, deinde per particularia multa explicat, dicens: Tempus nascendi, & tempus moriendi, &c. Hæc autem omnia, veteres expositores mysticis explanationibus rebus Iudaicis nituntur accommodare, quæ quia proposito huius libri parum admodum videntur congrua, non prosequimur, sed iuxta literalem sensum simpliciter accipienda putamus, ad ostendendum per particularia multa, vnum generale propositum, videlicet omnia suum tempus constitutum & determinatum habere, & nihil esse in rebus humanis perpetuum, atque ad hoc ostendendum, ea assumit quæ maximè ante oculos cernimus. Habet (inquit) hominis natiuitas tempus suum, quo prodit homo in mundum, qui antè non fuerat: sed & mors ipsa suum habet tempus, quo abscedit & emigrat homo è mundo, quem nascens ingressus fuerat. Sic quod vno tempore plantatur, alio euellitur, eicitur vel præscinditur. Sic interdum quem in ira subito vulneramus, & occidere conamur, post paululum ira mitigata curari contingit à nobis, vel nostra vel aliorum opera, & summa sollicitudine pro eius vita seruanda animum intendere. Sic vbi

nunc

Omnium rerum vicissitudo.

nunc ædificium vetus diruitur, postmodū nouum extruitur: atq; e contrario. Sic fletus nonnunquam vertitur in gaudium, & e contrario, extrema gaudij (vt ait Comicus) luctus occupat. Est quando debeat homo plangere, est & quando exultare præ lætitia. Est quando debeat homo lapides dispergere, in diruendo vetus ædificium. Est quando rursus colligendi sunt, atque componendi in nouam ædificationem. Est quando casta voluptate ad inuicem frui debent coniuges, suscipiendæ prolis gratia. Est quando ab inuicem debeant continere & abstinere ab amplexibus. Nulli quoque semper contingit lucrari, sed interdum lucrum: interdum iacturam faciunt homines, qui lucris intendunt interdum acquirunt, interdum prius acquisita deperdunt. Ita res diligenti custodia, diu conseruata, tandem aliquando abiicitur. Ita quod prius scindunt homines, postmodum consuunt. Sic neque semper loquendum est, neq; semper tacendum, sed nunc occurrit tempus & occasio loquendi, nunc tacendi. Ita contingit in odio atque dilectione magna vicissitudo, similiter in bello & pace, vt inter quos nunc est amor atq; concordia pacis, inter hos postmodum odium interueniat capitale, & bellum

bellum irreconciliabile. Ita quoque per reliquas res humanas discurrentibus manifestè patebit, omnia tempus suum habere, & nihil in eis esse perpetuum, sed suis certis spaciis, & temporum limitibus vniuersa transire. Sed quorsum ista? Nimirum vt manifestè pateat, rebus humanis inesse vanitatem & afflictionem spiritus, ratione transitus atque instabilitatis huius, ac proinde in eis nequaquam esse cōstituēdam homini suā fœlicitatem, quod est caput totius huius concionis. Vnde cōcludit, dicens: Quid habet amplius homo de labore suo? Quasi dicat: Posteaquam in rebus humanis nihil est stabile, sed omnia transeunt atque præterfluunt, quid eximium, quid magnum, quid præcellēs, quid tale aut tantū potest habere homo de omni labore suo aut occupatione quolibet, in quo possit sibi constituere fœlicitatem?

Vidi afflictionem quam dedit Deus filiis hominum, vt distendantur in ea. Cuncta fecit bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo opus quod operatus est Deus, ab initio vsque ad finem.

Id ipsum hîc penè replicat, quod in capite primo dixit de vanitate occupationis,

in cognoscendis rebus creatis, quæ occupatio inter ceteras hominum occupationes plerisque videtur honestior, sublimior atque iucundior, quam ideo potissimum eligit & ante omnia vanam demonstrare contendit, ut de aliis inferioribus occupationibus id ex cōsequenti manifestum re-

Quomodo Deus occupatio nem affli ctinā dedit homini.

Roma. I.

linquat. Sic ergo ait Ecclesiastes: Consideravi afflictionem & laboriosam illā occupationem, quam dedit Deus filiis hominum, ut in ea distendantur, hoc est, in qua Deus filios hominum permittit occupari, detineri & affligi. Sic enim dicitur Deus dedisse hominibus hanc occupationem, quatenus permittit (ut supra diximus) iuxta modum loquendi quo Apostolus ait: Deū tradidisse gentes in passionem ignominiae, & in sensum reprobū. Vel ideo dicamus Deum dedisse hominibus hanc occupationem, quatenus intellectum eis dedit insatiabilem & infinitè capacem, unde procedit, ut sic homo velit omnia perquirere & inuestigare. Ut autem ostēdat, quoniam non in Deum vlla culpa recidit, subiungit: Cuncta fecit bona in tempore suo, &c. Quorum verborum hic est sensus: Omnia quæ fecit Deus bona sunt & commoda in tempore suo, quoniam vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant

erant valde bona. Neque quicquam est, *Gene. I.*
 quod non aliquam habeat in se vtilita-
 tem atque bonitatem, si eo commodè ho-
 mo vtatur, si (iuxta Olympiodori inter-
 pretationem) secundum simplicem natu-
 ræ operationem, & iuxta quod decet vsur-
 pentur ac fiant. Totum autem mundum
 creatum tradidit Deus disputationi homi-
 num, quia hominem in medio totius mū-
 di tanquam Dominum & patrem familias
 in domo sua cōstituit, tanquam eum pro-
 pter quem cuncta fecerat, & rationalem
 eum fecit, vnde habet vt de singulis Dei
 operibus inuestigare & disputare possit,
 singuláque opera Dei considerare, & ex
 eis ad gloriam Dei confurgere, propter
 quē ipse est conditus, sicut propter ipsum
 hominem cætera omnia fuerant condita.
 Hoc modo tradidit Deus mundum dispu-
 tationi hominum, ipsūque totum expo-
 suit examinandum ingenio eorum: ita ta-
 men, vt nemo quantumuis magni inge-
 nij, plenè possit comprehendere, vel vnū
 aliquod opus, ex iis omnibus quæ fecit à
 principio creationis rerum, vsque in fi-
 nem. Tradidit namque Deus mundum di-
 sputationi hominum, sed non inuentioni
 siue comprehēssioni vllius quod in eo est.
 Talem creauit hominē, vt possit aliquo-

*Tradidit
 Deus mū-
 dum hunc
 disputationi
 homi-
 num.*

usque inuestigare & disputare de iis quæ in mûdo sunt, dans videlicet ei rationem, per quam ex creaturis posset vtcunque creatorẽ cognoscere, & (iuxta quod Apo. *Roma. I.* ait) inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiceret, ita vt sint inexcusabiles, eo quòd de Deo ex creatis per rationis lumen potuissent cognoscere quantum opus est. Non potest tamen homo per rationem eò pertingere, vt quicquam operum Dei penitus comprehendat. Videlicet foliolum vnum ex arbore qualibet tibi desume, aut è terra gramen euelle modicum, incipe inuestigare, ratiocinari, disputare, adhibe in illius considerationem omnes simul neruos ingenij, si non sufficis solus, assume tibi adiutores quos noveris philosophos aut medicos subtilissimos, post versata ac reuersata omnia, fateberis, velis nolis, non inuenisse neque comprehendisse te id super quo fuit disputatio, imò minimum esse, & quasi nihil quod nosti siue inuenire potuisti, eius cõparatione quod te adhuc latet in folio illo vel gramine.

Et cognoui, quòd non esset melius nisi latari & facere bene in vita sua. Omnis enim homo qui comedit & bibit & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.

Potest

Potest hæc pars accipi, vel tanquam ex ipsius Ecclesiastis sententia, vt secundum assertionem posita, vel tanquam per modum obiectionis & ratiocinationis proposita, quemadmodum in præcedenti capi. de simili modo loquendi diximus. Iuxta priorem acceptionem, hic erit sensus: Deprehenso quòd nihil operum Dei posset comprehendi ab homine, ac proinde vanum esset, curiosæ & superuacaneæ inuestigationi creaturarum intendere, visum est mihi, hoc esse homini bonum & verè vtile, vt superuacanea eiusmodi & afflictiva inquisitione rerù postposita, mediocri creaturarum notitia, quantum ad Deum laudandum sufficit contentus in honesta lætitia vitam ducat, & probè viuat iuxta Dei voluntatem. Qui enim suis rebus, iis quæ Dominus liberaliter dedit, frugaliter vtens, comedit & bibit & lætiam accipit ex labore suo, ex dono Dei id habet, in donis Dei lætatur, & est ipsum hoc Dei donum, quòd sic ea habeat, & habitis frugaliter ad castam voluptatem vti possit. Primum namque donum est Dei, ea habere in quibus lætari possit homo quoniã ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipse est qui educit panem de terra, *Rom. 31.* quo confirmetur cor hominis, ipse qui vi-

*Varia e-
narratio.*

Psal. 103.

num educit de vite, vt lætificet cor homi-
 nis, oleum quoque præbet, vt exhilaret in
 1. *Tim. 4.* eo hominis faciem. Omnis autem creatu-
 ra Dei (vt Paulus Apostolus ait) bona est,
 & nihil immundum, quod cum gratiarũ
 actione percipitur, ac proinde, in creatu-
 rarum istarum frugali & rationabili vsu,
 non illi malè esse potest, modo vitæ recti-
 tudinem non deserat. Est item donũ Dei,
 frugaliter vti concessis à Deo, ita vt ab
 utroque extremo (quod circa vsum tem-
 poralium rerũ est vitiosum) alienus quis,
 in medio (quod est virtutis) cõsistat, vide-
 licet vt neque lasciuiat abusu, per prodi-
 galitatem & intemperantiã, neque se pri-
 uet vsu necessario, per auaritiã, sed per
 mediam frugalitatem, ad necessitatem sic
 vtatur donis sibi à Deo concessis, vt nihi-
 lominus virtuti studeat, & ei à quo illa ac-
 cepit non se ingratum exhibeat. Ob hoc,
 scilicet duo illa simul adiungit, lætari &
 facere bene, & rursus comedere ac bibe-
 re & videre bonum, quomodo in capite
 præcedenti, comedere & bibere coniun-
 xerat cum ostendere bona animæ suæ. Si
 Altera autem quis iam dicta malit accipere, vt
 intelligen- obiectiõnem ex aliena sententia proposi-
 tia. tam, erit illud, facere bene, accipiendum,
 nõ vt virtutis opus significet, sed vt idem
 sit quod

fit quod sibi facere bonum, id est, seipsum afficere gaudio & suam carnem delicate pascere. Id enim carnales homines vocat, sibi bene facere. Quod autem dicitur, donum Dei esse, comedere & bibere & videre bonum, id ex sententia similiter hominum carnalium voluptati studentium debet accipi. Sic enim illi solent sibi blandiri dicentes, se donis Dei uti, & in iis se oblectare quæ donauit Deus & propter hominum usum creauit, atque hoc colore, suam intemperantiam excusare conantur. Quod si iuxta hunc modum exponendi queratur, quam ob causam non adhibeatur erroneæ huic propositioni ex more confutatio? dici potest, ideo hic esse confutationem omissam, quoniam superiori capite posita fuit & latius explicata, ubi manifestè ex suo exemplo ostendit, in deliciis corporalibus esse vanitatem & afflictionem spiritus. Verum duarum harum expositionum prior videtur præeligenda.

Didici, quod omnia opera quæ fecit Deus perscuerent imperpetuum. Non possumus eis quicquã addere, nec auferre, quæ fecit Deus, ut timeatur. Quod factum est, ipsum permanet. Quæ futura sunt, iam fuerunt, & Deus instaurat quod abiit.

Coniungendus videtur hic sermo cum

eo quòd paulò antè dictum fuerat, mundum esse traditum disputationi hominū, ita tamen vt non queat inueniri ab homine vllum opus quod operatus est Deus ab initio. Vel ad id quod in principio capitis proponitur, de transitu omnium rerū quæ sunt sub sole, referri potest. Iuxta primam coniunctionem, erit huiusmodi cōnexio. Tamen si non possit homo inuenire aut penitus comprehendere vllum opus, ex hoc quòd mundus traditus est disputationi hominum, attamen hoc didici disputās & inuestigans, Dei opera perseverare imperpetuum, &c. Iuxta alteram connexionem intelligitur poni hic differentia inter res humanas & opera Dei. Quia enim in principio capitis res humanas omnes ostendit non esse perpetuas, sed transitorias, & suis spaciis vniuersa transire, ne quis forte etiam de operibus Dei id dictū putet, opportunè differentia hic ponitur. Vtroque autem modo, commoda est connexio. Quantum autem ad sententię propositę veritatem attinet, quærat aliquis, quomodo id verum sit, omnia opera Dei perseverare imperpetuum? cū ante oculos videamus quotidie, quædam generari quædam corrumpi. Quæ autem corrumpuntur, manifestum est non perseverare ea imper

Quomodo opera Dei imperpetuū perseverent.

ea imperpetuum. Quod si recurratur ad speciem, dicendo ea in specie permanere, quæ corrumpuntur in indiuiduo, ne sic quidem verum videretur, omnia opera Dei permanere imperpetuum, cum cōtingat aliquam speciē penitus non existere eiusque nullum indiuiduum subsistere. Et manifestum id fiet in consummatione seculi, quādo species mixtorum corporum inferiorum deficient. Quomodo ergo hæc vel secundum speciem permanebunt imperpetuum? Huic difficultati satisfieri potest, ex profundiori consideratione eius quod dicitur, omnia opera Dei, si videlicet opera Dei peculiariter intelligantur illa quæ Deus per seipsum est operatus, absque concursu illius causæ secundæ. Tametsi enim quæcunque fiunt, generaliter dici debeāt eius opera quatenus ipse præcipua causa est in omni rei productione, & quatenus simul cum causis secundis ipse ut causa prima concurrat, sine qua causæ secundæ nihil possent agere, cum debeant causæ secundæ agere in virtute causæ primæ (sicuti libro secundo de consideratione rerum naturalium latius ostendimus) meritò tamen peculiariter & magis propriè dici merentur Dei opera, quæ absque omni concursu & auxilio causarum secū-

darum ipse per se est operatus. Hæc sunt angelici spiritus, orbés cælestes, sol, luna & stellæ, quatuor elementa, omnes quoq; animæ rationales, quæ non more cæterarum formarum corporalium, virtute creata educuntur de potētia materiæ, sed Dei solius virtute creantur de nihilo. Insuper & materia prima, quam solus Deus creare potest, nō autē vlla virtus creata. Quorum prius, quantum ad animam rationalem, ostendimus libro octauo de consideratione rerum naturalium, capite quarto: posterius verò, quantum ad materiam primam, libro primo, capite nono. Omnia autem hæc manifestū est perseuerare imperpetuum, videlicet angelicos spiritus, tam bonos quàm malos, omnes animas rationales, orbés cælestes, & luminaria quæ in eis sunt, quatuor elementa, & cunctarum rerum primam materiam. Quæcunque verò in mundo sunt præter hæc iam enumerata, non generantur de communi cursu naturæ, absque concursu & cooperatione causarum secundarum. De prædictis quoque peculiaribus Dei operibus, illud verum est, quod sequitur. Non possumus eis quicquàm addere, nec auferre. Sunt enim opera illa penitus nostræ virtuti subtracta: & licet non nihil addere vel
subtra

subtrahere valeamus operibus istis, quæ apud nos sunt, vt hominem possumus interficere, & item hominem generare, arborem exurere aut arborem plantare, ad illa tamē opera de quibus supra diximus nulla creata virtus potest quicquam addere, nec ab eis auferre. Nulla enim creatura potest angelum generare vel corrumpere, aut orbem cælestem, aut elementum aliquod, aut animam rationalem, aut materiam primam. Ista quoque peculiariter fecit Deus vt timeatur vt speciali timore & reuerentia à nobis honoretur tanquã omnibus maior & præstantior, & virtute præstans omnibus. Si enim tantum ea fecisset Deus ad quæ etiam creata virtus se extendit, existimaret se parem creatura creatori neque videretur esse cur diceret: Domine quis similis tui? Aut: Non est similis tui in diis Domine, & non est secundum opera tua. Quod si cui nō placeat ista tam subtilis distinctio, intelligat, omnia opera Dei ex quibus tanquã ex præcipuis partibus suis constat vniuersum, permanere imperpetuum, & omnino omnia, permanere saltem secundum materiam alteram sui partem. Nullum enim indiuiduum corrumpitur, cuius non materia remaneat, cum creata virtute (vt supra dictū est)

Psal. 34.

Psal. 85.

*Genera-
lior intel-
ligentia.*

est) non possit corrumpi quicquàm materiæ. Vel imperpetuum recipe improprie, vt idem sit, quod vsque ad seculi consummationem. Atque ita perseverant omnia opera Dei secundum speciem, aut certè secundum successionem. Nos quoque operibus istis nihil possumus addere vel demere, ita vt esse faciamus aliquid de nouo quod non secundum simile in specie antè fuerit, neq; quicquàm auferre ita vt ipsum, nec secundum se nec secundum alterum simile vltra futurum sit. Omnia verò opera sua Deus sic fecit perpetua & nostræ subtraxit potestati, vt nos eius ex his immensam potentiam & sapientiam & bonitatem contemplantes, ad ipsius amorem & reuerentiam debitam excitemur. Ex prædictis autè facile est intelligere quod sequitur: Quod factum est, ipsum permanet, quæ futura sunt iam fuerunt, & Deus instaurat quod abiit. Quæ postrema particula, videtur ad speciei conseruationem pertinere. Quasi enim instauratur quod abiit, cum pro indiuiduo vno quod corrumpitur, generatur aliud in quo velut instauratur & permanet, quod in seipso defecit.

Vidi sub sole in loco iudicij impietatem, & in loco iustitiæ iniquitatem. Et dixi in corde meo: Iustum & impium iudicabit Dominus, &

nus, & tempus omni rei tunc erit.

Aliam describit vanitatem & afflictionē spiritus, quæ in hoc est, quòd omnia sunt plena impietate, adeo vt etiam in locis vbi insigniter solebat & maximè debebat vigere iudicium atque iustitia, regnent modò impietas atque iniustitiæ. *Quemadmodum per Prophetam de vinea sua Dominus conqueritur, dicens: Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: iustitiam & ecce clamor. Quod nunc quoque de vinea sua noua Ecclesia non multò minori iure videtur posse quærendo dicere, postquam abundante iniquitate, refrigit multorum charitas. Atque iterum per Esaiam Dominus clamat dicens, Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis plena iudicij. Iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Principes tui infideles, socij furum. Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos. Peculiariter quoque in locis illis, in quibus administranda erat iustitia & faciendum iudicium, videmus impietatem, & iniustitiam dum ab eis qui populo sunt præpositi non solùm non per iustitiam miseros defendi, verum etiam per vim & fraudem opprimi cernimus, neque solùm*

paupe

Esaiæ 5.

Mat. 24.

Esaiæ 1.

pauperum causas illos non suscipere, verum etiam peruertere, turpis lucri gratia.

Psal. 81. Quam vanitatem sanctus Propheta Dauid, loquens in persona Domini, acriter notauit, dicens: Usquequo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis? Ac deinde eam corrigit, subiungens: Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iustificate, &c. Quanta autem piis animis sit ista vanitas, materia doloris & afflictionis, experiuntur viri spirituales, in quibus est scientia & affectus Dei. Sed quid consequetur vanitatem istam? Illud videlicet quod statim subiungit Ecclesiastes: Et dixi in corde meo, iustum & impium iudicabit Dominus, & tempus omni rei tunc erit. Bonos & malos æquè iudicabit Dominus, redditurus unicuique secundum opera sua, bonis bona, malis mala præmia. Et tunc erit tempus omni rei, id est, omnium tunc erit remuneratio, quæcunque gesserit homo in corpore. Tunc omnia manifesta erunt, & detegentur dicente Apostolo, quòd in aduentu Domini ad iudicium illuminabuntur abscondita tenebrarum, & manifestabuntur consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo. Ita tunc tempus erit unicuique rei, quoniam de omnibus tunc iudicabitur, &

tur, & adducentur tunc omnia ad iudiciũ.

Dixi in corde meo de filiis hominum, vt probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestiis. Idcirco vnus interitus est hominis & iumentorum, & equa vtriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia, & nihil habet hominamento amplius. Cuncta subiacent vanitati, & omnia pergunt ad locum vnum. De terra facta sunt, & in terram pariter reuertuntur. Quis nouit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus iumentorum descendat deorsum?

Videtur profectò admirandum, quòd hominem Deus adeo bestiis similem secundum corpus effecerit, quem tamen ad æternitatis possessionem & ad retributionem æternam condidit. Quod considerans Ecclesiastes noster, ex occasione iudicij, cuius iam nunc meminerat, ait: Dixi in corde meo, & cætera. Quorum verborum hæc est sententia: Considerans statum & conditionem hominum, visum est mihi, & hoc dixi in corde meo, quòd probare illos siue tentare videretur Deus, in hoc quòd tanquam bestias eos facit apparere, & bestiis videri similes, quantum ad corpus attinet. Similitudo autem ista aperta videtur in morte corporis, qua-

Mirum quòd tam similem bestiis hominem fecerit Deus.

teaus

tenus videlicet similis apparet mors hominis & mors bestiarum, & quantum ad hoc æqua est hominis atque iumenti cōditio. Moritur enim homo sicut animalia cætera irrationalia, & similiter viuit homo vt cætera, tantum ad tempus, donec emigret è corpore anima, & quantum ad corporis vitam attinet, nihil apparet homo habere amplius iumēto. Cuncta quoque æquè videmus subiecta esse vanitati & mutabilitati æquè homines atque iumenta, & ad vnum finem, atque ad vnum locum videntur omnia tendere, quantum ad corpus attinet, tam homines quàm iumenta. Sicut enim similiter de terra facta, sic & in terram similiter reuertentur, puluis sunt atque cinis, & in puluerem (iuxta Domini sententiam) reuertentur, quando corpus anima priuatim putrefiet, & resoluetur in terræ puluerem. Ita sanè probare siue tentare videtur Deus filios hominum ex conditione mortalis corporis, vt vix credere valeant homines: ad tam nobilem finem & æternitatis possessionem se esse creatos. Quis enim secundum naturalem tantum rationem iudicans, & corporis istam defectibilitatem aspiciēs, non facilè scandalizabitur aduersus veritatē, vt iudicet nihil de se amplius, quàm
 de iumen

Gene. 3.

de iumento turam habere Deum, nec alium sibi finem expectandum quam illis? Signanter dico, quantum ad corpus attinet. Nam qui partem alteram, nempe animam (qui est rationalis spiritus) considerauerit, maius aliquid hinc inueniet, & quiddam proculdubio æternitate dignum. Verumtamen id per pauci aduertunt, aut certè pro dignitate considerant. Quod indicare videtur Ecclesiastes, cum subsequenter adiungit: Quis nouit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum? & si spiritus iumentorum descendat deorsum? Quasi dicat: Ex parte corporis manifestum est, hominem similem videri bestiis, vt ostensum est, quòd si ex parte animæ assignetur diuersitas, dicendo animam hominis esse immortalem, animam verò iumentum corruptibilem, quis illud cognouit, quotusquisque est hominum qui id credit siue cognoscit, aut certè perpendit, vt dignum est, quòd spiritus hominis sursum ascendat, id est, quòd anima hominis ad vitam immortalem migret à corpore, & ad Deum reuertatur spiritus qui fecit illum: anima verò iumentum descendat deorsum, id est, simul intereat cum corpore? Hoc ergo modo dicitur Deus probare *Quomodo* filios hominum, in hoc quòd bestiis eos *do proba-*

tenuis videlicet similis apparet mors hominis & mors bestiarum, & quantum ad hoc æqua est hominis atque iumentum conditionis. Moritur enim homo sicut animalia cætera irrationalia, & similiter viuit homo vt cætera, tantum ad tempus, donec emigret è corpore anima, & quantum ad corporis vitam attinet, nihil apparet homo habere amplius iumento. Cuncta quoque æquè videmus subiecta esse vanitati & mutabilitati æquè homines atque iumenta, & ad vnum finem, atque ad vnum locum videntur omnia tendere, quantum ad corpus attinet, tam homines quam iumenta. Sicut enim similiter de terra facta, sic & in terram similiter reuertentur, puluis sunt atque cinis, & in puluerem (iuxta Domini sententiam) reuertentur, quando corpus anima priuatim putrefiet, & resoluetur in terræ puluerem. Ita sanè probare siue tentare videtur Deus filios hominum ex conditione mortalis corporis, vt vix credere valeant homines: ad tam nobilem finem & æternitatis possessionem se esse creatos. Quis enim secundum naturalem tantum rationem iudicans, & corporis istam defectibilitatem aspiciens, non facillè scandalizabitur aduersus veritatē, vt iudicet nihil de se amplius, quam de iumen
de iumen

Gene. 3.

de iumento turam habere Deum, nec alium sibi finem expectandum quàm illis? Signanter dico, quantum ad corpus attinet. Nam qui partem alteram, nempe animam (qui est rationalis spiritus) considerauerit, maius aliquid hinc inueniet, & quiddam proculdubio æternitate dignum. Verumtamen id per pauci aduertunt, aut certè pro dignitate considerant. Quod indicare videtur Ecclesiastes, cum subsequenter adiungit: Quis nouit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum? & si spiritus iumentorum descendat deorsum? Quasi dicat: Ex parte corporis manifestum est, hominem similem videri bestiis, vt ostensum est, quòd si ex parte animæ assignetur diuersitas, dicendo animam hominis esse immortalem, animam verò iumentum corruptibilem, quis illud cognouit, quotusquisque est hominum qui id credit siue cognoscit, aut certè perpendit, vt dignum est, quòd spiritus hominis sursum ascendat, id est, quòd anima hominis ad vitam immortalem migret à corpore, & ad Deum reuertatur spiritus qui fecit illum: anima verò iumentum descendat deorsum, id est, simul intereat cum corpore? Hoc ergo modo dicitur Deus probare Quomodo filios hominum, in hoc quòd bestiis eos do proba-

re Deus dicitur hominem. assimilat, quoniam quantum ex parte corporis, manifesta apparet ad oculum similitudo atque paritas: quantum verò ex parte animæ, id tanquam oculis non patens, paucissimis est cognitum. Sic autem in prædictis Deus dicitur probare hominem, quomodo pater habens filium unicum, & cum quidem unice charum, non aliter tamen tractans eum, quam unum aliquem ex servis suæ familiæ, similiter eum vestiens, similiter pascens, similiter in laboribus exercitans, similiter obiurgans, atque ita in omnibus externis cum eo agens ut cum servis reliquis, per hæc suum filium rectè probare vel tentare dicitur, quasi ad sumendum experimentum, num filius sit de patre suo bene opinaturus, quod ipsum ut filium habeat, cum tamen à patre non nisi serui habeat indicium. Nam si ex affectu quis velit assignare differentiam, dicere poterit filius: Quomodo possum ego affectum singularem patris erga me cognoscere, cum omnia externa indicia videam mihi cum servis paria? Ad hunc ergo modum sicut filius iste dicitur probari à patre, eo quòd occasionem præbere videtur pater filio aliter de se sentiendi quam debeat bonus filius de suo patre æstimare, & aliter quam res se

res se habeat in veritate opinādi, sic Deus probare dicitur hominem, quatenus externis iudiciis quæ in corpore apparent occasionem videtur præbere homini aliter sentiendi quàm oporteat. Nam ex iis quæ in corpore homo tēnit, videretur homo nō maioris precij esse apud Deum, quàm iumenta, neque peculiare quicquā de homine Deum cogitare, cū longè secus res habeat, id quod etiam rationalis in homine anima euidenter demonstraret, si eius nobilitatem & dignitatem attentè homines considerarent.

Et deprehendi, nihil esse melius, quàm letari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet, vt post se futura cognoscat?

Quomodo paulò antè diximus, verbum illud: Cognoui quòd non esset melius nisi letari, & facere bene in vita sua. Omnis enim homo qui comedit & bibit &c. accipi posse, vel vt assertionem ex sententia Ecclesiastis, vel vt narrationem ex aliorum sententia, sic & hīc dici potest. Conuenientius tamen videtur, vt seriò ex sententia Ecclesiastis pronunciatum accipiatur, atque ita sensus est idem qui suprā: Deprehendi nihil esse melius, quàm vt homo de opere & labore suo moderatè

*Varia e-
narratio.*

latetur secundum Deum, & faciat bene
 in vita sua, ut ita Dei donis frugaliter
 utens, moderata seipsum reficiat lætitia,
 & hanc sum arbitratus esse portionem
 eius quam habere potest homo ex his
 quæ in hoc mundo sunt. Nihil enim po-
 test homo habere, ex iis quæ in mundo
 isto sunt, nisi usum moderatum, in cor-
 poris sustentatione & animi oblectatio-
 ne. Neque est cur homo, propter hære-
 des aut eos qui subsequuntur sunt, se-
 ipsum fraudet frugali usu suarum rerum.
 Quis enim adducet hominem (inquit
 subsequenter Ecclesiastes) ut post se fu-
 tura cognoscat ? quasi dicat, Superuaca-
 neum id fuerit, adeò te pro venturis tem-
 poribus aut pro iis qui sunt post te futuri
 hæredibus (de quibus ignoras & qui &
 quales sint futuri) esse sollicitum, ut pro-
 pterea teipsum fraudes bonis & frugali
 usu rerum tuarum. Quod si ut ex persona
 aliorum istud accipiatur eorum, qui aliã
 non expectant vitam post hanc vitam,
 erit hic sensus: Posteaquam non scimus
 quid post hanc vitam nobis sit euentu-
 rum, posteaquam certi non sumus esse
 aliam aliquam vitam post istam, fruamur
 interim bonis huius mundi. Est enim hæc
 tota portio hominis, si non expectatur vi-
 ta alte

ta altera. Eritque vox ista similis illi quã
Paulus Apostolus, ex Propheta replicat:
Manducemus & bibamus, cras enim mori-
emur. 1. Cor. 15.

ANNOTATIONES

in caput tertium ex

Hebræo.

*



M N I A tempus habent, & suis spaciis transeunt vniuersa sub celo. Ex Hebræo, ad verbum sic verti potest: Omnibus est tempus, & tempus est omni negotio sub celo: Vel tempus est omni quod volueris sub celo. Et mundum tradidit disputationi eorum. In Hebræo est: Seculum dedit in cor eorum, quomodo etiam vetus habet æditio. Seculum verò, interdum pro mundo ipso accipitur. Atque ita sensum habemus nostræ lectionis. Idcirco enim Deus mundum dicitur dedisse in cor hominum, quoniam rationales eos fecit, & intellectu præditos. Vnde habent, vt contemplando, velut complecti & comprehendere in se valeant mundum, & quæ in eo sunt. Atq; hoc ipsum est quod dicit nostra lectio mundum esse traditum disputationi vel inuestigationi hominum, iuxta quod in commentariis

suprà latius explicauimus. Quidam etiam hoc signanter dictum putant, quòd plurali numero positum sit, in cor filiorum hominum, videlicet quoniam Deus non vni homini omnium rerum quæ sunt in mundo scientiam donat, sed diuersis & per partes, vni scientiam huius rei, alteri alterius. Potest quoque intelligi seculum datū esse in corde hominum, quoniã datus est mundus hominibus, vt iis quæ in ipso sunt fruantur, & oblectentur pro honesto desiderio. Interdum verò seculum pro æternitate accipitur. Atq; ita quidam intelligunt, æternitatem vel desiderium æternitatis à Deo inditum esse mentibus hominum. Alij pro seculo vertunt absconsonem exponentes hunc totum locum de morte occulta, & abscondita hominibus, quam etiam intelligunt per opus illud quod operatus est Deus ab initio vsq; in finem. Hunc autem sensum assignat: Deus dedit absconsonem in corde hominum, id est, abscondit à cordibus hominum, vt nequeant inuenire diem vel horam mortis suæ, quæ mors ex diuino iudicio statim à principio à primo homine cœpit regnare, regnabitq; vsq; ad consummationem seculi in nouissimo homine. Mirū verò, quid legerit hoc loco Gregorius Neocæsariensis

sariensis, qui de dæmonis malitia eum est interpretatus, his verbis: Et malignus dæmon qui ab initio mundi vsque ad finem semper nocendi est auidus, ringenti ore seculum hoc circuit, & immodicè contendit, si qua occasione nacta creaturam Dei perdere possit. Quæ verba vt per se clara sunt & certa, nimirum Apostoli Petri doctrinam apertissimè sonantia, ita non facillè videntur vel ad Hebraicam lectionem vel ad æditionem veterem posse applicari. Et Deus instaurat quod abiit. In Hebræo & in æditione antiqua legitur, Deus requirit eum qui persecutionē patitur. Cuius lectionis sensus est apertus, Deum aspicere eos qui persecutiones ab aliis sustinent, vt vindictam pro eis faciat. Olympiodorus ita interpretatur. Deus queret persecutione affectum, hoc est innocuum, qui alij persecutionem non inferat & seruabit eum. In eandem sententiam videtur enarrare Gregorius Næocæsariensis. Beatus verò Hieronymus in commentariis secūdum præcipuam & magis probatam expositionem, nostræ lectionis assignat sententiam, dicens, id quod persecutionem patitur, id est, quod præterit, quod expulsus est, quod esse cessauit. à Deo requiri, id est, per Deum restaurari,

& velut renouari per alterius indiuidui generationē. Vidi sub sole in loco iudicij impietatē, & in loco iustitię, iniquitatem. Ex Hebræo ad verbū sic legitur: Vidi sub sole locū iudicij, ibi impietas, & locum iustitię, ibi iniquitas, subaudi erat, vel regnabat, quam sententiā nostra lectio breuius complectitur. Vetus autem editio sensum lōgē alium exprimit. Sic enim illa habet: Vidi sub sole locum iudicij, ibi impius, & locum iusti, & ibi pius. Quod ita interpretatur Gregorius Næocæsariensis. Ecce vidi in infernis regionibus barathrum ad nocentes & impios plectendos, & delicatam alteram regionem piis deputatam. Ita quoque interpretatur manifestē Olympiodorus. Iustum & impium iudicabit Dominus, & tempus omni rei tunc erit. In Hebræo plus habet finis orationis, quàm nostra lectio. Sic enim dicitur: Quia est tempus omni rei, vel omni quod volueris, & super omne opus ibi, subaudi, erit iudicium, vel pro omni opere ibi. Quod ita potest distingui, vt in priore parte significentur cogitatus, & affectus, in posteriori, opera ventura omnia ad examen iudicij. Vetus æditio similiter duoponit: Tempus erit omni rei & operi. Dixi in corde meo de filiis hominū, vt probaret

baret illos Deus. Verus a'ditio sic habet:
 Dixi in corde meo de loquela vel sermo-
 ne filiorum hominis, quoniam diiudica-
 bit vel separabit, vel discernet eos Deus.
 Quod ita interpretatur Hieronymus. Hoc
 solum (inquit Ecclesiastes) inter homines
 & iumenta Deus esse voluit, quia nos lo-
 quimur, illa sunt muta, nos voluntatem
 sermone proferimus, illa torpent silētio.
 Et cum tantum sermone differamus à be-
 stiis, tamen ostenditur nobis, quod iuxta
 corporis fragilitatem pecora sumus. In
 hunc modum enarrat & Gregorius Naxo-
 cæsariensis. Olympiodorus verò ad præ-
 cedentem sermonem de omnium exami-
 ne, etiam istud refert quod hic legitur,
 in hunc sensum, Non solum omni ope-
 ri tūcerit tempus examinis, verum etiam
 de sermone filiorum hominis hoc dixi in
 corde meo, quod pro eo Deus illos iudica-
 bit. Ad hoc enim propositum ait pertine-
 re illud Euangelicum: De omni verbo *Matt. 12.*
 ocioso quodcumque loquuti fuerint homi-
 nes, reddent de illo rationem in die iudi-
 cij. Sub verbo quoque oris externo, com-
 prehendi dicit in æternum mentis ver-
 bum, occultamq; cogitationem, eo quod
 & de his diligens exigetur ratio.



QVARTI CAPI-
tis Commentarius.

*



VERTI me ad alia, & vidi ca-
lumnias, quæ sub sole geruntur
& lachrymas innocentium, &
neminem consolatorem, nec pos-
se resistere eorum violentiæ,
cunctorum auxilio destitutos. Et laudavi
magis mortuos quàm viuentes, & fælicio-
rem vtroque iudicavi, qui necdum natus est,
nec vidit mala quæ sub sole fiunt.

Maxima profectò vanitas est extrema
spiritus afflictio homini amanti iusti-
tiam & metuenti Deum, videre ea quæ
hîc narrat Salomon, nempe calumnias &
oppressiones pauperum à potentibus, eo-
rumque audire clamores & querimonias,
cùm non habeant qui aduersus potentio-
rum vim illos vel possint vel audeant tue
Clamores ri. Quid ni enim affligatur & moueatur
& oppres spiritus hominis illorum querimoniis,
siones pau quando etiam in aures Domini sabaoth
perii mise residentis in cælis clamorem eorum con-
randa. stat ingredi? Testatur namq; id verbum
Domini

Domini ad primum illud fratris innocen- *Genes. 4.*
 tis oppressorem Cayn, ita dicentis: Vox
 sanguinis fratris tui Abel clamat ad me
 de terra. Ecce iam mortuo Abel adhuc
 sanguis eius clamare dicitur ad Dominū
 de terra. Quid ergo putamus facere viuen-
 tium amarum animum, dum adhuc sub
 oppressionis pondere sudant? Vidi (inquit
 Dominus ad Moysen) afflictionem po-
 puli mei, & clamorem eorum audiui, pro-
 pter duritiam eorum qui præsunt operi-
 bus. Ac rursus: Clamor ergo filiorum Is- *Exod. 3.*
 raël venit ad me, vidique afflictionem eo-
 rum qua opprimuntur ab Aegyptiis. Et
 sanctus Iacobus apostolus de iis tantum *Iacob. 5.*
 loquens qui per auaritiam detinebant
 mercedem pauperum, quā terribiliter
 aduersum eos exclamat dicens; Theauri-
 zatis vobis iram in nouissimis diebus.
 Ecce merces operariorum qui messuerūt
 regiones vestras quæ fraudata est à vo-
 bis, clamat, & clamor eorum in aures Do-
 mini sabaoth introiuit. Quid igitur de iis
 censendum, qui non solum debita non sol-
 uunt, sed aliena etiam rapiunt, & per fas
 ac nefas, omni postposito æquitatis respe-
 ctu, in suum peculium totam pauperum
 substantiam conuertunt? Quid autem si-
 bi illud vult quod sequitur: Et laudavi
 magis

magis mortuos quàm viuētes , & fœlicio-
 rem utroq; iudicauī qui necdum natus est
 nec vidit mala quæ sub sole fiunt? Quid
 enim? An non melius est esse , quàm non
 esse? & quomodo eum qui nondum na-
 tus est & omnino non est , potest fœlicio-
 rem dicere? cū ei qui non est , non com-
 petat vlla fœlicitas , scilicet , ista sic quo-
 dam in loquendo excessu ira dicuntur,
 propter doloris vehemētiā & rei indigni-
 tatem. His enim modis loquendi signifi-
 care vult Ecclesiastes, quàm indigna , mi-
 sera & non toleranda res sit videre huius-
 modi oppressiones pauperum, & mala tan-
 ta quæ sub sole fiunt. Simili ferè loquu-
 tionis genere , Matathias ille gloriosus
 legis Diuinæ zelator natum se deplora-
 bat , & viuere dicens in amaritudine ani-
 mæ suæ: Væ mihi, vt quid natus sum vide-
 re contritionem populi mei & ciuitatis
 sanctæ? &c. Ac post pauca: Quo ergo nobis
 adhuc viuere? Ita & vulgo homines cū
 mala multa & magna sibi euenire conspi-
 ciunt, tædium concipientes vitæ huius in
 qua tanta mala sustinent , mortem vitæ
 præferre incipiunt , & eos qui nondum
 nati sunt beatos prædicant. Ac prorsus ad
 eundem modum Dominus ad passionem
 vadens , filiabus Hierusalem ait : Filie
 Hie

1. Ma. 2.

Luc. 23.

Hierusalem, nolite flere super me, sed super vosipsas flere & super filios vestros, quoniam ecce venient dies in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Quare enim dicentur beatæ steriles, nisi quia non ad tanta imminentia mala proles adiderunt?

Rursum contemplatus sum omnes labores hominum & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi. Et in hoc ergo vanitas, & cura superflua est.

Nihil ita magnificentum apud homines geritur, quod non expositum sit inuidentiæ & calumniæ proximorum; & quo magis magna fuerint quæ gesseris, quo magis videbuntur gloriosa, eo magis tua omnia inuidiæ patebunt, ac deinde obtrectationibus atq; calumniis. Vide ipsum magnificentissimi Domini nostri exemplum. Vir potens fuit ipse, tam in opere quam in sermone, & adeo potens, ut eius similis nunquam apparuerit in Israël, ingenuè id confidentibus turbis atque dicentibus: Quia nunquã sic apparuit in Israël, &: Quantus est hic, cui etiam venti & mare obediunt? Et iterum: Propheta magnus surrexit in nobis. De magnificentia quoq; doctrinæ legimus, quòd admirabantur & obstupescabant

*Insignia
semper in
uidiæ pa-
rent.*

Matt. 9.

Matt. 6.

Luc. 7.

Matt. 7.

sciebant turbæ super doctrina eius, quoniam erat docens sicut potestatem habes, & non sicut Scribæ & Pharisei. Testanturque id ipsum Iudæorū ministri quos Ioannes ad ipsum comprehendendum missos fuisse describit. Vacuis nanq; manibus redeuntes cum à Scribis atq; Phariseis interrogarentur, quare non illum adduxissent, fidenter responderunt, Nunquam sic loquutus est homo, sicut hic loquitur. Ecce quàm magnificus hic fuit, tam in verbo quàm in opere. Inuidiam tamen & obreptionem adeo non euasit, vt etiam vini-potor dictus sit & Publicanorum amicus,

Matth. 11. magus, pactum habens cum dæmoniis, &
Mat. 27. seductor populi, blasphemus, seditiosus,
Luc. 7. aliq; huiusmodi, tantamq; passus est aduersus semetipsum contradictionem, vt
Hebr. 11. nouissimè in crucem quoque adactus fuerit. Quod si regum & principum magnificentiam consideres, quis non eorum multos habet hostes & æmulos? cui non frequentissimè etiam à subditis & ministris propriis detrahitur, ac maledicitur? Euidens quoq; exemplum est in iis qui scribendis libris suum nomen posteritati celebre reddere curauerunt. Quis horum, quantumuis fuerit rerum notitia instructus, aut facundia eloquentiæ præditus,

penitus

penitus inuidiam potuit euadere? Nónne etiam in venere inuenit Momus quod carperet? Maluit profecto scandalum quàm nihil carpere Nónne hac nostra tempestate cernimus etiam antiquissimorum auctorum, qui multis seculis ab inuidia quieverunt, scripta ab exurgentibus nouellis sciolis, cædi, conculcari, radi, discerpi, ac tantùm non appèdi patibulo? Quid quod *Sapient. 7.* nec illi quorum calamum diuinus ille direxit spiritus omnium artifex, omnem habens scientiam, omniáq; prospiciens, ab inuidia & calumnia fuerunt liberi? Auersus quos scriptis acerrimè pugnatum est, à Iuliano apostata & Porphyrio Philosopho, & si qui fuerunt huiusmodi, nec minus crudeliter etiam armorum potentia. Cùm igitur omne opus quantúmuis sit industrium, atq; magnificum, pariat ipsi auctori inuidiam, manifestum est, non posse hominem in quocunq; opere suo fœlicitatem constituere, quoniam afflictionem habet & vanitatem coniunctam.

Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas, dicens: Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraq; manus cum labore & afflictione animi.

Occasione eius quod dixit de industria deque industriis & magnificis hominum operi

Otiosorum
vanit. 16.

operibus, nunc contrarium subiungit, nempe pigrorum hominum inertiam, & damnandum otium, ne quis putet, ob hoc inertio otio esse vacandum, quod inuidiæ proximorum pateat labor omnis atq; industria. Huiusmodi enim sunt pleriq; hominum, qui videntes honestis actionibus parari invidiam atq; obrectationes suis autoribus, propter molliciem eligunt magis otium, semper Salustianum illud paratum gestantes in ore, Frustrà niti & nihil aliud nisi odium querere, extremæ dementiæ est. Quod verbum, licet in se verum sit (Nam omnino sine fructu niti, & nihil aliud querere nisi odium, certè non parvæ dementiæ est) à multis tamen non rectè in desidiæ & ocij patrocinium assumitur qui propter effœminatam animi molliciem non ferentes odium, quod semper secum adducit quantumvis proba industria, cessant ab honesta actione, quantum sibi tum proximis proficere, & (quod priori loco dicendum erat) Dei nomen sanctificare, eiúsque gloriam magnificare potuissent & debuissent. Hi sunt illi stulti qui complicant manus suas, ab opere desistentes, ut euadant invidiam. Hi dicunt in corde & cogitationibus suis, Melior est pugillus cū requie, quàm plena vtraque manus

manus cum labore & afflictione animi. Plus (inquiunt) voluptatis habebō in otio mihi viuens, & mecum habitans, atque ab omni industria & magnifica actione me ipsum subducens, quā si in magnis & arduis actionibus versarer in multa solitudine & afflictione animi, quæ ex proximorum inuidia obuenit omnibus qui industriam aliquid vel præclarum tentauerint. Sic & pigrum seruum in Euangelio legimus complicasse manus, quando talento in terram defosso, securus in otio quieuit, dum interim alij fideles serui, industria sua operarentur ad lucrum Domini. Sed videant nostri isti stulti manus suas nunc complicantes, ne simile olim aduersum se audiant proferri iudicium, nequando aduersum eos tonet iudex (qui manus complicatas & otiosas odit, amat autem extensas & operosas) ac dicat: Serui mali & pigri, sciebatis, quia ego homo durus siue austerus sum, meto vbi non seminavi, & congrego vbi non sparsi. Oportuit ergo vos cōmittere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego accepissem vtique illam cum vsura. Ac deinde: Tollite itaq; talentum ab iis qui habent. Ac postremo: Seruos inutiles proiicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.

*Mat. 25.**Luc. 19.**Contra
otiosos.*

Comelut Huiusmodi verò quomodo dicantur co-
carnes o- medere carnes suas, variè exponitur. Vel
tiōsi. em̄ summa egestas significatur, qua etiã
 necessariis vitæ nonnunquam destituuntur pigri. Vel (quod magis nostro proposito conuenit) tabefactio illa accipiatur, qua solent inuidi cõtabescere seip̄os macerantes. Ferè enim fit, vt hi pigri & stulti, qui nihil ipsi moliantur præclarum, aliis inuideant, qui manus ad opus audent extendere. Rectè autem stultum hîc pigrum nominat, quoniam (vt alio in loco dicitur) qui sectatur otium, stultissimus est. Et quod hîc dicitur, stultus complicare manus suas, idem est quod alibi dicitur: Piger abscondit manum suam sub ascella, id est, renuit laborare.

Prom. 12.

Prom. 19.

Considerans reperi & aliam vanitatem sub sole. Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitiis, nec recogitat dicens: Cui laboro, & fraudo animã meam bonis? In hoc quoque vanitas est & afflictio pessima.

Aliam considerat Ecclesiastes vanitatem & eam quidem maximè ridiculam & irrationabilem: tamen frequens fit in hominibus. Ea est, auara coaceruatiō diuitiarũ, sine modo & termino, cum perpetua solitudine,

Auaro-
rum con-

citudine, & fatigatione (vt ita dicam) in-
 fatigabili, cùm non habeat congregans ^{gregato-}
 hæredem aliquem sibi attinentē, pro quo ^{rum ma-}
 videri possit ita congregare diuitias, vt ^{xima va-}
 pote filium non habens, quem si haberet, ^{nit. u.}
 videretur vtcunque tolerabilis ista coacer- ^{2. Co. II.}
 uatio, cùm natura doceat parentes thesau-
 rizare filiis, imò neque fratrem habens
 aut sororem aut horum liberos, aut aliquē
 sic ex propinquo ad se attinentem, pro
 quo videri posset sic congregare, aut cui
 se relicturum illa sperare posset. Attamen
 sibi non parcit auarus iste à laboribus, ne-
 que satiantur oculi eius congregatis di-
 uitiis quantacunque congregauerit, nil
 iam parta videntur, (vt de auaris coacer-
 uatoribus ait Seuerinus Boëtius) sed quæ-
 sita vorans sæua rapacitas, & alios pandit
 hiatus. Neque perpendit hoc apud sese,
 quòd in incertum laboret, & frustra labo-
 ribus se consumens, & partis vti liberali-
 ter non audens, propter auaritiam, vt cre-
 scat thesaurus: cùm nesciat, cui hunc the-
 saurum congreget. Quis dubitet, hanc
 esse vanitatem & afflictionem miseran-
 dam, imò maximè ridendam?

*Melius est ergo duos esse simul, quàm vnum,
 habent enim emolumentum societatis suæ. Si
 vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Vt soli.*

quia cum ceciderit, non habet subleuantem, se. Et si dormierint duo, fouebuntur mutuo. Vnus quomodo calefiet? Et si quispiam prauauerit contra vnum, duo resistunt ei. Funiculus triplex, difficile rumpitur.

Occasione eius quod dixit de auaro coacervatore non habente heredem, utpote neque filium neque fratrem digreditur ad commendandam plurimum honestam & amicam societatem, eamque preferendam solitudini & vitæ priuatæ, qua quisque sibi tantum viuit amicorum societatem respiciens, ut facere solent auari, qui propter auaritiam amicitias & societatem fugiunt, tanquam solitariæ viuentes feræ, ut prædam sibi totam seruent, ne cogantur impartiri quicquam cohabitantibus. Continuans ergo cum prædictis sermonem, ait: Melius est ergo esse simul duos amica societate coniunctos, quam vnum solum solitariè viuentem, & honestam amicamque omnem societatem refugièrem. Est enim multa utilitas sic adinuicem honesta amicitia coniunctis, à seinuicem. Nimirum si vni quippiam euenerit aduersi, ab altero cõsolabitur, aut certè sustentabitur, & præseruabitur ab imminente periculo, amici auxilio vel consilio, qui per semetipsum in damnum graue incidisset. Cõtra verò, male

*Amica
societas
meliori
est moro-
sa solitu-
dine.*

male illi est & in magno ille versatur periculo qui solus est, & nulli amica societate coniungitur, quoniam si illi contigerit quippiam aduersi, non habebit qui eum consoletur aut restituat in statum pristinum, & si periculi quippiam aliquando immineat, defectu amici consilij nonnunquam incidet in illud, unde euasisset per sanum amici consilium. Id quoque sensibili manifestissimè monstratur exemplo. Duobus enim simul eodem in lecto dormientibus, inuicem se illi calore fouent, cum interim solus cubans interdum frigore rigeat. Sic sanè in omni vita hominis, honesta & amica societas plurimam adfert vtilitatem, qua caret ille qui eam respuit. Denique, & in resistendo hosti, duos simul iunctos manifestum est fortiores esse vno & solitario. Nam si quispiam contra vnum præualuerit, adueniente altero in auxilium victi, victor deiicitur, & duobus iam coniunctis præualere non potest. Id quoque crassa similitudine indicat, quam à funiculo sumit. Sicut enim funiculus cum simplex tantum fuerit facillimè rumpitur, cum autem duplex, minus facile, cum verò triplex, difficilius (multiplicatio namque fortitudinem adiicit) sic qui solitarius est neminem habens consolantem vel instru-

*De funiculo tripli-
ci.*

tem, vel cum quo communicare possit sua consilia, perquam facile superatur, qui vero honesta amicitia & sancta societate cōiunctus est iis à quibus potest consilium & auxilium, eruditionem quoque & consolationem suscipere, huic minus est periculi. Hoc videlicet illud est, quod spiritus sancto illustratus David exultando canebat: Ecce quam bonum & quam iucundū, habitare fratres in vnū. Sicut vnguētū in capite, quod descendit in barbā, barbā Aarō. Quod descendit in oram vestimenti eius, sicut ros hermon qui descendit in montē Sion. Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem & vitam, vsque in seculū.

Ioā. 13. & Ob hoc toties in Euangelio Dominus
14. & 15. charitatem & pacem commendat disci-
1. Cori. 1. pulis. Ob hoc Paulus Apostolus tam soli-
Ephesi. 4. citē suos discipulos obsecrat vt non sint in
 eis schismata aut contentiones, sed vt perfecti sint in vno sensu atque sententia, vt solliciti sint seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, & ab omni diuisione sint alieni. Ob hoc suos discipulos esse monet Petrus vnanimis, item & reliqui Apostoli Domini videlicet non ignorantes, quanta commoda cōsequantur fideles ex hac spiritali vnione & vera amicitia pacis, & e-
 cōtrario, ex dissidio quanta incommoda.

Omni

Omni quippe Dei dono indignus est, qui ab hac communione amoris alienus est. Quod vel vnico satis indicatur testimonio Saluatoris nostri, dicentis: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet eis à patre meo qui in cælis est. Vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Quanquam autem corporalis esse videatur societas, de qua loquitur Ecclesiastes, omnia tamen ad spirituales sensum potissimum spectare, nihil est dubium.

Melior est puer pauper & sapiens, rege senes & stulto, qui nescit prouidere in posterum. Quod & de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum, & alius natus in regno inopia consumatur.

Vult ostendere Ecclesiastes, etiam in regni prælatione non esse solidam fœlicitatem, qui tamen status inter homines maximi æstimatur. Contingit enim, regnum obtinentes stultos atque improvidos esse, qui nonnunquam per stultitiam suam traditum sibi à patribus regnum perdunt, quemadmodum fecit Roboam. Vnde hic *Puer pau* præfert plebeium puerum, pauperem sed *per & sa-* sapientem, regi seni & stulto, quoniã puer *piens regi* pauper & sapiens, temporis processu, per *seni et stul*

- to prefer-* suam industriam, & sapientiam ab infima
tur. conditione nonnunquam ad summam di-
 gnitatem prouehitur, vbi econtrario rex
 senex & stultus subinde per suam stultitiã
 à supremo regni fastigio ad ima collabi-
 tur. Id indicat, quod sequitur: Quod & de
 carcere catenisque interdum quis egre-
 diatur ad regnum, & alius natus in regno
Gene. 39. inopia consumatur. Cuius exemplũ, quã-
 tum ad partem priorẽ, in Ioseph vidimus,
 qui puer pauper fuit, nimirum seruus &
 conclusus in carcere, per sapientiam tamẽ
 suam, primũ quidem factus est præposi-
 tus domus magistri sui, atque etiam carce-
Gene. 41. ris, ac deinde ad Dominum terræ Aegy-
 pti est euectus, ita vt esset quasi rex, Do-
 minus & princeps, vt sine eo nec manus
 posset moueri in vniuersa terra Aegypti,
Psal. 77. eiũsque nutu gererentur omnia. Exem-
 plum quoque longè præclarius habemus
 in David, qui de gregibus ouium subla-
 tus est atque de post foetantes (vt ait ipse)
 assumptus ad Israëlitici regni gloriosa
 fastigia, non in se tantũ sed & in semine
 suo inæternum occupanda, qui tamen &
 puer fuit & in miseriis multis, quemad-
 modum coram Domino confitens ipse
Psal. 87. testatur, ac dicens: Pauper sum ego, & in
Psal. 118. laboribus à iuuentute mea. Et alibi: Ado-
 lescentulus

Iescentulus sum ego & contemptus. Quid
 autem minus quam in carcere fuit & ca-
 tenis qui tanto tempore Saulis persecuu-
 tione exul à terra sua quasi captiuus lati-
 tabat in desertis atque speluncis? Sic &
 Cyrum illum Persarum regem, tradunt
 historiæ à misera conditione in qua edu-
 catus fuit, ad regnum tam amplissimum
 conscendisse, vt diceret, omnia regna ter-
 ræ sibi data à Deo, id quod & de aliis ple-
 risque gentium scribunt historiæ. Nam *1. Esdr. 2.*
 vel apud vnos Romanos, quàm multos
 legimus per sapientiam ab infimo statu
 ad summos pertigisse honores. Quantum
 verò ad partē alteram, de iis qui propter
 stultitiam à regno pelluntur & consumū-
 tur inopia, exempla item sunt plurima,
 tam sacræ quàm prophanz historiæ. Vide
 Saulem, non dico in regno natum, sed
 (quod est amplius) in regno primum à
 Deo ipso institutum, quomodo propter
 stultitiam & ipse periit, & domus eius
 inopia consumpta est, ita vt postmodum
 vnicus ille de eius domo superstes reli-
 ctus nepos eius Miphiboseth, velut men-
 dicato deberet viuere de mensa emuli sui,
 nempe Dauidis, qui illi annonam, & ci-
 bum constituerat de mensa sua, & id qui-
 dem non propter Saulis insipientiam, sed *2. Reg. 9.*

3. *Re. 14.* propter sapientiam Ionathæ filij eius. Vide de Roboam Salomonis filiū, cuius regni angustia si cōferatur ad paterni regni amplitudinem, & gloriam, non immerito dici potest ipse consumptus inopia, adeò vt pro aureis scutis quæ pater fecerat, ipse proximè succedens filius nō nisi ænea potuerit substituere. Vide Sedechiam, qui propter stultitiam qua fœdus rupit & iurandum violauit, exoculatus est, & vinculis alligatus in Babylonicam seruitutē captiuus abductus est. Ex gentium quoque historiis, quàm insigne exemplum cernimus in Sardanapalo illo effœminato, qui tam amplissimo & glorioso regno, propter sui fœminei animi nō ferendam stultitiam, priuari meruit, ac perire vlttricibus ignibus.

Vidi cunctos viuentes qui ambulant sub sole, cum adolescente secundo, qui consurget pro eo, infinitus numerus est populi omnium qui fuerunt ante eum, & qui postea futuri sunt non letabuntur in eo. Sed & hoc vanitas & afflictio spiritus.

Magna est in his verbis difficultas, & in eorum explanatione multa perplexitas, Commentatorum quoque tam veterum quàm recentiorum non parua varietas. Beatus Hieronymus varias adducit veterum

rum enarrationes, sed omnes admodum perplexas. Alij ad Roboam, alij ad Christum, alij ad Antichristum accommodant, alij alia adferunt. Nos citra præiudiciũ cuiusquàm, explicabimus sententiam quæ nobis videtur proposito loco & textui maxime consentanea. Ponemus autem duplicem, ut eligat sibi lector quam magis cõuenientem iudicauerit. Prior intelligentia hæc est. Vidi omnes qui viuunt sub sole ambulare, cum adolescente secundo, id est, vidi omnem populum regni alicuius comitari cum magno honore filium regis, qui secundus dicitur à patre, quantum ad successionem regni. Hoc est, vidi in tanto honore esse regem, ut non solùm ipsius personam, verumetiam filium eius futurum in regno successorem, maximo reuerentur obsequio, dum ipsum comitantur, deducunt, & custodiunt, tanquàm regni thesaurum, nobiles & principes & quicumque aliquid sunt in populo, non multò minus quàm ipsum qui actu regnũ tenet. Sed quid aut quãtum est istud quod vel patri vel filio honoris impenditur, si conferatur ad populum qui præcessit, & ad eum qui post subsequuturus est? Modicum admodum censebitur, quicquid vel patri vel filio successorì videtur impendi.

*Locus ad
modũ per
plexus &
difficilis.*

Infini

Infinitus etenim est populus & multitudo innumerabilis eorum qui fuerunt in seculis prioribus ante illos, qui neque patrem istum neque filium vnquam cognouerunt, & à quibus nullam acceperunt gloriam. Sunt item post ipsos futuri infiniti & innumerabiles, qui etiam non lætabuntur neque in patre isto neque in filio, qui de his nihil scient olim præteritis, neque vllam in eis delectationem habebunt, vt solent populi in rege suo oblectari & exultare. Tametsi igitur magnum quid videatur, tanto comitatu præsentis & nunc viuentis populi circundari & honorari, nimis tamen modicum id censebitur, si ad illas innumeras multitudes præcedentiũ atque subsequentiũ fiat collatio. Atque id certè vnicuique regi ac principi iusta potest esse causa se non efferendi, seque non fœlicem reputandi, sed regnum suum vanitatem afflictionem iudicandi, si cogitet apud sese: Ecce nunc ab omnibus qui sub sole sunt honoror ego, & comitantur me omnes, imò non me solùm, sed insuper etiam filium meum, qui mihi erit in regno successor. Sed quanta iam elapsa sunt secula, in quibus nulla fuit mei notitia? quot iam sine fine mortua sunt hominum milia, qui de

qui de me neque vel fama vel nomine
quicquàm cognouerunt, quanta item in
seculis post venturis erit hominum mul-
titudine, apud quos vel nulla omnino vel
admodum tenuis, atque ea apud paucissi-
mos, erit mei memoria? Quid igitur ge-
stire volo quasi magnum aliquid tenens,
aut quid exultare quasi beatus: cum po-
tius tanta hæc præfens exaltatio mihi ista
perpendenti vertatur in afflictionem spi-
ritus? Posterior intelligentia hæc est: Vi-
di in maximo numero homines sequi a-
dolescentem illum qui regi seni & stulto
est successurus. Similiter maximus nume-
rus est eorum qui fuerunt ante eum, scili-
cet iuuenem, id est, qui olim regnante illo
sene illum comitabantur cum gaudio &
applausu, sed postmodum visa est illis gra-
uis potestas eius, & descuerunt ab eo: sic
etiam quantum ad hunc nouum regem
qui pro alio assumptus est, licet in prin-
cipio maximus numerus eum sequatur
gaudens, & plaudens, posterius tamen
quando iam in regno fuerit confirmatus,
non latabuntur in eo. Incipiet enim tunc
eis videri nimium grauis eius potestas,
sicut olim prioribus visa fuit præceden-
tis regis grauis authoritas. Fit autem
hoc, vel ob ipsius in regno succedentis
vitiū

*Altera
intelligen-
tia.*

vitium, quoniam non qualis videbatur futurus cum assumeretur in regnum, talis permanet ubi regnum obtinuerit, sed mutatur eius animus, & in similem tyrannidem ob quam prior abiectus fuerat convertitur, nonnunquam etiam in maiorem. Interdum vero id euenit vitio vel in experientia subditorum, quando sine causa aduersus regem murmurant, etiam si longè mitius illos tractet quam à priori fuerant, ut solent semper etiam erga mitissimos principes murmurare subditi.

Exod. 15. Quemadmodum filios Israël frequenter
16. & 17. legimus graue murmur aduersus Moysen concitasse, quasi ab eo opprimerentur & consumerentur in solitudine: cum tamen esset ipse vir mitissimus (iuxta scripturæ testimonium) super omnes homines qui morabantur in terra, neque unquam vllius subditorum suorum quicquam desiderasset. Interdum etiam propter in experientiam, iuniores qui non sunt experti regis prioris tyrannidē, non lætantur in successore, ubi ij. qui prius sub antiqui regis tyrannide vixerunt, plurimum lætantur sub noui successoris iusto & equo moderamine. Quem sensum secundum

*Gregor.
 Neocæs.*

partem aliquam videtur indicare Gregorius Neocæsariensis, hunc locum ita explanans:

planans: Nonnunquam contingit eos qui *explana-*
 tyrannidem insipientis antea tulerunt, *tio.*
 sub prudentioris iuuenis moderamine re
 spirare & hilares agere: licet æquales sui
 & iuniores, & qui præter illum non noue-
 runt alium seducti opinione peruersa &
 impetu spiritus contrarij, laudes ipsius
 prædicare nesciant. Præter verò supradi- *Tertia e-*
 ctas duas enarrationes adiicimus & ter- *narratio.*
 riam paululum discedendo à communi
 lectione Latina, non tamen ab Hebræa,
 tantum loco illius, qui fuerunt ante eum,
 legendo qui antecedunt vel præcedunt
 ante eum, & loco illius, qui postea futuri
 sunt, legendo, qui post ipsum sunt, vel
 ipsum sequuntur. Atque ita sensus hic as-
 signatur: Vidi totum regnum & omnes
 regni magnates, & omnem penè popu-
 lum comitari adolescentem secundum à
 rege, filium regis, futurum hæredem &
 successorem eius, cum tanta utique pom-
 pa, vt quasi infinitus videretur numerus
 populi eorum omnium qui ipsum præce-
 dunt, & qui post subsequuntur. Admo-
 dum enim magno comitatu ex omni par-
 te stipatus incedit, vt diligentissime ser-
 uetur, nec quicquam aduersi accidere pos-
 sit hæredi regni. Existimarent namque
 suum caput & coronam se perdidisse, si
 regni

regni hæredem perire contingeret: atque ob id tanto eum comitatu muniunt atque custodiunt. Attamen non continget eis vt lætentur in eo, quem tanta diligentia seruauerunt sibi, ad regnandum super se pro patre. Id enim dupliciter contingit: Vel quia ante tempus morte deficit, & nonnunquam ante patrem contingit deficere filium, in quo spes regni erat, aut simul cum patre, vt Ionathas in prælio cum Saule patre suo. Aut quia post mortem patris, quando ad electionem procedendum est, & regis institutionem, mota seditione aut turbatione aliqua, interdum populus ab eo subito recedit, quem prius viuente patre vt successorem regni tanta affecerat reuerentia: quemadmodum accidit Roboam Salomonis filio, in quo decem tribus Israël non sunt lætata. Vel postquam in regnum iam ille successor introductus, & in eo confirmatus fuerit, versus in tyrannidem opprimet populum, vt non lætari possint, sed magis doleant & affligantur in eo. Potest etiam istud, Non lætabuntur in eo, sic intelligi: Quamuis tanto comitatu hæredem regni obseruent & custodiant, propter metum regis patris eius, attamen non lætabuntur in eo, non id ex animo facient quod facient, vt pote cum tyran

tyrannus in regno fuerit pater, non multum oblectantur populi etiam in filio talis patris, eo quod plerunque soleant filij parentum exemplū imitari, propter quod mallent ab ea tyrannorum progenie esse liberi, obsequia autem externa illa tam magnifica non ex animo præstant. Et in hoc quis dubitet esse vanitatem? Proculdubio talia hæc sunt, vt propter ea nemo debeat in statu regni constituere fœlicitatem. Iuxta has autem iam datas enarrationes, continua est sententia, ab eo loco, Melior est puer pauper, vsque dum dicitur: Sed & hoc vanitas & afflictio spiritus, quod tanquam ex prædictis ostensa conclusio adiicitur, indicans non esse ne in regni quidem præ eminentia fœlicitatem solidam, sed vanam instabilitatem & afflictionem spiritus.

*Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei,
& appropinqua vt audias: Multò enim melior est obedientia, quàm stultorum victimæ,
qui nesciunt quid faciunt mali.*

Docet hic in fine capitis huius, atque subsequenter in alterius initio, quædam ad Deum pertinentia, in quibus subinde offendunt homines. In qua instructione, licet non dicat consueto more: Vidi & aliam vanitatem, aut, Etiam hoc vanitas

*Custodi-
endi pedes
ingredien-
tibus do-
mum Do-
mini.*

est: aut aliquo consimili modo loquendi: nihilominus tamen suum thema profequitur, tamen si ipsum non expresse replicet. Dum enim quid ad veritatem vitæ attineat, docet, proculdubio contrariam vanitatem taxat. Ait ergo: Custodi pedem tuum, ingrediens domum Dei. Cuius hic est sensus: Cum ingredi volueris domum Dei, vide ut mundi sint pedes tui, neue (ut in prouerbio est) illotis pedibus in eam irruas, non attendens reuerentiam quam debes erga locum sanctum, diuino cultui dedicatum, & diuina præsentia peculiari-ter sanctificatum. Hoc est, custodire pedem, obseruare ut mundus introiens. Quemadmodum in sua mataphrasi indicat Gregorius Næocæsariensis, inquit, Porro quantum ad ecclesiam attinet, principio vitæ tuæ rationem habeto, ut ipse rectus ambules. Olympiodorus quoque & Saloni- nus pedem hinc animæ, non corporis intelligendum annotauerunt. Inter cætera autem quæ in templo sunt agenda, vnum est non minimum, ut doctrinam legis diuinae à sacerdotibus, & iis quorum inter- est eam docere populum, auribus attentis suscipias. Ob hoc videlicet adiicit: Et appropinqua, ut audias. Appropinqua, scilicet, non corpore tantum, sed magis etiam animo

animo, quomodo Sanctos Apostolos ad
 Christum in monte docendi gratia resi-
 dentem accessisse, notanter describit euā-
 gelista Matthæus: Et cū sedisset (inqui- *Matt. 5.*
 ens) accesserunt ad eum discipuli eius. Et
 aperiens os suum, docebat eos. Subiicit
 autem Ecclesiastes causam, quare ingre-
 dienti templum Domini suadeat appro-
 pinquare ad audiendum, & non potius di-
 cat: Accede ad offerendum oblationes &
 holocausta, aut aliquid huiusmodi, dicēs:
 Multo melior est, &c. Obedire enim (in- *Audiri*
 quit) mandatis Domini, & eius voluntatē *magis*
 perficere (quod nō potest fieri nisi cogno- *vult ser-*
 scatur) magis acceptum est coram Deo, *mones*
 quàm corporalia sacrificia quæcunq; ma- *suos deus,*
 lorum, qui Dei voluntate sprete & man- *quàm of-*
 datis eius per transgressionem calcatis, *ferri sibi*
 arbitrantur se Deum posse placare mune- *sacrificia.*
 ribus externis. Aduersum quos illa profer-
 tur Esaię ex ore Domini increpatio: Quo *Esaię 1.*
 mihi multitudinem victimarum vestrarū,
 dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta
 arietam & adipem pinguium, & sangui-
 nem vitulorum & agnorum & hyrcorum
 nolui. Cū veniretis ante conspectum
 meum, quis quæsiuit hæc de manibus ve-
 stris, vt ambularetis in atriis meis? Ne of-
 feratis vltra sacrificium frustri. Incensum

abominatio est mihi. Ac post pauca: Facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Et cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, & cætera. Quoniam igitur obedientiam longè præfert Dominus corporali sacrificio (quemadmodum & Samuel Propheta testatur ad præuicatorum Saul, ita loquens, Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? Melior est enim obedientia, quàm victimæ, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum) idcirco suadet Sapiens intrantibus in domum Domini, magis vt appropinquent ad audiendum, quàm vt accedant statim ad offerendum, non quòd hoc malum fuerit, sed quòd illud præferendum & magis necessarium. Non possumus enim obedire diuinæ voluntati, nisi sciatur quæ sit illa: discitur autem, audiendo ab iis quorum interest eam docere. In quo verbo forsitan etiam illud indicatur, vulgares homines non debere se sibi magistros constituere, sed ab illis esse audiendam atque discendam legem, quibus à Deo

1. Reg. 15.

*Nō debēt
vulgares
sibiipsis
se magi-
stri.*

Deo commissum est in ecclesia docendi officium: ab episcopis videlicet & sacerdotibus, quibus commissum est à Deo verbi ministerium. Propter quod Dominus ipse in templo voluit audire, & interrogare legis doctores, ac deinde etiam verbo docuit populum: Omnia quæcunq; à scribis & pharisæis docerentur, audienda esse, & implenda, cum ait: Super cathedrâ Moysi sederunt scribæ & pharisæi, omnia ergo quæcunq; dixerint vobis, seruate, & facite. Iterum docemur, non in angulis, aut in conuenticulis tenebrarum docendam aut discendam esse Dei legem, sed in domo Dei, in qua, quæ Dei sunt, & communem populi spectât salutem, peragi debent. Ob hoc & in templo docentes audire voluit Dominus adhuc puer, ac postmodum in templo plurimum docere, id quod euangelistæ apertissimè pluribus in locis testatur, nominatim Lucas in his verbis: Erat autem diebus docens in templo, noctibus verò exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliueti. Quibus verbis ostenditur etiam cum labore quotidie ipsum à monte Oliueti ad templum venisse, ut ibi doceret. Et ipse apud Annam interrogatus de doctrina sua testatur, dicens: Ego semper docui in synagoga, &

*Luc. 2.**Mat. 23.**Nō in angulis docēda veritas.**Luca 2.**Luca 21.**Ioan. 18.*

in templo quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto loquutus sum nihil. At verò hac nostra tempestate, longè secus quidã faciunt & docent improbi homines, euan gelicorum titulo sese venditantes, qui damnanda arrogantia, & scelerata præsumptione sibi prouinciam assumunt docendi quæ nunquàm didicerunt, sola linguæ volubilitate & infatigabili loquacitate instructi, cæterùm neque quid loquantur, neque de quibus doceant, (iuxta Pauli Apostoli verbum) intelligentes, quos non Domini spiritus ad docendum mittit, sed præsumptionis spiritus ad loquendum exagitat. Qui dum se sibi magistros constituunt, stultis præceptoribus se discipulos subdunt, & quomodo stultos se præceptores faciunt, sic auditores suos insipientes, discipulos reddunt, nimirum similes sui. Docent quoque hi non in templis, sed in angulis, in penetralibus, in conclauiibus, in conuiujs, denique nusquam non, vbi suæ prauæ quam docent falsitati quicquam putauerint se posse proficere. Non enim ad lucem veniunt (iuxta Domini verbum) vt non arguantur opera eorum, quoniam non in Deo sunt, neque in veritate facta, sũntque illi de quibus diuus Apostolus

Paulus

1. Tim. 1.

Ioan. 3.

Paulus loquitur: Magistri prurientes au-
 ribus, penetrantes domos, vt captiuas du-
 cant mulierculas, sexum ad seducendum
 fragilem, suisque blandiloquentiis & be-
 nedictionibus (vt idem alibi ait) sedu-
 cunt corda innocentum atq; simplicium,
 à quibus maxima diligentia monet atten-
 dere, & summa obseruatione cauere, ad-
 uersum quos etiam multa multis in locis,
 maximo cum terrore pronunciat. Sed hæc
 forsitan prolixius. Cæterum, id quod in fi-
 ne de stultis dicitur, nescire eos quid fa-
 ciant mali, ideo adiectum est, vt suadeat
 illis maximè esse necessarium appropin-
 quare vt audiant, eo quòd ignorantes sint
 voluntatis diuinę. Huiusmodi autem ma-
 ximè egent vt doceantur, ab iis quorum
 est officium tales instruendi.

2.Tim.4.

Rom. 16.

ANNOTATIONES

in caput quartum.

*



ET LAUDAUI magis mor-
 tuos quàm viuentes. In He-
 bræo maiori emphasi dici-
 tur: Et laudauī mortuos qui
 iā mortui sunt, magis quàm
 viuos, qui ipsi viuunt vsque huc. In sensu

autem nulla est cum nostra lectione diuersitas. Rursus contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi. In Hebræo dicitur, omnem congruentiam vel aptitudinem, vel rectitudinem operis, pro eo quòd noster interpretes vno verbo æquiualentem dixit industrias. Intelligit enim industrias operationes. Idem vult editio vetus, quæ habet fortitudinem operis. Pro eo autem quod in nostra lectione dicitur: Industrias vidi patere inuidiæ proximi, ex Hebræo legitur ad verbum: Omnem rectitudinem vel congruentiam operis vidi, quòd ipsi fit æmulatio hominis supra proximum suum. Quod præter sententiam nostræ lectionis aliter potest exponi, omnes industrias & egregias actiones hominum per æmulationem fieri, eòque tendere, vt alios æmulemur aut superemus per superbiam, vt significetur præclaris actionibus nostris plerunque superbiam annexam esse, conatúmque vanum ad superandum alios. Nostræ tamen lectionis sententia verisimilior videtur, quam explicant Hieronymus, Gregorius, & Olympiodorus, & plerique alij. Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus. &c. Verbum istud accipitur vt dictum

Etum à pigro & stulto, qui ita suæ igna-
 uiaë quærit prætexere excusationem. Ad
 quod indicandum latinus interpret præ-
 misit participium, dicens, quod tamen
 non legitur in Hebræo. Ad verbum au-
 tem ex Hebræo sic vertitur: Melior est
 plenitudo volæ, vel implere volam cum
 requie quàm plenitudo volarum vel im-
 plere volas cum labore, &c. Sensus nostræ
 lèctionis idem est. Nec recogitat, dicens:
 Cui laboro, &c. Totum istud: Nec recogi-
 tat, dicens: in Hebræo non legitur. Adie-
 ctum est autem ab interprete, ad conti-
 nuandam sententiam alioqui hiulcam &
 concisam, quemadmodum iamiam dixi-
 mus de adiectione participij, dicens: Me-
 lius est ergo duos esse simul, quàm vnum.
 In Hebræo sic habetur: Meliores sunt
 duo, quàm vnus: quia est merces bona pro-
 pter laborem suum, quo videlicet pariter
 pro inuicem laborant amicè. Eundem om-
 nino sensum nostra lectio lucidius ex-
 primit. Sic & in illo quod sequitur. Et si
 dormierint duo, fouebuntur mutuò, vnus
 quomodo calefiet? Ex Hebræo sic legitur:
 Etiam si dormierint vel iacuerint duo,
 erit calor eis, vni quomodo erit calor?
 Melior est puer pauper & sapiens rege se-
 ne & stulto, qui nescit præuidere impo-

sterum. Finis huius orationis variè vertitur. Vetus æditio non aliud legit quàm nostra Latina. Alij verò sic vertunt: Rege sene & stulto, qui nescit admonitionem recipere adhuc, id est, qui non potest vel non vult ab aliis admoneri & instrui, cùm ipse vt stultus maximè ea indigeat. Quod & de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum. Alij sic vertunt: Quia de domo victorum egressus est ad regnandum. Alij, de domo foetentium aut plenorum squalore. Et in idem redit sententia, quoniam qui in carcere conclusi seruantur, plerunque squalore pleni sunt, Quanquam foetor ille generalius ad humilitatem natiuitatis & educationis possit accommodari, vt de squalore aut foetore egredi dicantur, qui de domibus infimis & vilibus officiis ad maiora promouentur. Quemadmodum Dauid de squalore & foetore ouium assumptus fuit ad regnum, qui tamen nunquam legitur conclusus in carcere. Sic & Cyrus à pastore legitur in foetore educatus, ac tandem in regnum promotus. Appropinqua vt audias. Melior est enim obedientia, quàm stultorum victimæ. Aliqui ex Hebræo hunc sensum colligunt: Propinquior est ad audiendum verbum tuum Deus, quàm

ad

ad suscipiendum quod dant stulti sacrificium, quia nesciunt facere voluntatem eius. Alij hunc sensum accipiunt: Proximè tibi scito adesse Deum, ad audiendum omnia tua. Ne ergo multis verbis cum illo agas, stultorum more, quorum sunt Deo ingrata quæ faciunt omnia. Ad verbū ex Hebræo ita videtur transferendum: Accede, vt audias, vt non des sacrificium vel oblationem stultorum: quia non sciunt ipsi cum perpetrant malum. Nostra translatio vulgata videtur secundum partem attemperata esse antiquæ æditioni, quæ sic habet: Appropinqua vt audias, super domum vel munus stultorum sacrificium tuum.

Hoc est, accede ad audiendum & discendum voluntatem Dei, vt sit sacrificium obedientiæ tuæ (quod verè sacrificij meretur appellationem) super munus stultorum, qui sine obedientia putant se solis externis maneribus placare Deum, quæ donorum tantum aut munerum, non autem propriè sacrificiorum merentur appellationem.

Hanc enim distinctionem sic Olympiod. anno-
tauit.

•

QVIN



QVINTI CAPI-
tis Commentarius.

*



NE TEMERE quid loquaris,
neq; cor tuum sit velox ad pro-
ferendum sermonē coram Deo.
Deus enim in calo, & tu super
terram, iccirco sunt pauci ser-
mones tui. Multas curas sequuntur somnia,
& in multis sermonibus inuenietur stultitia.

In finem præcedentis capituli, de iis quæ
Deum spectant auditores suos erudiens
Ecclesiastes, monuit cum obseruatione
multa accedere domum Dei, illiçq; cum
reuerentia Dei, legem audire, ad præstan-
dam diuinis mandatis debitam obedi-
tiam. Nunc alia quædam ad idem propo-
situm subsequenter adiungit, quæ item
erga Deum sunt hominibus obseruanda.

*Nō teme-
rè loquen-
dū coram
Deo.*

Quorum est primum, ne coram Deo faci-
les simus ad loquendum. Quod quidam
interpretantur, non esse cito vouendum
aliquid, continuando sensum cum iis quæ
post pauca sequuntur. Si quid vouisti Deo,
&c. Verum conuenientius videtur iuxta
beati

beati Hieronymi sententiam, vt accipiamus prohiberi facilem pronuntiationem & definitionem de rebus diuinis, videlicet vt non temerè de Deo quicquam loquamur, vel afferentes vel abnegantes, id est, vt non veloces facilèsvē simus ad pronuntiantium sententiam de iis quę Deum respiciunt. Quoties enim de Deo loquimur, cum maximo timore & tremore id fieri oportet, ne fortè aliquid Deo ascribamus, quod ei non sit ascribendum, aut ab eo abnegemus aliquid, quod ei erat attribuendum. In vtroque nanque horum æquale est periculum. Ne etiam tanquam certam definitionem pronunciemus de eo, quod hominibus certò cognosci non potest. Nam & in hoc præsumptionis vitium est. Causam quoque euestigiò subiungit, dicens: Deus enim in cælo, & tu super terrā, iccirco sint pauci sermones tui. Quasi dicat, Excelsus est Deus, vtpote in altissimis habens habitationem suam, homo autem super terram reptitat, locum omnium infimum obtinens. Quæ loci supereminēs diuersitas, indicat mortalibus, quanto interuallo ipsos omnes superet & antecellat Deus, meritòq; omnes admonere debet, vt suæ vilitatis conscij, de eo cui tam sunt impares & à quo tam immē-

so sup

*Quare de
Deo cum
timore lo-
quendum.*

so superantur interuallo non nisi cum summo timore, & tremore pronuntient. Quemadmodum enim omnium iudicio æstimabitur vanus, qui corporeis manibus aliquid supra se longè eleuatum tentauerit apprehendere, sic qui diuinam maiestatem adeo cunctis supereminētem & omnem humanum intellectum excedentem, ingenio consequi existimauerit aut verborum multiplicatione velut apprehensam describere. Et si vanum est etiam in iis quæ creaturam respiciunt temerè definire, quantò magis vanum, imò sceleratum fuerit, audaci præsumptione de rebus altissimis ita facilè pronuntiare, sicque malè fidenter (id est, temerè) de occultis rerum diuinarum definire, ac si ea omnia oculis haberemus perspecta? Addit quoque Ecclesiastes per similitudinem, dicens: Multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus inuenietur stultitia. Cuius verbi hic est sensus: Quemadmodum multæ curæ, sollicitudines vel occupationes, occasionem præbent somniandi per noctem in tempore somni, de iis circa quæ in die homo se occupauerit cum sollicitudine, sic facilitas loquēdi occasio est stultiloquij. maximè in iis quæ Deum respiciunt. Cùm enim difficillimum sit in

iis quæ

*Ex curis
somnia, ex
multilo-
quio stul-
titia na-
scitur.*

iis quæ ad Deum spectant veritatem cognoscere, propter nimiam Dei superexcellentiã ex parte altera, & nostrã nimiam ruditatem ex parte opposita, consequitur necessariò, vt stultiloquij & vaniloquij periculo te exponas, si de iis quæ tam tenuiter ac modicè habes cognita, velis multiplicare sermonem, ad eum modũ quo sibi somniorum præbet occasionem, qui vigil magna sollicitudine multa curat, & occupatur circa plurima.

Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere. Dissplicet enim ei infidelis & stulta promissio. sed quodcunque voueris, redde. Multòque melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere.

Qualis quisque apud se, tales plærung vult esse etiam alios, maximè seruos & filios suos. Ita Deus altissimus cum sit fidelis in omnibus verbis suis (iuxta verbum Psalmographi) & sanctus in omnibus operibus suis, cum ipse mentiri nesciat, iuxta Apostolicum testimonium, adeo vt etiam sine pœnitentiã sint eius dona, & (quomodo ipse ait in Euangelio) cælo ac terra transeuntibus, verba eius nunquam sint præteritura. Cum (inquam) tam sit fidelis in verbis & firmus in promissis suis Deus noster, suos quoque seruos vult non esse leues,

Vota fideliter Deo persolueda.

*Psa. 144.
Tit. 1.*

*Rom. 11.
Mat. 24.
Psal. 88.*

leues, instabiles atque mendaces, sed fideles, veraces, & in verbis suis solidos: ita ut si quid sibi voueant promittantque, id quantoties fideliter persolvere & sollicitè adimplere satagant. Ipse nobis per Prophetam pollicetur, dicens: Quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita: neque prophanabo testamentum siue pactum meum. Semel iuravi in sancto meo, si mentiar, & alia huiusmodi. Nos quoque, iuxta eiusdem Prophetæ vocem, illi vicissim dicamus: Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ

Psal. 65. distinxerunt labia mea, & loquutum est os meum in tribulatione mea. Et iterum:

Psal. 115. Vota mea Domino reddam coram omni populo eius. Ac rursum: Vota mea reddam in conspectu timètiùm eum. Si enim homo ab homine seuerè exigit sibi promissum, ita ut ægrè ferat, si non promisso satisfaciatur is qui promissit, eumque reputet vanum & mendacem nisi opportuno tempore præstiterit, imò irrisum se putabit & contemptum ab illo, quanto magis necesse est quod summo Deo promisso aut voto consecramus addiximusque, summa sollicitudine persolvere? Quanto enim is cui promissio fit, maior excellentiorque fuerit, tanto minus æquum est

omitti

omitti quod promissum est, tantò maior in omisione censeatur contemptus. Vnde cum Deo maximo nihil sit maius, cõstat, nullam promissionem magis hominem stringere quàm eam quæ Deo præstatur, nec aliam maiore contemptu posse omit-
 ti. Id est quod subditur: Displicet enim Deo stulta & infidelis promissio. In quo verbo, sequens dictio, infidelis, exprimit quid sibi præcedens, stulta, velit. Stultam namque promissionem appellat Ecclesiastes promissionem infidelem. Infidelis au- *Quid stul*
 tem promissio dicitur quando is qui pro- *ta promif*
 misit, post factam promissionem illam *sio & infi*
 adimplere contemnit aut negligit, tan- *delu, que*
 quam oblitus quid promiserit, vel tanquã *Deo di-*
 pœnitens de eo quod promisit. Verù illud *splicere*
 sciendum est, quòd si post promissionem *scribitur.*
 legitime coram testibus factam homo ab
 homine iure exigit quod promissum est,
 neq; releuat eum qui promisit posterior
 pœnitentia aut obliuio promissionis fa-
 ctæ, multò magis Deus optimo iure exi-
 get eius quod sibi homo promiserit adim-
 pletionem, nec proderit subsequens post-
 votum pœnitentia. Est enim testis in cæ- *Psal. 88.*
 lo fidelis (vt ait Propheta) ipsemet Deus,
 coram quo teste & ipse nobis pollicetur
 quæ pollicetur, & nos vicissim illi promit-

timus, quod promittimus cuius, testis certitudo, sicut Deū cogit nobis dicere, Quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. Semel iuravi, si mentiar: ita & nos vicissim compellere debet, vt dicamus: Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, & loquutum est os meum. Quod si quis dicat: Misericors est Deus, atq; idcirco vbi pœnitentiã habuerit homo promissionis suæ, dissimulabit, ne vltra exigat quod ante pœnitentiam promissum fuit. Huic nos respondemus, quoniam sicut misericors est Dominus, ita & iustus est & verax. Sic enim Psalmista confitetur.

Cœtra vortorū trāsgressores.

Psal. 85.

Domino, dicens: Quoniam tu Domine suavis & mitis, & multæ misericordiæ & verax. Quod si quis forte interpretari velit de ea tantum veritate quæ in Deo est, dicendo, ipsum esse veracem ad præstandum semper, non autem ad requirendum semper promissa, audiat quod ab eodem

Psal. 30.

aliò in loco dicitur: Veritatem requiret

Psal. 83.

Dominus, proculdubio in seruis suis. Et alibi: Quoniam misericordiam & veritatem diligit Deus, proculdubio non in se tantum, sed & in seruis suis. Cui consonat

Psal. 32.

quod iterum in alio Psalmo dicitur: Omnia opera eius in fide, siue in veritate. ac deinde: Diligit misericordiam & iudicium, vtrique

utique & in se & in seruis suis. Quoniam
 igitur non solum misericors est Deus, sed
 etiam iustus ac verax, nemo confidat, post
 promissionem factam licere sibi, vbi pœ-
 nitentia ductus fuerit, negligere quæ pro-
 misit. Præstabit hoc quidem illius beni-
 gna misericordia vt si tibi impossibile cœ-
 perit fieri quod promissisti, tum excusatū
 te habeat, quoniam ad id quod supra vi-
 res est neminem vult esse obstrictum. Vbi
 tamen diligenter attendendum est, vt ve-
 ra sit non ficta, mentita aut simulata im-
 possibilitas. Solent enim nonnunquam
 ad res bonas pigri & inuoluntarij teporē
 suæ voluntatis sub impossibilitatis men-
 titæ velamine excusando tegere. Insuper,
 si graue tibi fiat implere quod promissisti,
 præstabit illa humiliter inuocata procul-
 dubio auxilium gratiæ, vt implere suffi-
 cias, & tolerabile tibi fiat pondus incum-
 bens, vt non tenteris supra id quod possis 1. Co. 10.
 aduersum id quod promissisti, faciētq; cum
 tentatione prouentum, vt sustinere possis
 & inuenire exitum. Denique & si per fra-
 gilitatem carnis vel dæmonis suggestio-
 nem, te contigerit aduersum id quod Do-
 mino promiseras agere vel omittere ali-
 quid, præstabit tibi diuinæ miserationis
 clemētia peccati tui indulgentiam, si eam

Contra p̄sumptores in transgressione votorum. in spiritu contribulato & corde contrito pœnitentiam agens humiliter inuocaueris, resumpto nihilominus adimplendi voti proposito. At verò si quis post emissum votum ductus pœnitentia, confidat, apud Deum cui votum fecit posse se inuenire remissionem, ita vt prorsus absoluator ab eo reddēdo quod promiserat, hic seipsum seducit, & non sine maximo salutis sue periculo toto cælo aberrat. Non est enim hoc, Diuinæ misericordiæ siue bonitati humiliter confidere, sed de ea audacter atque superbè præsumere. Neq; rursus valet, quod quidam impossibilitatē nescio quam sibi confingunt, vt se seducant suauius, & minori scrupulo aduersus ea agāt quæ Deo obseruare promiserint dicentes, sibi non esse possibile, vt hoc aut illud agant, vel ab hoc aut illo abstineant, videlicet metientes tantum se in semetipsis, & diuinæ gratiæ auxilium non includentes. Non enim debet sibi impossibile iudicare homo, quicquid cum auxilio Diuinæ gratiæ potest, quæ semper præstò est omnibus, vbi votis supplicibus & humili prece fuerit aduocata, dicente Paulo Apostolo:

I. Co. 10. *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum respectus* tentatione prouentum, vt possitis sustinere. In

re. In hoc igitur aspicienda est Diuina mi-
 sericordia vt ea quę Domino promisimus, *diuina mi-
 sericordia*
 confidamus eius auxilio nos posse im- *ad trans-
 gressiōē*
 plere. Aspicienda est item ad hoc vt si for- *voti redire
 cere.*
 te votum præuaricari nos contigerit, me-
 mores simus eius quod dilectus Domino
 discipulus ait: Filioli, hæc scribo vobis, vt
 non peccetis. Sed & si peccauerimus, ad-
 uocatum habemus apud Deum, IESVM
 Christum iustum, & ipse est propiciatio
 pro peccatis nostris: Non pro nostris au-
 tem tantum, sed & pro totius mundi. Qui
 enim sic intuetur Diuinam misericordiã,
 dextro eam oculo aspicit, & ad utilitatem
 talis ei respectus proueniet. Qui verò eã
 in hoc cõtuetur vt votum postponat, pro-
 pter carnis tentationē, aut dæmonis sug-
 gestionem Dei fidem & veritatem dese-
 rens, nemini dubium, quin oculum fini-
 strum & nequam malè torqueat in dextrũ
 Dei oculum, qui est respectus misericor-
 dię eius. Aduersus hunc quoque aptissi-
 mē proferenda venit illa vox patrisfami-
 lias, dicentis: An oculus tuus nequam est, *Mat. 10.*
 quia ego bonus sum? Huiusmodi enim ho-
 mines Dei bonitate & misericordia abu-
 tuntur ad maliciam, dum sic in Deo solũ
 considerant misericordiam, vt veritatem
 & iustitiam (quam utiq; in Deo cum mi-

fericordia omnes sacrae literae testantur
 esse coniunctam) intueri negligent, dissi-
 mulent, aut etiam contemnant. Quibus
 autem de rebus vota possint facere Deo
 homines & quam districtè ad votorum per-
 solutionem obligentur, vetus author O-
 lympiodorus aperte edisserit his verbis:
 Votum est, cum quid Deo pollicemur nos
 reddituros. Vouemus autem Deo, non mo-
 do pecunias, sed abstinentiam victus & ca-
 stitatem & quae sunt generis eiusdem. Qua-
 to autem supplicio torquendi sunt qui con-
 temnunt vota implere, docet nos in Acti.
 Apostolo. Ananias & Saphyra, repentina
 morte sublatis. Haec aduertant, qui hac no-
 stra tempestate, execranda nimium licen-
 tia, vota Deo ex animi proprii libertate
 facta sine vlla necessitate reiiciunt, tantum
 ob nescio quam effrenem carnis petulan-
 tiam, ex qua sibi necessitatem vel impos-
 sibilitatem pro suo arbitrio stolidissime,
 imò impudentissime constringunt, cum nul-
 la sit in eis ad transgrediendum quae ob-
 seruare promiserunt necessitas, neque ad
 obseruandum ea impossibilitas, sed tan-
 tum ex carnis libidine, & nimia creduli-
 tate (qua omni credunt spiritui, & magi-
 stris errorum faciles nimium praebent au-
 res) praua voluntas, quae facit, ut à Deo a-
 uerfi

Actu. 5.

uerſi in omne vitium ſine freno ruant præcipites, diaboli laqueis irretiti, à quo (vt Apoſtolus ait) captiui ducuntur, ad omnẽ ipſius voluntatem. Sed & hoc vigilanter notandum eſt, quod ait Sapiẽs noſter: Ne moreris reddere. Non enim ait: Ne omitas aut negligas aut contẽnas, ſed ne moreris aut tardes reddere. Videlicet vt non ſolũ neglectum aut contemptum promiſſi oſtendat eſſe Deo ingratum, verum etiam dilationem ſuperfluam & moram inutilem. Nam qui poſt factam Deo promiſſionem inutiles trahit moras, antequàm promiſſioni ſatisfaciat, hoc ipſo videtur non ex animo promiſſiſſe, aut certè duci pœnitentia promiſſi. Si enim ex animo promiſiſti nec pœnitentia duceris, vt quid inutiles trahere moras ac velut tempus redimere ſtudes? Verum eſt illud Apoſtoli verbum: Hilarem datorem diligit Deus. Cui conſonat quod vulgò dicitur, eum qui citò dat, bis dare. Quorſum igitur moram trahis, ſi ſerio intendis promiſſo ſatisfacere? maximè cùm non modicũ ſit in mora periculum. Primum enim qui noſti, quid craſtina tibi ſit paritura dies? qui ſcis, ſi forte priuſquàm adimpleas quod pollicitus es, ſubito te mors opprimat, aut infirmitas ſiue aliud quodlibet malum te

2. Tim. 2.

Sine mo-

ra reddem

dũ voti.

2. Cor. 9.

apprehendat, túque debitor remaneas & malæ fidei sponfor deprehendaris à Domino? Dum igitur tempus habes (iuxta *Gala. 6.* Apostoli monitionem) operare bonum, festina quod promisisti persolvere, memor eius quod scitè Poëta cecinit, Qui nō est hodie, cras minus aptus erit: vt dicas cum eo qui ex animo sua vota soluebat: Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniã bonum est. *Psal. 35.* Ac rursus: Ex voluntate mea confitebor *Psal. 27.* illi. Esse autem quantotius persoluumdum promissum, etiam naturalis docet ratio. Promittens enim, id quod promittit facit esse debitum illi cui facta est promissio. Exigit quippe fides & veritas vt quod promissum est, debeat reddi. Quod autem alteri est debitum sine causa detinere, & opportunitate se offerente nolle reddere, quomodo non est rationi & æquitati contrarium? Quod si omnino propositū mutet post factam promissionem, nolitque promisso satisfacere, quid minus ille agit, quàm si rem aliquam ex animo proprio liberaliter alteri datam atque à se alienatam, rursus sibi propria autoritate vendicaret? Quod adeò scẽdum ratio naturalis iudicat, vt etiam nucibus lusitantes & in plateis cursitantes sesquipedales pueri,

non

non maiorē possint suis coæqualibus infamix notam inurere. Sequitur deinde: Multoque melius est non vouere, quam post votum promissa non reddere. Cuius *Melius est non vouere quã votum nõ soluere.* Verbi planissima sententia est. Qui enim non vouit, liber est, vt faciat vel nõ faciat. Neque si fecerit peccabit, neq; item peccabit si non fecerit. Post votum autem nõ ultra iam libertas illa remanet, sic vt absque peccato possit vel non possit. Si enim facturum se vouit, non potest absque peccato ommittere. Si non facturum, sine peccato non potest committere, à quo promisit abstinere. Quemadmodum is qui rem suam adhuc in manu habet, nec vlli adhuc donauit, potest de ea agere & disponere vtcunque voluerit. Potest sibi seruare, si velit, potest dare alteri item, si velit. At verò si eam semel à se alienauerit, atq; in alterius potestatem tradiderit, iam non licet quod semel datum est resumere. Ita is qui promittit ad dandum quod promittit, debitorem se constituit ei cui promittit, vt non liceat non reddere. Qui verò nõ promittit non est ad dandum ex ea parte debitor, sed libertatem seruat integram. Secundum hanc considerationem de coniugibus dixit Apostolus: Vir non habet sui corporis potestatem, sed mulier. Et

1. Cor. 7.

mulier non habet sui corporis potestatem, sed vir. Vterque enim voto siue promisso, quod inter coniuges interuenit, se tradit alteri, vir vxori, vxor viro.

Ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam. Neque dicas coram angelo: Non est prouidentia, ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.

Nō temerè vouendum.

Possunt hæc continuè ad præcedentia ita intelligi: Noli tam esse in ore facilis ad vouendum & promittendum Deo, absque consideratione debita præuia vt tuæ carni, id est, tibi fragili & infirmo ex parte carnis, præstes ansam peccandi. Id enim subinde euenire solet iis qui ad vouendum grandia sunt faciles, priusquam & suam mediocritatem mensi fuerint, & rei magnitudinem maturè expenderint. Hi enim os suum dant vt faciant peccare carnem suam, quoniam nimiam libertatem dant ori suo, nimiùmque illi frena relaxant ad temerè vouendum ea quæ carni vel ad obseruandum vel ad fugiendum nimium sunt difficilia, sicque per temerarium votum sibiipsis laqueum iniiciunt, sibi dantes occasionem peccandi, ex parte carnis, quæ (iuxta verbum Domini) infirma est, tametsi promptus sit spiritus.

Mat. 26. Hinc

Hinc in Euangelio Dominus, cum de iis qui seipfos castrauerunt propter regnum Dei, loqueretur, remque admodum arduam carni proponeret, monuit vnumquemque considerare quid posset dicens: Non omnes capiunt verbum hoc: *Qui* *Mat. 19.*
potest capere, capiat. Item & Paulus Apo- *1. Cor. 7.*
 stolus cum in virginitatis laudibus versaretur, ne quis forte subitaneo spiritus feruore os suum daret in occasionem peccati carnis, ne forte quis improuidus auditor absq; matura consideratione rei propositæ ad id quod præferebat virginitatis propositum temerè aperiret os suum, diligenter cauit, dicens: Hoc ad vtilitatem vestram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, &c. Et iterum: Volo autem omnes vos esse sicut meipsum, sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius verò sic. Dico autem, non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego. Quòd si non se continent, nubant. *Ibidem.* Melius est enim nubere quàm vri. Ecce quantum cauet, ne forte temerè loquantur coram Deo, ne forte sibi laqueum iniiciant, ne forte os suum laxent ad dandum carni occasionem peccati. Quod autem sequitur: Neque dicas coram angelo: Non est prouid

*Cōtrane-
gātes Dei
providen-
tiam cir-
ca reshū-
manas.*

Psalms. 1.

providentia, &c. continuè cum præceden-
tibus ita exponitur. Nemo dicat coram
angelo Dei, qui sibi adest destinatus in
custodiam & auxilium. Non est provi-
dentia Dei erga res hominum, non curat
Deus res humanas, nec refert proinde ad-
implere quæ promissimus. Nemo sibi per-
suadeat, Deum negligere aut obliuioni
tradere quæ sibi sunt promissa, neque eo-
rum exigere persolutionem. Huiusmodi
vanam assertionem caueat homo ne co-
ram angelo qui sibi semper adest pronun-
ciet, ne contra temerarios tales sermones
iratus Deus, ultionem de pronunciante
sumat, dissipans cuncta opera manuum
eius, ne videlicet in sensum reprobum
tradatur eiusmodi negator Diuinæ pro-
videntiæ, ut in omne malum præceps cor-
ruat, & in omnibus quæcunque gesserit
damnationem sibi accumularet. Sic enim
cuncta opera manuum hominis dissipantur,
quando ex omnibus operibus quæ
operatur nihil emolumenti refert ope-
rans, imò econtrario damnationem sibi
congregat, quemadmodum econtrario
dicuntur opera hominis prosperari, quan-
do omnia secundum Deum agit, ut ad
fructum salutis æternæ cuncta proficiant,
quemadmodum de viro iusto in Psalmis
dicitur

dicitur: Omnia quæcunque faciet prospere- *Pfal. I.*
 rabuntur. Cui consonat illud Apostoli
 Pauli verbum, prius velut exponens: Sci- *Roma. 8.*
 mus, quoniam diligentibus Deum o- *Ange-*
 mnia cooperantur in bonum. Monet au- *los debent*
 tem Ecclesiastes, ne coram angelo sic ne- *homines*
 get homo Dei prouidentiam, vt vel pro- *reuereri.*
 pter angelicam præsentiam reueretur
 homo impia in Deum proferre. Quem-
 admodum enim præsentem lictorem aut mi-
 nistro præsidis, nemo audet malè loqui de
 præside, quantumuis etiam malè de eo sen-
 tiat, eo quòd præsentiam reueretur eius
 per quem scit verba sua quantotius esse
 deferenda ad præsidem: ita proculdubio
 coram angelo Dei ministro & nuncio ve-
 teri multò magis debet homo, ne quid de
 Deo loquatur indignè sciens, quantotius
 id per angelos deferendum cum queri-
 monia ad Dominum. Quemadmodum
 enim fidelium orationes & piorum vota
 credimus per angelos coram Domino
 præsentari, ad bonum nostrum: sic & bla-
 sphemias impiorum verisimile est cum
 querimonia & dolore per eos proponi
 coram Domino, ad illorum punitionem.
 Sic enim vult Deus illorum vti in vtran-
 que partem ministerio, propter magni-
 ficentiam suam, non quòd illis opus ha-
 beat.

beat. Potest & aliter intelligi locus iste, de prouidentia propria, hoc modo: Nemo postquam vouerit, pœnitentia ductus de eo quod promisit, ad excusationem sui dicat: Non est prouidentia, non fui prouidus in uouendo, non bene præuidi quid aut quantum esset quod promisi, inconsideratè aut improuidè uoui, putans, scilicet, hoc modo euadere voti obligationem, idque in excusationem sibi frustra reputans. Non enim est sapientis (ut ait quidam) dicere non præuideram. Ita uouere oportet, & postquam votum fuerit emissum, eiusmodi vanæ excusationi nullus relinquatur locus. Cui sensui videtur utcunque fauere, quod in lectione Hebraica dicitur: Error siue ignorantia est, loco illius, non est prouidentia. Quidam uerò ea quæ præcedunt aliter exponunt, illud uidelicet: Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam, exponentes, de cauenda gula atque luxuria: ne uidelicet ita det homo os suum gulæ, ad vorandum & ingurgitandum ciborum, atque potuum abundantiam sine modo debito, ut inde excitetur caro ad luxuriam, quod ferè solet euenire, eo quòd sit gulæ luxuria proxima, & (iuxta sacri Hieronymi uerbum) uenter mero æstuans facile despumatur.

spumat in venerem. Id quod etiam Apost. Paulus indicat, cum ab ebrietate dehortans, ait: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Aliter interpretatur Salonius, dicens, tunc hominem dare os suum ut faciat peccare carnem suam, quando loquitur vanitates & verba libidinosa, quibus caro incitetur ad libidinem. Quem sensum etiam Olympiodorus innuit, paucis his verbis: Lingua si nugax aut multiloqua fuerit, corpus totum coinquinat, præsertim verò si cum mulieribus incautus sermo habeatur. Aliam quoque addit Salonius expositionem ex Hieronymo, talem: Noli quærere vanas excusationes, quibus des occasionem carni tuæ ad peccandum. Hoc est, Noli dicere, non ego pecco, sed quod habitat in me peccatum, id est fragilitas carnis meæ. Nam si hoc dicis, Dominum prouocas ad iram, quasi ipse auctor sit peccati.

Vbi multa sunt somnia, plurima sunt vanitates & sermones innumerati: tu verò Deum time.

Breuius videtur notare vanitatem quæ est in obseruatione somniorum: indicans in obseruatione somnia vana esse, neque quicquam illis tribuendum fidei, qui suis somniis confidentes, multa prædicere aut ex eis multa docere.

docere contendunt. Nihil enim aliud
quàm vaniloquia & stultiloquia hæc sunt,
propter quod ab eis discedendum, & nihil
illis dandum fidei, sed Deus timendus est,
& illius verbis super omnia est habenda
fides atque præstanda obedientia. Nam si
etiam à signis cæli non vult nos Deus me-
tuere, dicente eo per Prophetam: A signis
cæli nolite metuere, quæ tamen (vt in ex-
ordio libri Geneseos dicitur) ipse posuit
in signa & tempora, multominus vanis at-
tendendum est somniis. Non sic tamen
hic reprobantur somnia, vt nullis omni-
no indicetur, attendendum. Solet enim
Deus non solum bonis, verumetiam ma-
lis subinde immittere somnia. Quemad-
modum Pharaoni & ministris eius, pin-
cernæ atque pistorum magistro, ad pro-
bandam sapientiam Ioseph. Nabugodo-
nosor quoque, ad exaltationem Danielis,
& venturorum promissionē, item & aliis
nonnullis. In Euangeliiis quoque, Ioseph
Christi nutricium, pluries in somniis le-
gimus commonitum: & Magos qui Chri-
sto nouo regi deuota obtulerant munera,
diuino oraculo in somniis legimus edo-
ctos, ne ad Herodem redirent. Non ergo
sine discretione quælibet arguuntur so-
mnia, sed signanter dicitur: Vbi multa
sunt

sunt somnia, multæ sunt vanitates, & sermones innumerari. Nam somnia illa quæ à Deo sunt, admodum rara sunt. Vana autem somnia quæ à nobis proficiscuntur aut dæmonibus, plurima sunt, quemadmodum & sermo Domini preciosus ac rarus est: verba autem nostra innumera. Cæterùm, de somniorum diuersitate & quomodo, vel quantum ex eis liceat prognosticari vel argumentari, dictum est à nobis prolixius libr. decimo de cõsideratione rerũ naturalium, circiter libri eius finẽ.

Si videris calumnias egenorum & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris super hoc negotio, quia excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij, & insuper vniuersæ terra rex imperat seruienti.

Transit ad vanitatem quæ est in oppressione pauperum, & subuersione iudicij, indicans, vnde malum illud, quod tam obuium est inter homines suum ortum habeat. Ait itaque: Cùm videris pauperes calumniam pati, & per iniqua iudicia super terram pauperes opprimi, non erit quod multum admireris, si consideres populo præpositum multitudinẽ. Sunt enim qui populo præsunt ad præstandum iustitiam plurimi, sub vltiori & altiore po-

Oppressio pauperũ vnde.

testate constituti, ita ut hic iudex alteri
 subfit superiori, & hic iterum alij supe-
 riori: ac postremò omnes vni subsunt re-
 gi super totam terram potestatiuè & cum
 auctoritate plena ac prima dominanti.
 Quæ multiplicatio præpositorum & ad-
 ministratorum iustitiæ, licet instituta sit
 ad facilius expeditiúsque vnicuique ad-
 ministrandum iudiciũ (impossibile enim
 foret, vnicum regem per semetipsum de-
 finiendis causis omnibus quæ in regno
 occurrunt, sufficere) non raro tamen per
 eius occasionem contingit, opprimi pau-
 peres, peruertique iudicia, ab iis qui locũ
 tenent principis. Hi enim frequentes te-
 nuis sunt conditionis, & anima magis
 quàm fortuna aut diuitiis sublimes, quod
 illis occasionem præstat libenter accipi-
 endi munera, ac (quod deinde consequens
 est) peruertendi iudicium. Nam (iuxta a-
 postoli Pauli vocem) qui cupiunt diuites
 fieri, incidunt in tentationes, & in la-
 queum diaboli, & in desideria multa &
 vana. Et (quomodo alibi dicitur) excacat
 munera etiam prudentum oculos. Am-
 biunt quoque hi inferiores iudices sub a-
 liorum potestate constituti superiorum
 suorum gratiam, ut in statu honoris sui
 queant permanere, propter quam ambi-
 tionem

1. Tim. 6.

Deut. 16.

tionem frequenter illos contingit aduersus iustitiam agere. *Mat. 27.* Quemadmodum aduersus innocentissimum agnum IESVM CHRISTVM Dominum nostrum Pilatus Iudææ Præses sub Romanorum potestate constitutus, ob metum Cæsaris, quo illi minabantur accusatores Iudæi, ne statum suæ dignitatis atque officij perderet, longè impiissimam pronuntiauit sententiam aduersus eum quem in ipso quoque condemnationis articulo, & verbo, & signo, manus lauans, innocentem protestabatur. Sic frequenter variis ex causis contingit, propter hanc iudicum subdelegationem (quæ est tamen bonæ administrationi reipublicæ necessaria) iustitiam offerendi ac perueriti iudicia. Potest & aliter istud intelligi ad hunc modum: *Alia e- narratio.* Cùm videris in hoc mundo perueriti iudicia, & subuerti iustitiam, &c. Non multùm mireris, sic vt ob hoc murmures aduersus Deum, aut de eius prouidentia dubites, eo quòd illa permittat: sed considera, quòd sicut inter terrenos præpositos, vnus alio superior est, ita Deus est vnus omniũ princeps, & rex supremus, rex regum, & Dominus dominantium. Qui proinde iudicaturus est de omnibus quæcunque nunc aguntur in terra, consideratque nunc sin-

Psal. 81. gula que geruntur ab iis qui sua vice funguntur in terris, & suo tempore districtam de omnibus requiret rationem. Quemadmodum per Psalmistam dicitur: Deus stetit in synagoga deorum, id est, in congregatione & cœtu iudicum, in medio autem, tanquam omnium primus, Deos ipsos diiudicat: Usquequo (inquiens) iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis? Non igitur mirandum, si nunc dissimulet Deus, & permittat peruertere iudicium, quoniam non tanquam ignorans quid hic agatur ista permittit, sed ut suo tempore in ista vasa iræ suam effundat iudicium. Quemadmodum ait Apostolus:

Roma. 9. Deum volentem notam facere potentiam suam, & diuitias iræ suæ ostendere, tolerare vasa iræ apta in interitum, adducens quoque illud Pharaonis diu rebellantis exemplum, de quo ait sermo Domini:

Exod. 9. Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, & cætera.

Avarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Et hoc ergo vanitas.

Concionatorum mores expri- Solent concionantes apud populum, ea que maximè vana & fugienda sunt, passim tamen obuia, frequentius replicare, ad auertendum ab eis hominum animos.

mit Eccle

Sic no

Sic noster iste Ecclesiastes admodum frequens est, in damnando iterumque & iterum damnando vanitatem auaritiæ, quæ inter cætera vitia admodum latè patet inter homines: Iuxta illud Apostoli, Omnes quæ sua sunt, quærunt. Et illud Prophetæ: Omnes auaritiæ student. Est nihilominus vitium maximè execrandum, utpote quòd neque ipsum auarum, neque alios patitur gaudere de rebus possessis, per quod subtrahitur quidem aliis rerum necessariorum vsus, quas sine mensura congregat, ipse tamen interim illis non vititur quæ congregat. Est item maximè fugiendum, utpote quo maximè excæcatur homo, & quasi ab humana specie alienus efficitur, tanquam animal quoddam omnino terrenum, semper in terra latitans, & terram terræ coaceruans labore infatigabili: neque fodiendi in terram aut congerendi vllum finem facit, cum tamen post immensos aggeres congregatos nihil ex eis fructus capiat qui laborauit in eis. Quemadmodum talpa oculis carens in terra perpetuò laborat, terram fodiens, & terram coaceruans in cumulos, attamen cum iam multos cumulos terræ congregauerit, ita ut etiam in altum tumētes monticuli ap-

*siaſtes.**Philip. 2.**Hiere. 6.**& 8.**Talpa as-**similatur**auarus.*

pareant, nullum tamen fructum ex eis capit, tantū nocet aliis, is videlicet in quorum agris aut pratis, sic inutili fatigatione laborat. De hoc ergo auaro talpæ utique persimili, ait Ecclesiastes, ipsum non posse pecunia impleri siue satiari, neque fructum vllum capere ex sic adamatis diuitiis, ac proinde ipsius studium esse vanitate plenum. Gemina nanque indicatur auari miseria, quòd neque repleti possit diuitiis, neque vllum ex eis, quanta sibi coaceruauerit, capiat fructum. Et primum quidem ad oculum patentissimè cernimus quemadmodum auari homines nullum omnino terminum suæ cupiditati præfigentes sine modo, sine fine, æquè semper lucris inhiant, æquè semper sunt avidi, ut aceruo (iuxta poëticū illud) aliquid addant, imò non æquè tantum remaneant avidi, sed magis etiam accendatur eorum cupiditas, quo plura congesserint. Quod breui quidem, sed venusto verbo, alius poëta expressit, ita canens:

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Prolixius verò *διολογιώτατος*, id est, theologissimus ille philosophus, Severinus Boëtius, id ipsum metro pulcherrimo depinxit, quod præsentī loco nō inopportune

tunè neque incommodè, licet aliquanto
 prolixius, totum tamen duximus inseren-
 dum. Sic itaq; ille metro secundo libri se-
 cundi, de consolatu philosophico, canen-
 tem, introducit sacram philosophiam:

Si quantas rapidis flatibus incitus,

Pontus versat harenas:

Et quot stelliferis adita noctibus,

Cælo sidera fulgent,

Tantas fundat opes, nec retrahat manum,

Pleno copia cornu:

Humanum miseræ hæc ideo genus,

Cesset flere querelas.

Quamvis vota libens excipiat Deus,

Multi prodigus auri:

Et claris avidos ornet honoribus,

Nil iam parta videntur.

Sed quæsitæ vorans sæva rapacitas,

Alios pandit hiatus.

Quæ iam præcipitem frena cupidinem

Certo sine retentent?

Largis cum potius muneribus fluens,

Sitis ardescit habendi?

Nunquam dives agit, qui trepidus gemens,

Sese credit egentem.

Hæc ille (vt eodem in libro alia pleraq;,
 imò penè omnia) & diuinissimè & suauis-
 simè: adè vt ipsum quoq; omnium homi-
 num auarissimum arbitror eo audito &

Carmen
Boëtij de
auaritiæ
insatiabili
voracita-
te.

*Diuitias
amās non
capit ex
eis fructū.*

intellecto carmine, non posse non commoueri. Testantur autem hæc verissimum esse quod hic ait Ecclesiastes, avarum non impleri pecunia. Neq; verò minus apparentem habet veritatem, quod idem adiungit, amātem diuitias, fructum ex eis non capere. Qui enim affectum apponit diuitiis, easque immodicè diligit, non audet eas contingere, ne minuatur aceruus: cūmque diuitiarum vsus consistat in eis expendendis liberaliter atque frugaliter, in iis quæ ad Dei honorē, propriique corporis & proximorum necessitatem attinent, manifestissimum est, per amorem inordinatum frustrari avarum à diuitiarum suarum vero fructu. Nō enim potest habere fructum ex re aliqua, qua vti non permittitur, secundum finem eius rei. In ista igitur congregatione auara, ac sine modo congestis diuitiis, nemo dubitat manifestam inesse vanitatem, quippe quæ nec satiari possunt avarum, neq; eum suo fructu donant.

Vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quod cernit diuitias oculis suis?

Nunc pergit ostendere, quod illis diuitiæ possunt fœlicitatem præstare, qui ex vsu liberali fructum earum videntur accipere.

pere. Quod ex eo ostendit, quoniam si quis multas habeat opes, quas velit frugallyter secundum diuitiarum usum expendere, is magnam quoque alet familiam, ut plerumque; vidimus in aulis principum & domibus nobilium, plurimos illic esse milites, seruos & ancillas, à quibus diuitiæ illæ consumuntur. Qui autem magis ad Euangelicam perfectionem aspirat, proximos indigentes de suis facultatibus sustentant: & quicquid præter victum & vestitum ac frugalem usum in rebus necessariis, sibi superfuerit, in usus pauperum infumunt. Ipsi verò diuitiarum magnarum *Ex diuitiarum a-* possessores, non per semetipsos possunt *bundanti-* omnes absumere, neque amplius ex omni- *possessor* bus illis possunt, quantum ad ipsos attinet, inde habere, quàm victum & vestitum. *non aliud* Esto viuant lautius, & vestiantur mollius, *quàm vi-* ex suarum diuitiarum abundantia, quàm *ta necessa-* ceteri quibus non sunt tantæ diuitiæ, hoc *ria, acci-* tamen certum est, præter victum & vestitum & quæ sub his includuntur, nihil in suam oblectationem illos posse expendere. Cetera omnia, in usus ministrorum aut pauperum, aut hæredum, aut alienorum veniunt. Ipsi verò præter usum victus & vestitus, nihil possunt habere oblectationis ex omnibus diuitiis suis, quantum ad

corpus attinet: nisi quòd eas cernant oculis suis, sicque modicam in tali aspectu oblectationem accipiant. Vide (exempli gratia) regem potentem aut dirisimum imperatorem. Per dies singulos quanta inferuntur tributa in eius gazophylacium? quantum censuum atque reddituum quotidie in regios infertur thesauros? Ex his autem omnibus tam immensis opibus, quid potest habere, ille nisi victum atque vestitum? Hoc solùm ex omnibus illis opibus in illius personam expenditur, quod ipsius victum atque vestitum impenditur, qui profecto nonnunquam mediocris fortunæ hominibus, non minus est commodus, neque minus delicatus, quàm illis summis principibus. Cætera omnia in ministros expenduntur, in principes, vassallos, halibardarios, spatarios, sagittarios, cantores, cantatrices, coquos & coquas, mangones, muliones, mimos, histriones & moriones, denique, in equos, mulos, leones, dromedarios, camelos, canes, falcones, psittacos, atque ita deinceps in mille partes thesauri distrahuntur regij. Et ex his omnibus, quid interim ipse rex vel imperator oblectationis habere potest, nisi quòd oculos tenui admodum voluptate in eis paululum possit pascere?

Imò

Imò ex ipsis illis regiis diuitiis, coquorum nouissimos constat multò maiores corporis accipere voluptates, qui & sine metu & motu comedunt ac bibunt de præstantissimis, quàm ipsi accipiant principes: quos & in mensura cibum potumque sumere cogit honestas, & conditionis sublimitas nunquam æmulis vacua, ad cuncta apposita facit trepidare. Et nisi prorsus superuacuum id videretur, insigne illud ditissimi & gloriosissimi Salomonis poteramus exemplum adducere, *Exemplum Salomonis gloriosissimi.* cuius cibus per dies singulos (vt sacra narrat historia) erant triginta cori similæ, & sexaginta cori farinæ, decem boues pingues, & viginti boues pascuales, & centum arietes, excepta venatione ceruorum, caprearum, atque bubalorum, & auium altilium. Verùm ex hoc tanto ciborum apparatu, quantulum (quæso) esse potuit, quod Salomoni in portionem venit? Crustula forsitan similæ & armus arietinus, aut coxa auis altilis, aut aliud huiusmodi. Cætera omnia, oculis quidem si voluisset poterat aspicere, sed manducare ipse non poterat. Vis autem videre apertissimè ubi multæ sunt opes, quomodo multi sint & qui comedunt eas? Lege quod sequitur de equis Salomonis. Habebat Salomon (inquit

3. Reg. 4.
Ibidem.

quit sacra historia) quadraginta milia
 præsepia equorum currilium, & duode-
 cim milia equestrium. Quantum hic tan-
 tus iumentorum numerus palearum de-
 buit absumere! Ecce quomodo verum est
 verbum: Vbi multæ sunt diuitiæ, multi
 & qui comedunt eas. Et quid prodest pos-
 sessori, nisi quòd diuitias cernit oculis
 suis? Possset quoque verbum istud accipi
 vt argumentum bicornè, in hanc senten-
 tiam, Si quis diuitias multas habeat, aut
 illas expendit liberaliter, aut auarè sibi
 seruat. Si eas expendat (qui est diuitiarù v-
 sus) minimū fructus ad ipsum redibit Do-
 minum, minima portio oblectationis, quæ
 est in diuitiarum insumptione ad ipsum
 deueniet diuitiarum dominum, eo quòd
 bona pars expēdetur in alios. Si verò aua-
 rus possessor esse maluerit, & apud se deti-
 nere diuitias, quam inde poterit is habere
 utilitatē, cū apud se seruauerit & in im-
 mensum auxerit acervos, nisi quòd con-
 gestas diuitias interdum potest aspicere,
 sicque vana oblectatione (sed modica ad-
 modū & nimium vili) suos oculos pasce-
 re? Neque igitur liberaliter expendenti,
 neque auarè retinenti possunt præstare di-
 uitia, quantumuis magnæ, sufficientiam
 aut fœlicitatem, sed est in eis vanitas.

*Argu-
 mentū bi-
 corne.*

Dulcī

Dulcis est somnus operanti, siue parum siue multum comedat, saturitas autem diuiti non sinit eum dormire.

Comparat hic diuitem in otio agētem, cum homine paupere vel mediocri qui suo sibi labore victum parare debet, ostendens, pauperem suo labore viuentem melius habere ex eo ipso quem sibi cum labore parat victu quotidiano, quàm habeat diues in otio agens propter rerum sufficientiam, ex omnibus suis diuitiis. Videmus enim, homines tenuis fortunæ suis manibus sibi ac familiæ victum quotidianum parantes, bellissimè valere, corpore esse sano & robusto, stomachum habere in dispositione optima, qui facile possit digerere quemuis iniectum cibum, quamlibet rudem, quantumlibet iuxta diuitum æstimationem vilem. Atque hinc fit vt vigens in eis appetitus, magnam illis præstet in esu rudium quoque ciborum delectationem, adeo vt nonnunquam è cibarij panis nuda crustula (iuxta commune prouerbum) mellis videantur exurgere dulcedinem. Quod si nonnunquam in cibi quantitate excedere eos contigerit, aut aliquid esui incommodum traiicere, validus appetitus & ferrei stomachi igneus ardor facile absument, quod superfluum

pauper ex modico quod manibus lucratur suis rectius valet quàm diues ex abundantia rerum omnium in otio.

fluum est, aut malè cōueniens, vt nullum inde patiantur incōmodum. Deniq; somnum (cuius est delectatio hominibus plurimum suauis) habent quietissimum & plenum, nō interruptum crebris vigiliis, vel ob stomachi cruditatē, vel quamlibet aliam ob causam. Mox vbi cervicali caput contigerint, adest mulcebris somnus tanquam obuiis vlnis suauiter excipiens resupinos, vt videri possit ad hoc in cervicali latuisse, quo aduenientem pauperem operarium in suo sinu confoueret. Sic postquam totam noctem suauis somno pauper edormierit manè euigilans, eodem in latere iacentem se comperit, in quo se ad vesperam reclinauerat, cū se somno daret, neq; vel ad latum culmum locum mutasse. Non meminit insomniorum, nullos sensit nocturnos timores, lamias non vidit neque lemures, excutit celeriter somno bene resectum corpus, è lectulo, atque ad solitum opus reuertitur, vt impleat illud quod in Psalmo de huiusmodi homine dicitur: Exhibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam, vtq; illi pareat sententiæ, quam Dominus super Adam protulit, & posteros eius, dicens: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Tanta ecce commoda præstat

paupē

Psa. 103.

Gene. 3.

pauperi sua tenuitas. Contrà verò, otiosi diuites, qui ampla hæreditate à parentibus ditati aut alias quomodo habet, diuitias copiosas nacti in otio vitam agunt, nulla actione honesta, neq; priuata neque publica occupati, propter otiositatem, male digerunt cibum: nimirum vt ipsi pigri sunt, ita & coquum habentes pigrum, id est, stomachum tepidum & digerere impotentem, qui nihil ferre possit, nisi quod tenerrimum sit & digestu facillimum, neque rursus nisi modicum aliquid, quod pauperi operatio vix ad ientaculi præludium sufficeret. Et iustè quidem hanc in illos vindictam exercet suus stomachus, quasi eius sententiæ exequutor, quam pronunciauit Apostolus: Si quis non vult operari nec manducet. Malam verò digestionem sequuntur incommoda plurima, ex quibus vnum est quod magni reputant delicati diuites, nullum cibum, quantumuis delicatum, quamlibet opiparè præparatum, sibi videri sapidum, aut si interdum ad primum gustum in sapore non nihil sentiant oblectationis, post morsum vnum aut alterum morcellum fastidiunt, & conuertuntur in nauseam. Quod malum ipsorum iudicio non mediocre, dum conantur depellere, arte tum coquorum

*Otiosorum
diuitum
miseria.*

2. Tes. 3.

tum

tum medicorum sollicitant, vt appetitum prouocent, & stomachum vel nolentem ad cibum concupiscendum quasi per vim cogant, sicq; esurire compellant. Hinc ferculis omnibus aromaticas species & confectiones alias calidissimas adiungunt, vt his prouocata gula, in stomachum etiam nolentem escas delicatas traiciat. Vina præterea adhibentur quæ possunt inueniri calidissima. Aquæ haustus aut ceruiciæ (immane) quantum illorum languenti stomacho adfert periculi, videlicet ne totus simul naturæ ac digestionis calor extinguatur. Sed & Medici magno precio & multi honoris obsequio sollicitantur, vt vel tota sua arte ipsi efficiant, quod à natura ac naturæ donis se vident non pro voto consequi. Atque hi rursus, quæ calidissima nouerint & ad gulam irritandam quàm maximè conducentia, stultis stulti obsequentes adhibent, simul in hoc & alienæ seruientes insanix, & suo non minus studentes quæstui. Atq; his rebus efficiunt otiosi illi diuites, infœlicem stomachum tot modis diuexantes, vt in dies magis viribus ille deficiat, & totus pigritia languescat, donec tandem ex ligneo (vt per iocum de huiusmodi dici solet) pappaceum accipiant. Quo languente, necessesse est

se est totum corpus pessimè habere, vt
 frigente coquina, & coquo languente,
 omnis simul languet familia, quæ non
 nisi coqui & culinæ beneficio sustentatur.
 Ad hoc malum, ipsorum iudicio non me-
 diocre, cõsequitur alterum nihilo melius
 tolerabile, dormiendi videlicet impoten-
 tia. Vbi enim malè digerit stomachus, nõ *Somnus*
 potest congrua esse dormitio, quemadmo *desinit*
 dum & ratio & experientia testatur. Atq; *otiosos di-*
 ita & illa dulcissima somni requie (qua ni *uites.*
 hil carnalibus hominibus videtur sua-
 uius) fraudantur. Tametsi enim stomachũ
 habeant impotentem ad digerendũ, pro-
 uocant tamẽ gulam omnibus quibus pos-
 sunt modis, vt etiam per vim cibum po-
 tũmque vel inculcent, vel ingurgitent
 nonnunquã velut pistillo intrudentes,
 donec per gutturis cãnale in stomachum
 traiiciant. Quibus digerẽdis dum nequa-
 quã piger & languidus sufficit stoma-
 chus, dum conatur & non præualet, non
 sufficit vapores eleuare mulcibres (cuius-
 modi ad somnum causandum Physica do-
 cet requiri) sed tantũ crudas quasdam &
 indigestas exhalationes sursum fundit,
 quæ vbi caput occupauerint, dolorem nõ
 modicum causant, per os quoque eructa-
 tionibus eiciuntur, & per varia corporis

membra dispersæ, corpus totum mirum in modum fatigant, & indisponunt, diuersarum quoque ægritudinum materiam & causam præstant. Sic diuitû saturitas, dormire eos non sinit. Si in lectulo se componant vt somnum inuitent, iacent, claudunt oculos, silentium præstari summum à tota familia exigunt, puluinaris plumas iterum, iterumq; eleuant, in phumarum mollicie delicatum corpus versant atque reuersant

Prov. 26. (iuxta Sapientis verbum) quasi ostium in cardine, fugientem somnum expectant, obsecrant, inuocant. Qui vbi post horas plures diu vocatus tandem aduenerit, abscedit quantotius vix vlla data requie: & post horam vnã aut alteram expergefacti, sentiunt eructationes, ascendentium è stomacho laborante, sed impotente, crudum: reuertuntur illis ad os cum amaritudine pinguis, quæ qualicumque delectatione per gulam intrusa verius quàm manducata, fuerant, sic stomacho de gula iustas meritasque pœnas sumente, vt quemadmodum cœnæ tempore per vim ingurgitando gula stomachum afflixerat, sic nunc per tempus somni stomachus illi refundat, qua torqueatur, crudam amaritudinem. Qua in re, diuites isti otiosi & gulosi aduertant iam in se incipere exequutionem iudicij

iudicij illius quod in Apocalypsi de Baby-
lone illa ipsorum matre definitum legimus, *Apo. 18.*
dicente angelo: Quantum glorificauit
se & in delitiis fuit, tantum date illi tor-
mentum & luctum. Nonne enim huius
miseriæ euidens isti sentiunt præludium,
dum quod sub noctem cœnandi tempore
cum qualicumque oblectatione ingerunt,
statim per noctem somni tempore non mi-
nori cum amaritudine eructantes effun-
dunt? Nunc igitur ex hac Ecclesiasticis no-
stri comparatione iudicet, quisquis habet
oculos, quanto sit ociosorum diuitum etiã
hoc in mundo peior conditio, quàm pau-
perum & tenuium, qui suis manibus quo-
tidianum sibi victum quærunt: id quod
vel ipsi, si rectè perpendant, velint nolint,
fateri cogentur. Sed hæc ob pauperum cõ-
solationem, & diuitum admonitionem,
prolixius dicta, sufficiant. Potest autem sa-
turitas ista diuitis aliter intelligi abundã-
tia diuitiarum, quæ illum non finit dormi-
re, ob perpetuam quam pro eis, tum con-
gregandis, tum conseruandis, gerit soli-
citudinem.

*Est & alia infirmitas pessima, quam vidi
sub sole. Diuitie conseruate in malum Domi-
ni sui: pereunt enim in afflictione pessima. Ge-
nerauit filium, qui in summa egestate erit. Si-*

cut egressus est nudus de utero matris sue, sic reuertetur: & nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas. Quomodo venit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei quod laborauit in ventum? Cunctis diebus vita sua comedit in tenebris, & in curis multis, & in eorum atque tristitia. Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis & bibat, & fruatur letitia ex labore suo, quo laborauit ipse sub sole, numero dierum vita sua quos dedit ei Deus: & hæc est pars illius. Et omni homini cui dedit Deus diuitias atque substantiam, potestatemque ei tribuit, ut comedat ex eis & fruatur parte sua, & letetur de labore suo, hoc est donum Dei. Non enim satis recordabitur dierum vita sue, eò quòd Deus occupet deliciis cor eius.

Diuitie multis occasio periculi sue re.

Hactenus que ferè solent euenire avaris atque diuitibus molesta narrauit: nunc quod rarius, sed minus tolerabile est subiungit, dicens, diuitias non solum non posse præstare fœlicitatem mortalibus verum etiam plerisque occasionem esse crudelis interitus, quoniam propter diuitias multi strangulantur & interficiuntur, frequenter admodum per occultam vim latronum atque prædonum, nonnunquam etiam per violenta iudicia. Quemadmodum Naboth Izraelitam propter vineam publica sententia, falsis testibus subornatis damnatum legimus

legimus, agente id Iezabele impiissima, pro Achab viro suo. Innumeros quoque reges propter suas diuitias, tam in sacris quam in prophanis historiis, legimus fuisse trucidatos. Atque ita per vim parentibus interfectis suisque rebus spoliatis, filij interfectorum remanent pauperes & inopes paternæ hæreditatis aut paternarum diuitiarum nihil possidentes, eo quòd per vim ab alienis sint direpta omnia. Atque hoc est, quod dicit: Diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima, nimirum cum ipso qui eas congregauit aut cõseruauit, sic vt nec hæredibus remaneat quicquàm ex eis. Vnde subditur: Generauit filium qui in summa egestate erit, ac deinde: Sicut egressus est de utero matris suæ, & cætera subsequentiâ, quæ quia nullam specialẽ habent difficultatem, sensum patetẽ habentia, nobis consultum videtur, eam qua in prioribus paululum forsitan, in pauperum operatoriorum cõsolationem, excessimus prolixitatẽ, præsentĩ breuitate pensare. Illud tamen aduertendum, pro supposito verbi, pereunt, debere accipi, diuitias, id quod ex Hebræo est manifestum, vbi supposito expresso sic dicitur: Pereuntque diuitiæ ipsæ, cum afflictione pessima: In ventum

3. Reg. 21.

In tenebris comedit avarus.

autē laborare, appellat, laborare frustra. Ventus namque dispergit congregata, ut non sit eorum usus. In tenebris verò comedere dicitur congregator avarus, eo quòd propter avaritiam, omnem fugit hominum societatem, cōuiuas nullos admit- tens, ne aliquid dematur aceruo. In curis item comedit, quoniam neq; dum cibum sumit, à solitudine potest esse vacuus, semper de lucro & rerum augmento sollicitus. Ea quoque quæ deinde sequuntur: Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, ac deinde: Et omni homini cui dedit Deus diuitias atq; substantiam, potestatemque ei tribuit ut comedat ex eis, & fruatur parte sua, & lætetur de labore suo, hoc est donum Dei. Hæc (inquàm) omnia suprà à nobis sunt plenè exposita, partim circa finem secundi capituli, vbi sic legimus: Quid enim proderit homini de vniuerso labore suo & afflictione spiritus qua sub sole cruciatus est? Cūcti dies eius doloribus & erumnis pleni sunt, &c. Ac rursus clarius capite tertio, in cuius medio sic legimus: Et cognoui quòd non esset melius nisi latari & facere bene in vita sua. Omnis enim homo qui comedit & bibit & videt bonum de labore suo, hoc donum

Expositio quorundam diffinitionum in litera.

donum Dei est. Hoc tantum in presenti loco intelligendum est, quid sibi velit hoc verbi: Et hæc est pars illius. Deinde quid sit illud quod dicitur, Deū potestatem dare homini, vt comedat de sua substantia & labore. Quo ad primum, dicitur esse illa portio hominis, comedere & bibere frugaliter ad corporis necessitatem de labore, & bonis à Deo concessis, quantum ad corpus attinet quoniam non amplius homo de omnibus suis bonis & laboribus habere potest, quantum ad corpus attinet, nisi quod sic illis frugaliter in timore Dei vtatur. Nam quicquid abscedens reliquerit, nihil eorum secum auferet. Quo ad secundum verò, dicitur Deus dare potestatem homini vt suis vtatur, à cuius corde auferit malam cupiditatem auaritiæ, quæ prohibet, ne audeat homo sua contingere atque expendere. Superest autem illud tantum explicandum, quod in conclusione capituli ponitur: Non enim satis, recordabitur dierum vitæ suæ, eo quòd Deus occupet deliciis cor eius. Habet autē hūc sensum: Idcirco is qui ex dono Dei ab auaritia liber, frugaliter cum lætitia vtatur bonis suis, meritò id tãquam donum Dei debet computare, & fœliciores se debet iudicare auaro illo, qui semper in curis,

doloribus, atque in tenebris vixit, non au-
dens rebus sibi concessis uti: quoniam lō-
gè minus tristitiæ sentiet in vita præsen-
ti, quàm ille auarus, neque adeò sentiet
temporis vitæ suæ prolixitatem & fasti-
dium, transigēs dies suos in læticia, quam
habet ex frugali eiusmodi vsu donorum
Dei. Hoc enim est quod dicit: Non satis
recordabitur dierum vitæ suæ, id est, non
multum attendet, non multū sentiet lon-
gitudinem vitæ, aut fastidium temporis,
eo quòd Deus occupet cor eius deliciis.
Quod duplici ratione accipitur: Tū quia
ex dono Dei habet, ut ab auaritia liber bo-
nis concessis uti audeat frugaliter vnde
est cordi eius læticia: Tum quia læticiam
illam accipit cor eius ex creaturis Dei,
quas cum gratiarum actione percipit,
propter quod, non immerito etiam hac
ratione Deus cor eius gaudio occupare
dicitur. Manifestum est autem, vel expe-
rientia sola docēte, cordis gaudium facilē
efficere & imperceptibilem tēporis tran-
situm, ita ut sine fastidio labatur ac
transeat: quemadmodū ecō-
trariò tristitia & soli-
citus proli-
xam fa-
ciunt omnem moram videri.

ANNOTATIO.

nes in caput quin-
tum.



NE TEMERE quid loquaris,
In Hebræo & in editione
antiqua dicitur: Ne sis festi-
nus in ore tuo vel cum ore
tuo. Sensus idem est cum no-
stra lectione. Displicet enim Deo, stulta &
infidelis promissio. In Hebræo & in edi-
tione antiqua sic legitur: Non enim est
voluntas in stultis, subaudi, Deo. Hoc est:
Deus non diligit stultos, qui facile pro-
mittunt & postmodum non soluunt pro-
missa. Vel non diligit stulta promissa. No-
ster interpretis verbis aliis eandem senten-
tiam expressit clarius. Quemadmodum
& in eo quod sequitur: Melius est, &c.
Quod in Hebræo ad verbum sic habetur:
Melius est quòd non voueas, quàm quòd
voueas & non reddas. Ne dicas coram An-
gelo, non est prouidentia. In Hebræo se-
cundum eundem sensum dicitur: Ne dicas
coram angelo, quoniam error siue igno-
rantia est. Quod aliqui sic intelligunt: Ne
dixeris quòd error & vanum sit vouere,
quasi vel non liceat vouere vel nõ debeat
votum reddi. Alij sic: Ne dixeris angelo
audiente, quòd ex errore, ignorantia &

improvidentia voueris, sic te existimans
 posse liberari à voto. Alij ita intelligunt:
 Cùm peccaueris, caue excusationes quæ-
 ras in peccatis, dicēdo: Ignorans peccaui,
 quoniam talibus excusationibus maximè
 irritatur Deus. Antiqua æditio per omnia
 consentit cum Hebræo, nisi quoddam pro an-
 gelo Deum ponit. Si videris calumnias e-
 genorum & violenta iudicia. Pro violentis
 iudiciis, in Hebræo est, rapina iudicij,
 quod secundum sententiam in idem redit.
 Excelfo excelsior est alius, &c. Locus iste
 mirè inuolutus est, multùmque in eo va-
 riant commentatores atque interpretes.
 Sensum nostræ lectionis Latinæ expressi-
 mus latius in commentariis, illum qui no-
 bis videbatur cōmodior. Alij ex Hebræo
 sic vertunt: Excelsus super excelsum ob-
 seruat, & excelsi sunt super eos. Porro resi-
 duum terræ in omni isto, rex, ad agrum
 cultum. Cuius versionis hunc sensum assi-
 gnant. Deus omnibus magnatibus super-
 eminet, qui in terra peruertunt iudicium,
 & omnia obseruat tãquàm custos quæ in-
 ter homines fiunt, siue bona sint siue ma-
 la, mittitque excelsos & fortes, qui vindi-
 ctam sumāt de huiusmodi iniquis oppres-
 soribus. Et in omni ista visitatione siue
 vltione, remanebunt in terra reliquæ,
 quibus

quibus rex cæli fecundabit agrum cultū. Alij sic vertunt: Excelsior custos super excelsum, & adhuc celsiores sunt super eos. Præterea est rex in omni terra ad colendum agrū, id est, dominatur super omnes & manutinet regionē ne dissipetur. Hoc enim est nomen & officiū regis. Alij hunc sensum ex Hebræo eliciunt. Habet ille oppressor potestate excelsus alium superiorem, qui ea quæ ille facit obseruat & utroque illorum sunt alij superiores. Ac deinde aliam incipiunt sententiam. Summum quod terra homini præstare potest, est ager aliquis qui colenti eum satis esse possit, ut ex eo viuat, & cui ille contingit, & eo contentus est, is planè rex est. Adferunt insuper alij alia, quæ omittimus, ne supra modum nimium fastidij inferamus lectori. Porro editio vetus & ipsa cū nullo prædictorum conuenit, variâsque recipit interpretationes. Aliter namque Hieronymus, aliter Gregorius, aliter Olympiodorus interpretantur. Et horum enarrationes, breuitati cōsulentes pertransimus. Auarus non implebitur pecunia, &c. Ex Hebræo ad verbum sic redditur. Amans argentum non satiabitur argento vel pecunia: & qui amat diuitias, nihil utilitatis subaudi accipit vel refert, ex eis, iuxta sententiam

tentiam nostræ lectionis. Et quid prodest
 possessori, nisi quod cernat diuitias oculis
 suis. In Hebræo non exprimitur, diuitias.
 Ad maiorem autem sententiæ claritatem
 interpres Latinus adiecit. Alij tamē sic in-
 terpretantur: Cū multi sint qui comedunt
 diuitias diuitis, quid interim iste ex his
 quæ illi absument habet utilitatis vel iu-
 cunditatis, nisi quòd oculis suis tanquàm
 spectator possit videre illos de bonis suis
 comedentes? Ipse enim non nisi vnus ho-
 minis portionē potest edere. Hebræi qui-
 dam præsentem locum longè aliter ver-
 tunt & intelligūt. Sic enim vertunt: Cū
 multiplicatur bonum, multiplicantur &
 qui comedūt illud, & quàm pulchrum est
 Dominis illius, cū id vident oculis suis.
 Exponunt autem in bonam partem de iis
 qui eleemosynas accipiūt à diuitibus, hoc
 modo: Cū multiplicantur homini iusto
 bona, pluribus dat ex eis eleemosynas,
 qui bona illa consumunt, & ò quàm pul-
 chrum est & quàm iucundum Deo, qui est
 omnium bonorum Dominus, quando id
 videt oculis suis. Alij sic: Quàm pulchrum
 est domino boni, quòd sic dispergat illud,
 quando pro illo videbit oculis suis beatā
 remunerationem. Prior autem sententia
 nostræ lectionis magis ad propositum vi-
 detur

detur conducere, eamque; approbant sacri interpretes Græci atque Latini. Genuit filiū qui in summa egestate erit. In Hebræo est: Genuit filiū, & non est in manu eius quicquam. Interpres noster paraphrasticè expressit sententiam. In eo verò quod sequitur, sic reuertetur, &c. Aliqua noster interpres omisit tanquàm non necessaria. Sic enim iuxta verbum foret ex Hebræo legendum: Sicut exiuit de utero matris suæ nudus, reuertetur, vt vadat secundum quod venit, nec quicquam tollet de labore suo quod ducat secum manu sua, vel quod portet secum in manu sua.



S E X T I C A P I -
tis Commentarius.

*

EST ET aliud malum quod videtur sub sole, & quidem frequens apud homines: Vir cui dedit Deus diuitias & substantiam & honorem, & nihil deest anime sue ex omnibus quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo, sed homo extraneus

extraneus vorabit illud. Hoc vanitas & miseria magna est.

Dixerat de diuitiis in malum Domini conseruatis quas alieni per vim diripiunt, oppresso vel interfecto earum Domino. *Rursum in auaros loquitur.* Nunc de eo dicit auaro, qui seipsum facit miserum, propter auaritiam abstinens ab vsu rerum suarū, qui cum abundè omnia acceperit quæ ad vitam corporis latè trafigendam videri possint necessaria, diuitias scilicet & honorem aut locum statūque honorabilem, dicit tamen illi non esse datam à Deo potestatem, vt comedat ex bonis suis, iuxta eum sensum quem in fine præcedentis capituli assignauimus, eo quòd relinquat illū Deus in auaritia cordis sui, per quem impeditur atque retrahitur ab vsu rerum suarum. Hoc autem malum quàm sit apud homines frequens, nemo ignorat, nisi qui extra hominum conuictum, intra bestias vitam agit solitariā. Quàm item sit mala & magna hæc infirmitas, non est incognitum, vtpote quam passim homines execrantur, & subsannant. Facit namque auarus, præter eam quam in corde suo persentit miseriam, vt etiam despiciatur, atque irrideatur ab omnibus. Nam tamen si ratione opum nonnunquam externi illi impendantur honores à mediocribus

diocribus, intus tamen in corde, quisquis illius nouit auaritiā, despicit illum, & cūm præterierit ille, dicit proximo suo: Ecce Euclionem illum, ecce hominem auarum infœlicem & miserum, qui nihil audet rerum suarum contingere, cūm abũdet in omnibus. Vide quomodo properat, quomodo discurret, vt aliquid adhuc aceruo adiiciat. Hæc atq; similia de auaro homine cum detestatione loqui solēt illi in quibus plus est ingenui vel liberalis animi. Nonnulli tamē istud aliter interpretantur, non de eo qui per auaritiā seipsum priuat bonis, sed de eo qui propter infirmitatem vel aliam consimilem occasionē non permittitur oblectari in bonis suis. Quia enim infirmitas aut simile aliquid quo impeditur homo, ne possit vti cum voluptate bonis suis, à Deo est (qui author est malorum istorum corporalium) idcirco huiusmodi hominibus dicunt non esse datam à Deo potestatem bonis sibi concessis vtendi in lætitia. Verūm quod priori loco diximus omnino videtur rationalius. Est enim sacris expositoribus Græcis, Latinisque consonum, propositoque sermoni magis accommodum, quoniam & mox sententię eiusdē prosequutio proponitur. Neque debet ille modus loquendi vid

di videri nouus, quo hic dicitur de avaro, quòd nō dederit illi Deus potestatem comedendi ex bonis suis, quoniam & aliàs magis nouo loquēdi modo vtuntur sacrae literæ, cū dicunt, Deum tradere homines in peccatum vel errorem. Sed & vulgò dicunt homines, non habere auaros facultatem vel potestatem vtendi rebus suis, quatenus eos non permittit auaritia, sed quasi retrahit ne vtantur. Prosequitur deinde execrationem auaritiæ, dicens:

Roma. I. Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturæque careat, de hoc ego pronuntio quòd melior illo fit abortiuus. Frustrà enim venit & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius. Non vidit solem, neque cognouit distantiam boni & mali, etiã si duobus milibus annis vixerit, & nō fuerit perfruitus bonis.

Hieronymus & Olympiodorus annotarunt, id quod & res ipsa per se monstrat, pleraque hinc dici secundum hyperbolem. Velut quod dicitur: Si genuerit quispiam centum liberos, item si bis mille vixerit annos, cū nemo hominum tot legatur genuisse perfectos liberos, neque tantos vixisse annos, quandoquidem & ipse Adã ad millenarium vnum non peruenit. Imo

Hyperbole vtitur scriptura.

& Mathu

& Mathufale, qui primum hominem annorum numero excessit, citra millenariū substitit. Tempus namque vitæ eius fuerunt anni 969. cum Adam non vixerit nisi 930. Sic ergo per excessum loquendo, hoc vult Ecclesiastes significare, quantumcunque abundauerit homo in iis quæ magni faciunt homines (quorum præcipua duo sunt, vita longa & fœminis aut proliū fœcunditas) si tamen auaro sit corde, vt non audeat concessis sibi à Deo frugaliter vti, miserum & infœlicem illum esse censendum. Propter quod abortiuo eum comparat, imò abortiuum illi præfert, iuxta eum modum loquendi quo suprâ dixerat cap. quar. Et laudauit magis mortuos quàm viuentes, & fœliciosem vtroq; iudicauit qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt. Quia ergo fœtus per abortum procedens in lucem: non experitur illam miseriam & afflictionē quam auarus in se experitur, indicat hac ex parte abortiuū fœliciosem: tanquam si diceret, in auaritiæ detestationem: Si fœtus ille qui est in materno vtero talis esset futurus, quales sunt infœlices isti auari (qui & præsentis vitæ bonis se priuant, & futuris, imò, & hîc & in futuro sibiipsis sunt tortores) optabilius foret illum nō suscipere vitam, sed

Gene. 5.

ante susceptam vitam prodire, nunquam habiturum humanam vitam. Subdit autem causam, cur ita excretur avarum, dicens illum frustra venisse in mundum, eo quod

Frustrà mundum ingressus est avar⁹. nec sibi nec aliis profuit (Qui enim sibi nequam, ut alibi dicitur, cui alij bonus erit?) & quia finem perdit ad quem conditus est, & in mundo isto positus. Ad hoc enim

Eccle. 14. Deus hominem creavit & posuit in mundo isto, ut de donis quæ in hoc mundo liberaliter præstantur à Deo, frugali usu se ipsum sustentet atque reficiat secundum corpus, ac deinde per temporalia ista ad æterna gaudia transeat. Avarus autem neque in præsentibus donis Dei vititur, neque venturis olim perfruetur. Ob hoc frustra talis venisse dicitur in mundum, videlicet

Ad tenebras pergit avarus. per natiuitatem. Ad tenebras autem pergit, quoniam ad mortem properat, ac deinde per eam ad tenebras illas exteriores quarum frequenter in sacris Euangeliis meminit Dominus I E S V S, ubi nil aliud commemorat futurum, nisi fletum & stridorem dentium. Nomen eius dicit oblivione delendum, quoniam non erit eius apud Deum memoria in cælis ad remunerationem, neque apud homines in terris ad gloriam. Qui enim donec viueret nec Deo seruire nec proximis prodesse curavit,

Mat. 22.

curauit, meritò per mortem omnibus in
 obliuionem venit. Hinc de eiusmodi per *Psal. 87.*
 Psalmistam dicitur: Sicut vulnerati dor-
 mientes in sepulchris, quorum non es me-
 mor amplius, & ipsi de manu tua repulsi
 sunt. Sicut oues in inferno positi sunt,
 mors depascet eos. Hinc & ipse eorum *Psal. 87.*
 carcer infernus, apud eundem terra obli-
 uionis nominatur, ita dicentem: Nun-
 quid cognoscentur in tenebris mirabilia
 tua, & iustitia tua in terra obliuionis?
 Quod verò consequenter dicitur auarus
 non vidisse solem, neque cognouisse di-
 stantiam boni & mali, id de vero sole siue
 vero lumine cælesti potest congruè acci-
 pi, iuxta quod in libro Sapientiæ, serò *Sapient. 5.*
 queruntur damnati impij. Errauimus (in-
 quiunt) à via veritatis & iustitiæ, lumen
 non luxit nobis, & sol intelligentiæ non
 est ortus nobis. Atq; hinc consequitur po-
 sterius illud, videlicet quod non cogno-
 uerint distantiam boni & mali. Si enim
 verè distantiam illam maximam boni à
 malo cognouissent, nunquam malū præ-
 legissent, sed omnibus votis bonum præ-
 posuissent malo. Quod autem postremò
 subditur: Etiam si duobus milibus annis
 vixerit, & non fuerit perfruitus bonis, id
 sic replicatur, vt vehementior fiat, tum

hunc mundum transiturus est ad superna summæ beatitudinis gaudia. Neque ad tenebras pergir, sed ad eum qui lucem habitat inaccessibilem. Neque item oblivione poterit deleri nomen eius, neque apud Deum neque apud iustos in terra viventium, quoniam in memoria æterna *Psal. 3.* erit iustus, sicut & iustitia eius permanebit in seculum seculi. Vidisse quoque illum solem & distantiam cognovisse boni & mali, illud manifestè testatur, quòd non in tenebris offenderit, sed in lumine veri solis rectam viam incesserit, qua nimirum ad vitam pertigerit beatam. Verùm hic forsitan roget quispiam quare in textu, cùm dictum esset: Et anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, adiectum deinde fuerit, sepulturâque careat, quasi carentia sepulturæ imputari possit defuncto, qui sibi sepulturam nequit parare, vel quasi ob hoc sit censendus miser, quòd sepultura careat. Pro *Nota de* cuius intellectu aduertendum est, quòd *sepultura* ex scripturis quoque sacris cognoscimus, *patrum,* priscos patres magnam habuisse ratio- *quanti e.* nem honestæ sepulturæ. Idque cùm *fecerint.* alias ob causas quasdam, tum etiam ob reuerentiam eius quam credebant, & expectabant futuræ aliquando resur-

- resurrectionis, nimirum ut in loco honesto seruantur illa pignora, quæ aliquando in tam gloriosam essent immortalitatem resuscitanda. de hac enim sepulturæ sollicitudine Genesis liber apertissimè docet, qui patriarchas tradit & sepulturam sibi dum adhuc viuerent, sollicitè parasse, & ubi sepeliri vellent, diligenter mandasse, adeo ut adiuraret Iacob in Aegypto moriens Ioseph filium suum, ne eum in terra Aegypti sepeliret, sed ad terram Chanaan deferret & in maiorum sepulchro conderet. Neque contentus simplici filij verbo, dicentis: Ego faciam quod iussisti, etiam iuramentum exegit, dicens: Iura ergo mihi. Tanta illi fuit cura sepulturæ corporis. Quin & Ioseph moriens fratres suos adiuravit, dicens: Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum, tam videlicet sollicitus quid post plures annorum centenarios ageretur de ossibus suis. Quam adiurationem Paulus apostolus scribens Hebræis fidei attribuit, dicens:
- Hebr. II.* Fide Ioseph moriens de profectioe filiorum Israël memoratus est, & de ossibus suis mandavit. Atque hunc morem præparandi decentem sepulturam vsque ad Christi ætatem permanisse, illud manifestè indicat, quod sacrum eius corpus
- Mat. 27.* deli

de ligno depositum legimus positum esse in monumento nouo, quod sibi Ioseph ab Arimathia nobilis decurio præparauerat, & de petra sibi exciderat. Prophetarum quoque monumenta (iuxta Domini verbum) Scribæ atque Pharisæi magna cura *Matt. 23.* extruebant, & sumptibus ornabant. Hinc igitur patet, quòd iuxta populi Iudaici consuetudinem, pro sua quisque conditione, sibi viuens locum sepulchri decentis præparabat, aut certè moriens disponebat: quemadmodum religiosa pietate, nunc quoque Christi fideles plerique de ea sunt solliciti, tametsi non sibi quisque pro suo arbitrio priuatum locum eligant, sed tantum communem & ad sanctorum corpora suscipièda sacratum, quem nos à dormièdo Græcovocabulo *κοιμητήριον* cœmiterium appellamus, id est, tenentem dormientes, hoc est, mortuorum corpora seruantem. Idque propter fidei & sacramentorum reuerentiam, & charitatis cõmendationem: vt sicut viuentes vnanimè *Psal. 67.* habitauerunt in domo, id est, in Ecclesia & fide vna, sic & morientes abinuicem non separentur: vt que in vno cubent lecto, secundum corpora dormientes, qui secundum animam vni accumbunt mensæ perpetuò viuentes: denique, vt in vno le-

Et dormiant, qui vna sunt voce excitandi, dicente nouissima tuba: Surgite mortui, venite ad iudicium. Ex his autem facile colligimus, quare auari hominis miseriam describere volēs Ecclesiastes, signanter meminerit sepulturæ, dicens: Et non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturæque careat. Auarus nanque sicut corpori suo dum viuit, non audet benefacere de bonis substantiæ suæ, ita neque moriens. Ac propterea nec de sepultura honesta pro suæ facultatis conditione prospicit viuēs, aut disponit moriens, velut metuens ne minus secum ad inferos deferat moriturus, cum sint ei omnia relinquenda. Est enim tantò damnabilior ista auari insania, quòd ne tunc quidem audet sibi benefacere de bonis substantiæ suæ, quando coram oculis cernit omnia sibi relinquenda. Et tamen hanc tantam insaniam etiam hodie in plerisque cernimus.

*Nōne ad vnum locum properant omnia?
 Omnis labor hominis in ore eius, sed anima eius
 non implebitur bonis.*

In quo patrat auari stultitia. Rationem hic ponit dementiæ auari. Deberet nanq; hominem meritò auocare ab eiusmodi immoderata congregatione diuitiarum, breuis vitæ terminus & in propinquo mortis expectatio. Quam enim

enim habet speciem rationis, ut is qui tantum ad horam unam, vel alteram, id est, per breuissimi temporis spacium, vitam hic sit acturus, diuitiarum aceruos congreget, quasi victurus in multa annorum milia? Id videtur indicare Ecclesiastes, cum velut per increpationis modum dicit: Nonne ad vnum locum properant omnia? Tanquam si increpando dicat: Quare non attendis o miser & infelix, te cito moriturum, iuxta communem omnium legem, & relicturum omnia? Deinde & hoc merito auari deberet cupiditatem compescere, quod suae necessitati & necessariae sustentationi cito satis, vanae autem cupiditati nunquam possit satisfacere: quod indicat verbo subsequenti, dicens: Omnis labor hominis in ore eius, sed anima eius non implebitur bonis. Quasi dicat: Omnis labor quo laborat & occupatur homo sub sole, ad corporis sustentationem ordinatur, ad victum, scilicet, comparandum, quem ore manducet, ut inde corpus nutriatur. Sub victu autem & vestitum intellige, qui non tam est, quam victus necessarius. Facile autem homo potest acquirere quo os suum impleat, & corpus sustentet, quoniam paucis est contenta natura, *Necessitas* ut merito non tanta debeat avarus *si facile,*

cupiditati sollicitudine tantos aceruos congerere: *impossibile est satis* quasi infinitis homo indigeat, cui suffi-
facere. ciunt paucissima. Cæterum, si cupiditati
 suæ velit homo obsequi, & desiderio ani-
 mæ semper infinitum cupienti (vt est ipsa
 capacitatis infinitæ) satisfacere, inuani-
 laborabit. Non enim id poterit, quantum-
 cunq; conabitur, quoniã ad infinitum nũ-
 quam poterit pertingere, imò quo pro-
 prius videbitur accedere ad implendam a-
 nimam, eo longius inde aberit, quòd con-
 tinuò magis ac magis velut irriteretur ac
 prouocetur cupiditas animæ ad eum mo-
 dum quo ignis flamma quo plura adiece-
 ris ligna, eo magis gliscere ac furere cer-
 nitur. Quorsum igitur auarus sine modo
 congregat? Si dicat, ori se seruire, id est,
 propter sustentationem corporis se esse
 sollicitum, nihil opus est pro re facili tan-
 ta distringi sollicitudine aut tanto labore
 fatigari. Si verò vt desiderio animæ suæ
 satisfaciat, responderit, vanitatis argui-
 tur, utpote qui id tentet quod nequaquam
 possit perficere, imò quo plus conatus fue-
 rit, eo poterit minus.

*Quid habet amplius sapiens à stulto, &
 quid pauper, nisi vt pergat illuc vbi est vita?*

Compara Comparatione stulti auari cum sapien-
tur sapiens te paupere (pauperem enim opponit aua-
 ro,

ro, eum, scilicet, pauperem appellans, qui non est animo diues aut auarè sectans diuitias) indicare vult quantū per suam auaritiā auarus deperdat. Quid (inquit) sapiens & pauper, qui (iuxta illud Apostoli) habens victum & vestitum viuit contētus præsētibus, neque est (iuxta Domini verbum) sollicitus de craftino, amplius habet quā stultus diues & auarus, qui sic vanè seipsum aflagit, & fraudat bonis vitæ præsēntis atq; futuræ? Quid (inquit) habet ille præ isto, nisi quòd ille pergit ad locum vbi est vita, cū iste tendat illuc vbi est mors atq; perditio? Pauper enim & sapiēs dum omnia quæ in hoc mundo sunt, cum Apostolo reputat vt stercora, & tanquam detrimenta æstimat, vt ad anteriora seipsum extendat, venturisque bonis totus intendat: dum iuxta dominicum consiliū non curat thesaurizare sibi thesauros in terris, vbi erugo & tinea demolitur furēsque effodiunt & furantur, toto enim autem affectu thesaurizat sibi thesauros in cælo, incorruptibiles sacculos sibi faciens qui non veterascunt, proculdubio non hic sistit, vbi omnia ad vnum locum properāt, id est, ad mortem & sepulchrum tendimus omnes, sed illuc pergit vbi est vita. Nimirum vbi est thesaurus eius, illic est

*pauper cū
stulto auaro.*

1. Tim. 6.

Matt. 6.

Philip. 3.

Matt. 6.

est & cor eius. Qui ergo thesaurum suum habet illic ubi est vita, manifestum est, quòd etiam illuc pergat ubi est vita. Qui autem in terra thesaurizat & cor habet in ea, quomodo illuc potest pergere ubi est vita? Qui enim sistit illic ubi est defectus & mors, nequit pergere illuc ubi est vita. Non solùm igitur vanus est auarus, vel quòd frustra seipsum fatiget, vel quòd in vanum conatur satisfacere insatiabili animæ suæ, verum etiam multo magis ex hoc quòd sua cupiditate illam perdit tam omnibus amabilem atque desiderabilem vitam.

Melius est videre quod cupias quàm desiderare quod nescias. Sed hoc vanitas est, & præsumptio spiritus.

Studium sapientis pauperis præfertur conatui stulti diuitis siue avari. Sapiens enim pauper hoc conatur, ut videat aliquando quod cupit & desiderat, videlicet vitam illam beatam ad quam pergit. Et si in finem usque in hoc studio perseverauerit, proculdubio videbit aliquando quod querit. Qui enim perseverauerit usque in finem, voce Domini saluus futurus assertur. Et beatos idem ipse ore suo pronuntiavit pauperes, eo quòd ipsorum est regnum cælorum, ubi proculdubio est vita illa

illa ad quam pauper pergat. Videt quoque etiam modo sapiens & pauper quod cupiat, iuxta verbum Apostoli: Videmus nunc per speculum in enigmate. Et alibi: Non contemplantibus nobis quæ videntur temporalia sed quæ videntur æterna. Et iterum alio in loco, patres sanctos donec adhuc super terram peregrinarentur, à longè ait aspexisse & salutasse factas sibi, & suo semini promissiones. Avarus autem semper in desiderio est, neque aliud quam desiderat & concupiscit, unde & nomen habet ut avarus dicatur. Nempe avarus ab auendo dicitur, quod concupiscere & cum feruore appetere significat. Neque vnquam eò peruenturus est, ut videat quod sic perpetuò concupiscit. Quærit enim, & auet satiætem rerum terrenarum, quæ illi nunquam continget, etiamsi quicquid in mundo est auri argentique cõgesserit, ac proinde nunquam visurus est quod cupit, sed perpetuò desiderabit tantum & concupiscet, id est, quod consequi nequit. Hoc autem, nempe sic malle desiderare quod nequit apprehendi, quam videre & oblectari in eo quod amatur & cupitur, proculdubio vanitas est, insuper & præsumptio spiritus, qua nimirum ad id aspirat quod assequi non valet, eo neglecto quod sibi possibile est

1. Co. 13.

2. Cor. 4.

Hebr. 11.

*Avarus
quod cupit
nūquā
videt.*

*Salonij in
terpreta-
tio.*

est assequi & vt assequatur vtile, Salonius
ita interpretatur: Ille qui oculis mentis
discernit inter bonum & malum, videt
quod cupiat bonum & repudiet malum.
Qui autem sequitur voluntatem cordis
sui & concupiscētias, sæpe desiderat quod
nescit, quia vult comprehendere quod
non potest. Posset quoque & aliter istud
intelligi, hoc modo: Melius est videre &
experiri quod cupias, melius est vtendo
probare, & experiri quid in se habeat ob-
lectationis vel vtilitatis id quod cupis,
quàm desiderare id quod nescis, quod non
probasti neque nosti, quàm vel quantum
sit vtile. Auari enim homines non vident
quid cupiant, quoniam non audent con-
tingere suas diuitias, vt eis vtantur: atque
ita ignorant quid habeant vtilitatis aut
commodi diuitiæ, quas tantopere cupiūt,
eademque ratione desiderant quod ne-
sciunt. Quis autem non dicat melius esse
vt experiatur homo frugali vsu, quid vti-
litatis aut commodi habeant res terrenæ
quas quærit, quàm tantum desiderare &
sine fine concupiscere id quod ignorat,
& cuius non probauit commodum vel in-
commodum? Nam id videmus omnem
prudentem negotiatorem obseruare so-
litum, vt priusquam mercem aliquam
emat,

emat, eandem videat, gustet ac probet, maximè antequam in mensura magna & multa copia ex ea emat. Vnde per contrarium insipienti alicui negotiatori rectè *Stulto* potest comparari auarus, qui summa auiditate mercis alicuius plurimum in multis annos studet coëmere, non probans *mercato-* *ri compa-* *ratur ana-* *rus.* quid sit aut quàm bonum quod emerit, aut quàm durabile: & postquam emerit, non de vsu curat, sed tantum nocte ac die cogitat, quo modo eius mercis plus sibi conquirat. Quis non hunc dixerit in isto suo factò vanissimum? In hoc autem intellectu verbum, videre, sic accipiendum est, quomodo suprà capite tertio, cùm dicitur: Omnis homo qui comedit & bibit, & videt bonum de labore suo, id est, experitur bonum & percipit ipso, scilicet, vsu rerum suarum. Vtraque autem intelligentia, admodum proposito est accommodata.

Qui futurus est, iam vocatum est nomen eius, & scitur quod homo sit, & non possit contra fortiorem se in iudicio contendere. Verba sunt plurima, multàmque in disputando habentia vanitatem.

Finis iste capituli huius cū initio sequentis continuandus videtur, quoniam vnam consummant sententiã. Propter quod in nonnullis libris talis ponitur distinctio,

vt caput sequens illic initium sumat: Melius est nomen bonum, &c. Transit autem hoc loco, occasione auari, ad vanitatem aliam quæ auaritiæ non admodum dissimilis est, imò auaritia quædam non immerito censeri & appellari potest. Ea est curiositas vana & stulta, qua mortalium plerique sollicitantur ad inuestigandum curiosè de iis quæ captum humanum excedunt & vires suas longè superant, velut ad cognoscendum futura contingentia, occulta quoque & secreta ex absconsis & incertis signis rimandum, aliâque huiusmodi, quod immodicum sciendi desiderium, vitium est persimile auaritiæ, & auaritia quædam rectè dici potest. Non est enim nisi in materia diuersitas: Vterque enim sine modo auct siue concupiscit quæ sibi non sunt vtilia, & quorum vsum nequit: verùm in hoc est differentia, quòd ille terrena metalla, vtpote aurum, argètum, & huiusmodi, iste verò terrenam scientiam quærit: imò interdum non terrenam, sed infernalem potius & diabolicam. Aequè autem ambo fructum non accipiunt ex suo immodico studio: nec auarus fructum corporis, qui carnes suas consumit curis & inedia, nec ille immodicè scire desiderans fructum habet suæ terrene aut di-

Vanitas in curiositate scientiæ rerum transcendentium captum humanum, aut inutili ad salutem.

boli

bolica scientia, quæ animam esurientem atque sitientem relinquit, & omni bono vacuum, imò & vires eius omnes absumit ac deuorat, vt salutare cibum, id est, simplex & efficax Dei verbum, tanquam insipidum suscipere respuat. Secundum hanc autem sententiam ita exponenda sunt Ecclesiasticis verba. Quisquis ex hominibus vel fuit vel est vel adhuc futurus est (sic enim sub vno tempore reliqua intelligimus) quantumlibet magnus fuerit, vel sit futurus, quantumuis ingenio præclarus, iam tamen nomen eius vocatum est, iam scimus nos quo illum nomine debeamus appellare, videlicet quòd homo sit dicendus & non Deus. Quo præsupposito, quòd scilicet, homo ille sit futurus & nõ Deus, manifestè consequitur, quòd supra se aliũ habeat incomparabiliter fortiorem & in omnibus maiorem, ac præcellentiore, cui si cõferatur, videbit prorsus nihil esse quicquid ipse aut viribus aut ingenio, aut alia qualibet re valuerit, & cum quo in nulla re possit vel debeat tanquam par cum pari cõtendere. Vix autem aliud est vitiũ, quo sic se homo videtur velle æquare Deo, vt per hanc superbam curiositatẽ, qua ea quæ secundum naturam comprehendendi non possunt, tentat homo suo inge-

Superba curiositas videtur velle equare hominē deo. nio assequi, utpote rationes diuinorum operum, quas ipse solus nouit, cognitionem quoque occultorum, & præuisionem futurorum contingentium. Est enim hæc peculiaris Dei super creaturas omnes præcellentia, nosse suorum operum rationes, videre cordis abscondita, & quæ futura sunt in seipsis cognoscere antequàm fiât. Vnde quantum ad cordis occulta Græco vocabulo sibi appropriato Deus appellatur *καρδιογνώστης* cardiognostes. id est, cordiū cognitor cuius vocabuli vsus est primo capite Apostolicorū actuum, vbi nos ita legimus: Tu Domine qui nosti corda omnium. In Græco enim est, *καρδιογνώστης πάντων*, id est, cordicognitor omnium, ut sic ad verbum efficta voce Latina Græcam exprimamus. Frequenter quoq; hæc proprietas, nempe cordis humani cognitio. Deo per prophetas ascribitur, dicente Dauid: Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. Et alibi: Ipse nouit abscondita cordis. Ac rursum: Dominus scit cogitationes hominū quoniam vanæ sunt. Et iterum: Scrutans corda & renes Deus. Quântum verò ad cognitionem futurorum contingentium, eam esse Deo peculiarem, apud Esaiam ipse manifestè insinuat, cum irridens idola ita eorum

eorum cultoribus loquitur. Accedant, &
 nuncient vobis quæcunque ventura sunt.
 Priora quæ fuerunt nunciate, & ponemus
 cor nostrum, & sciemus nouissima eorū,
 & quæ ventura sunt indicate nobis. Annū-
 ciate quæ ventura sunt in futurum, & scie-
 mus quia dii estis vos. Et iterum: Ego Do-
 minus, hoc est nomen meū. Gloriā meam *Efai. 42.*
 alteri non dabo, & laudem meam sculpi-
 libus. Quæ prima fuerunt, ecce venerunt.
 Noua quoque ego annuncio, antequam *Efai. 45.*
 oriantur, audita vobis faciā. Et alibi: Hæc
 dicit Dominus sanctus Israël plastes eius.
 Ventura interrogate me. Quantum autē
 ad vtrumque simul, id est, futurorum præ-
 uisionem & occultorum cognitionē, *Pfal. 138.*
 Psal-
 mista confitetur Domino dicens: Intelle-
 xisti omnes cogitationes meas de longè,
 semitam meam & funiculum meum inue-
 stigasti. Et omnes vias meas præuidisti,
 quia non est sermo in lingua mea. Ecce
 Domine tu cognouisti omnia nouissima
 & antiqua. Huiusmodi igitur quando co-
 natur homo assequi, utpote vel rationes
 diuinorum operum disputando inquire-
 re, aut occulta videre, vel futura prædica-
 re, rectè dicimus, illum velle cum Deo in
 iudicio contendere, tanquā parem seip-
 sum constituentem Deo, nimirum sibi ra-

Roma. 9. pientem quod solius est Dei. Vnde Paulus Apostolus, nono capite ad Romanos, talem inducens volentem cum Deo contendere iudicio, seuera eum increpatione cum authoritate compescit, dicens: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in cō-

Nota. tumeliam? Vbi cū dicit: O homo tu quis es, videtur alludere ad id quod hic dicitur. Scitur, quod homo sit, & non possit contra fortiorem se in iudicio contendere. Sic & alibi per amaram exprobrationē Dominus ait, in Aegypti fortitudine cōfidētibus, Aegyptus homo est & nō Deus. Quasi dicat: Meminisse debetis qui in eius fortitudine confiditis, quòd Aegyptij non dij sint, sed homines, ac proinde ab ipsis non sit quærenda salus, quoniam

Psal. 3. (vt in Psalmo dicitur) Domini est salus, *Multipli* vel à Domino est salus. Quod autē sequitur: Verba sunt plurima, multāmque in *cant ver-* disputando habentia vanitatem, hunc habet sensum, Quoties homines de huiusmodi iam dictis quæ supra se sunt loqui *ba curiosi* volunt, nihil agunt, nisi quòd verba cum *disputato* vanitate absque omni vtilitate multipli- *res.* cant.

cant. Loquuntur enim sicut cæcus de coloribus, & nihil omnino intelligunt quid loquantur. Quo fit, vt inani multi loquutio frustra tempus terant, præter verborum sonitum nihil habentes solidum. Quomodo in disputationibus quoque humanis nunquam videmus, cum alter alteri longè est impar doctrinæ sublimitate aut soliditate ingenij, eum qui inferior est, dum non capit alterius qui longè præcellit responsa sublimia, eo magis verba multiplicare, & clamores attollere, quo minus illius sensum valet cõprehendere. Sed quia sensum eius cum quo contendit non apprehendit, idcirco quid loquatur nescit, & intelligentibus auditoribus suauiter se ridendum propinat, dum nec alterum, nec seipsum capiens, sine intellectu verba multiplicat, nihil ad rem facientia.

ANNO TATIO

nes in caput sextum

ex Hebræo.

*



ANIMA illius non vatur bonis substantiæ suæ. In Hebræo tantum est: Et anima illius non saturetur de bonis. Interpres latinus propter claritatem sententiæ adiecit, substan-

tix suæ, vt indicaret de vsu bonorum ex-
 ternorum fieri sermonem, consequenter
 ad ea quæ præcedunt, quidam tamen ali-
 ter intelligunt, de eo cuius anima non re-
 pletur bonis virtutibus. In quem sensum
 interpretantur Olympiodorus & Grego-
 rius Næocæsariensis, qui etiam id quod
 sequitur, de sepulturæ carentia, ad idem
 propositum interpretantur. Prior quidem
 de illo loquens qui propter vitam flagi-
 tiosam non meretur sepeliri, quemadmo-
 dum de Iechonia apud Hieremiam legi-
 mus. Sepultura asini sepelietur. Posterior
 verò, de illo qui adeò negligit virtutibus
 impinguare animam, vt ne memoriã qui-
 dem mortis admittat. Verba illorũ, pro-
 pter vitandam prolixitatem omitto addu-
 cere. Pergit ad tenebras, & obliuione de-
 lebitur nomen eius. In Hebræo ad verbũ
 sic legitur: In tenebris pertransibit vel ad
 tenebras ibit, & in tenebris nomen suum
 operiet. Similiter ferè habet vetus æditio:
 In tenebris vadit, & in tenebris operietur
 nomen eius. Neque cognouit distantiam
 boni & mali. Vetus æditio sic habet: Non
 vidit solem, neque cognouit: requies huic
 super hunc, id est, huic abortiuo magis
 quàm illi auaro & misero. Videlicet quo-
 niam abortiuus ille nũquàm sensit vllam
 miseriam

Hier. 22.

miseriam, auarus verò cum potuisset gaudio perfrui, maluit perpetuò affligi curis suis superfluis. In eundem modum & ex Hebræo quidam vertunt, secundum Hebraici sermonis tenorem, Non vidit solē, neq; cognouit, requies huic magis quàm huic. Interpret noster sententiam videtur non verba voluisse transferre: Omnis labor hominis in ore eius. Clarius dici posset: Omnis labor hominis ipsi ori eius, vel ad os eius, vel pro ore eius scilicet implendo. Ideo enim homo laborat, vt māducat, iuxta verbum Domini, In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Et quid pauper, nisi vt pergat illuc vbi est vita? Hunc passum ex Hebræo diuersimode vertunt, & diuersas item commentantur intelligentias. Quidam sic vertunt: Quid est pauperi scienti? vt ambulet iuxta viuentes. Quod ita continuè cum præcedenti verbo exponūt: In quo excellit sapiens stultum, & in quo excellit pauper sciens & sapiens? Nimirū in hoc quòd norunt sapientes ambulare in lege Domini, iuxta exemplum iustorū qui viuunt post mortem in paradiso deliciarum. Alij sic legunt: Quid pauperi (subaudi prodest) scire ambulare coram viuentibus, hoc est, coram iis qui bene & laute viuunt? Alij sic vertunt: Quid pauperi sciē-

Gen. 3.

ti pergere ante vitam? Alij hunc eliciunt sensum: Quid pauperi minus est qui industria sua sibi victum parat inter illos cum quibus viuit? Nostræ verò lectioni vulgaræ magis consentit antiqua æditio. Quid amplius est sapienti quàm stulto? Quoniã nouit pauper ambulare contra vitam, vel in conspectu vitæ. Quod Olympiodorus interpretatur ad eum modum quo nos supra in commentariis vulgaratam lectionem nostram sumus interpretati. Sic enim habet: Sapiens pauper spiritu (iuxta Euangelium) ambulat coram vita, id est, per virtutum semitas pergit donec tandem perueniat ad vltimum appetibile. Dissolui enim cupit, & esse cū Christo, qui profectò est vita æterna. Melius est videre quod cupias, quàm desiderare quod nescias. In Hebræo ad verbum sic legitur: Melius est videre oculis, vel melior est visio oculorū, quàm ambulare anima. Quod ad sententiam nostræ lectionis suprapositam facile potest aptari. Ita quoque habet vetus æditio: Melior est aspectus oculorū super ambulantem in anima: Quod iuxta Symmachum, in Commētariis ita interpretatur Hieronymus: Melius est prouidere, quàm ambulare vt libet, id est, Melius est iuxta sensum cūcta agere, qui animæ est

mæ est oculus, quàm voluntatem cordis sequi. Aliquanto etiã clarius eundem sensum Olympiodorus explicat, dicens: Longè melius est, perspicaces habere oculos animæ ac rationis, spiritus sancti lumine illustratos, quàm pergere iuxta animæ voluntatem, hoc est, animalis hominis ritu, qui in tenebris ambulat.



SEPTIMI CAPITIS
Commentarius.

*



QUID necesse est homini maiora se querere, cum ignorat quid cõducatur sibi in vita sua, numero dierum peregrinationis sue, & tempore quod velut umbra præterit? Aut quis ei poterit indicare, quid post eum futurum sub sole sit?

Hæc omnia ad præcedentia coniungenda sunt, & continuo sensu interpretanda. Arguitur namq; his verbis illa quã diximus hominum curiositas, qua volunt quodammodo cum Deo iudicio contendere, & sibi quod est Dei vsurpare, maiora se

*Magis
utilibus
insisten-
dum.*

querendo, & ea tentando comprehendere que supra captum sunt hominum. Vanum autem id esse ostēdit, primum ex eo, quod habeat homo magis necessaria & magis utilia in quibus possit occupari cum fructu, quod indicat, dicens: Cū ignorat quid conducatur sibi in vita sua, &c. Quasi dicat: Quorsum opus est, vel ad quid utile est, ut homo quærat ea quæ supra se sunt, & ad quæ quantumvis laboret pertingere nō valebit, cū interim ignoret ea que sibi maximè cognoscenda erant ad vitam bene instituendam, neque sciat ea que sibi maximè sunt utilia & cognitu necessaria? Nimis enim vanū est, quæ necessaria sunt & utilia, eaque captu satis facilia negligere, ea autem quæ superuacanea sunt & comprehendendi non possunt sectari. In hac autē ratione, pulchre humanæ vitæ & peregrinationem & breuitatem Sapiens commemorat, dicens: Cū ignorat quid sibi cō-


*Due res
potissimū
debent mo-
uerē homi-
nem ad in-
sistēdum
magis uti-
libus.*

ducatur in vita sua, numero dierum peregrinationis suæ, & tempore, &c. Duo enim hæc maximè incitare debent mortales, ut neglectis superuacaneis toti incumbant iis quæ sibi sunt utilia. Dum enim recordamur, quod hic in peregrinatione agimus, utique attendendum nobis est quod ait Apostolus, non habere nos hic manentem ci

tem ciuitatem, sed futuram inquirere, ac *Hebr. 13.*
 proinde iis potissimum intēdere quæ nobis
 ad rectè ambulandum in via peregrinationis
 huius, atq; ad assequendum finē optatum
 beatæ illius patrię, valent conducere. Huiusmodi
 autem non sunt illæ superuacaneę disputationes
 de rebus quę supra nos sunt, quę velut remorę
 sunt & euocamenta quædam, quibus detinentur
 & impediuntur hominum animi, ab iis quæ
 verè vtilia sunt, id est, ab iis quæ ad vitam
 bene instituendam, & ad cōponendos mores
 faciunt. Quomodo enim peregrinos ad suam
 patriam festinantes videmus omnem moram
 inutilem abiicere, nec vquam hærere aut
 demorari vbi non opus fuerit: sic nobis nō
 est hæredum in superuacaneis rebus, donec
 peregrinamur in hoc corpore, sūntq; omnia
 nobis magna celeritate pertranseūda ne ab
 itinere quo pergimus ad mansionem venturam,
 impediamur. Et hoc solū nobis curādum est,
 quomodo viam rectam & meliorem inuenire
 valeamus deuia cuncta effugientes, itinerūq;
 dispendia declinātes. Id ipsum quoq; admonet,
 cū breuitatem insinuās temporis vitæ huius
 ait: Et tempore quod velut vmbra præterit.
 Si enim multa annorum milia darentur
 hominī in peregrinatione

natione ista, forsitan tolerandum videtur, nonnunquam etiam curiosis & superuacaneis quibusdā ipsum occupari. Nunc verò posteaquam tam breue est & momentaneum tempus hoc nostrum ita ut merito vmbrae nihil solidum aut stabile habēti debeat comparari, quis non dicat, vanissimum esse eum, qui rebus friuolis inhæret, neglectis necessariis? Hanc autem tēporis breuitatē dupliciter textus insinuat. Prius quidem, dum ait: Numero dierum peregrinationis suæ, vbi numerus ille dierum certam & definitam breuitatē significat, vltra quam non possit homo pertinere, quemadmodū apud Psalmistam dicitur: Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te. Verumtamen in imagine pertransit homo. Vbi ex Hebræo vertit Hieronymus: Breues posuisti dies meos. Alij legunt: Vt mensuram quatuor digitorum, alij ad mensuram pugillorum. Quæ omnia breuitatem nimiam sonant, quemadmodum diximus in commentariis Psalmodum, in annotationibus ex Hebræo. Deinde, cū dicit: Tempore quod velut vmbra præterit. Non enim poterat magis tēpus istud vitæ humanæ attenuari, quā ipsum comparando vmbrae, quæ nihil habet sta

*Breuitas
temporis
humane
vitæ.
Psal. 38.*



bet stabilitatis, sed transit celerrimè, & ita deficit, vt ipsius nihil remaneat. Propter quod non vlli rei æquè frequenter in scripturis vita hominis comparatur. Vnde Salomonis pater Dauid populi oblationem cum lætitia Domino consecrans, ait: *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Peregrini enim sumus coram te & aduenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi vmbra super terram, & nulla est mora. Et in Psalmis: Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra prætereunt. Et iterum: Dies mei sicut vmbra declinauerunt. Et alibi: Sicut vmbra cum declinat ablatus sum. Et in libro Iob dicitur: Hesterni sumus, & ignoramus quoniam sicut vmbra dies nostri sunt super terram. Et in lib. Sapien. dicitur: Tanquam vmbra transitus est tempus nostrum. Sic & in aliis plerisque locis. Quod autem subsequenter adiicitur: Aut quis poterit ei indicare, quid post eum futurum sub sole fit? alteram indicat causam, ob quam vanum dicit esse, hominem maiora se querere. Priorem enim assignauit ex temporis breuitate, & maiori utilitate rerum necessariarum. Nunc alteram adiicit, nempe impossibilitatem consequendi illa, vt si cui fortè maior utilitas nequeat*

*I. P. 4. 29.**Psal. 143.**Psal. 101.**Psal. 108.**Iob 8.**Sapien. 2.*

nequeat persuadere, vt absteineat à superuacaneis, hanc saltem impossibilitatem assequendi retrahat. Quid enim vanius, quàm ad ea conari quæ non vales assequi.

Melius est nomen bonum, quàm vnguenta preciosa, & dies mortis, die natiuitatis.

Prosequitur deinceps moralia multa, in quibus quæ præligenda sint recto iudicio, quæ posthabenda vel contemnenda, indicat. Et quanquam hic sui rēmatismis videatur obliuisci, dum non vltra vanitates videtur tractare, minimè tamen id facit. Dum enim quid bonum & eligendum sit, docet, proculdubio per consequentiam, quid vanum sit, & respueudum, insinuat. Imperfectus enim foret Sapientis nostri tractatus, si tantùm vanitates inutiles refutasset, & contrarias veritates non demonstrasset. Prius enim est, impia refutare & noxia conuellere, malaque expellere: posterius, pro impiis pro noxiis verè vtilia, pro malis bona demonstrare: quemadmodum prudens ædificator vetus ædificium prius destruit, ac deinde nouum substituit. Primùm itaque, nomen bonum præfert vnguentis pretiosis. Vbi primum quid nomen bonum sit, videndum est: deinde, quid sibi velit ista comparatio qua vnguentis nomen

men comparat. Quantum ad primum, factis consuetum est, nomen pro fama vel opinione accipi, vt dicatur bonum nomen habere, de quo habetur bona opinio, & de quo fama bona spargitur: contrà verò malum dicatur habere nomen, de quo fama mala spargitur & sinistra habetur opinio. Sic in Prouerbiis dicitur, nomen bonum, melius esse multis diuitiis. In mala autem parte, Deuteronomij 22. nomen pessimum crebrius appellatur fama mala, qua maritus diffamat vxorem suã. Eadem ferè est significatio, cùm nomen pro memoria accipitur, quomodo bonum nomen relinquere dicitur moriens, qui in bona opinione moritur, sicque post se memoriam bonam relinquit: & e contrario relinquit nomen malum malæ memoriæ, qui malum habuit nomen dum viveret malæ famæ. Sic hæc adinuicem consequuntur. Sed hoc aduertendum est, quòd in proposito nomen bonum secundum veritatem debet accipi. Sunt enim nonnulli qui bonum nomen habent apud homines, quibus probi videntur & iusti: sed apud Deum non item, cui ipsorum occulta peccata sunt cognita. Huiusmodi nomen, secundum veritatem bonum non est, tametsi ita homines iudicent. Alij vero apud

Nomen bonum quid sit.

Prov. 22.

Deu. 22.

Boni nomen alii qui verè alij tantum apud parentes habent.

rò apud homines nomen malum habent
 & execrabile, apud Deum tamen habent
 nomen optimum. Et hi verè nomen ha-
 bent bonum. Non loquitur autem im-
 præsentiarum sapientissimus Ecclesiastes
 nisi de nomine verè bono, quod coram
 Deo nomen bonum est, quod videlicet
 homo sibi comparat, per vitam bonam
 & obseruationem iustitiæ erga Deum &
 homines, dum & quæ Dei sunt, reddit
 Deo: & quæ hominum sunt, reddit ho-
 minibus, ita vt (iuxta Aposto. verbum)
 nemini quicquam debeat nisi mutuam
 dilectionem. Vnde Olympio. explicans
 quid in proposito dicatur nomen bonum,
 sic ait: Melius est ex officiosis actionibus
 laudabilis famæ fructum percipere, &
 exultare ob nomen suum scriptum in
 cælis, ob viam bonorum operum fidem,
 quàm frui omnibus humanis deliciis.
 Quantum verò ad pretiosa vnguenta,
 manifestum est ea habere vim lætificandi
 & refocillandi hominem qui eis vnctus
 vel perfusus fuerit, iuxta illud Psalmistæ:
 Vt exhilaret faciem hominis in oleo.
 Quod non est intelligendum de esu olei,
 vt simpliciores quidam interpretantur,
 sed de inunctione vnguenti. Oleum enim
 subinde pro vnguento ponitur, propter
 ea quòd

*Mat. 22.**Roma. 13.**Psal. 103.*

ea quòd ex oleo conficiantur vnguenta.
 Vnde & in præfenti loco ex Hebræo po-
 nitur oleum bonum pro vnguento præ-
 tioso. Erat autem hæc vnctio veteribus
 frequentissima, maximè post labores, &
 si quando vellent hilariores videri, vt fe-
 stis diebus. Nam de labore legimus ex-
 emplum, libro secundo Paralipomenom,
 vbi captiuos ex Iuda filij Israël remittere
 volentes, iuxta Prophetæ consilium, de-
 scribuntur vestisse & calciasse cibòque ac
 potu refecisse, ac deinde vnxisse, propter
 laborem. Propter lætitiã autem solere
 se vngere vnguento prætioso homines, ex
 multis scripturæ locis est manifestum.
 Peculiariter in eo quod de Iudith legi-
 mus, cùm ad Holofernem pararet acce-
 dere, prius eam corpus suum lauissè &
 myrto optimo se vnxisse. Propter quod
 etiam Saluator noster ait in euangelio:
 Tu autem cùm ieiunas, &c. Videlicet ad
 iudicandum lætitiã cordis & fugan-
 dam longè simulationem tristitiæ. Qua
 de re nonnihil diximus in commentariis
 libri Psalmorum, super versu illo Psal-
 mi 103. Vt exhilaret faciem hominis in oleo.
 Et iterum super illo Psalmo 108. Genua
 mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea
 immutata est propter oleum, id est, præ-

2. Pa. 28.

Iudi. 10.

Mat. 6.

olei defectu, vel abſtinentia ab vnctione
Nomē ve olei. Comparat igitur Eccleſiaſtes noſter
rē bonum bonum nomen precioſo oleo ſiue vn-
oleo precio guento, eo quòd ſicut vnguētum bonum
ſo compa- hominis corpus lætificat, & laborum præ-
ratur. ſtat refrigerium, facitque obliuiſci homi-
Prou. 15. nem laboris ſui, ſic nomen bonum homi-
 nem intus lætum facit in teſtimonio con-
 ſcientiæ bonæ, quæ eſt quaſi iuge conui-
 uium, eſtque iſtud coram Deo nomen bo-
 num homini ſpirituſali conſolatio in la-
 boribus ſuis. Coram proximis quoque
 non peruerſis, bonum nomen hominem
 facit bonum odorem de ſe fundere, quo
 illi alliciantur, vt poſt ipſum currant eius
 imitando exemplum, & Deum glorifican-
 do in eo, quomodo is qui precioſo vnguē-
 to perſuſus eſt, gratum de ſe ad proxi-
 mos odorem fundit, cuius dulcedine
 olfacientes poſt ſe attrahit. Propter quod
Canti. 1. ſponſa in Canticis poſt ſponſum oleo læ-
Pſal. 44. titiæ vnctum præ conſortibus clamans,
 dicit: In odorem curremus vnguentorum
2. Cor. 2. tuorum. Sic Apoſtolus vnguento perſuſus
 erat, qui dixit: Chriſti bonus odor ſumus
 Deo, in omni loco. Et de quibuſdam ſuis
 diſcipulis eodem vnguento redolentibus
Roma. 1. ait: Fides veſtra annunciatur in vniuerſo
 mundo. Præfert autem Sapiens nomen
 bonum

bonum vnguentis preciosis, eo quod spiritualis illius boni odoris diffusio, longè sit præferenda odori corporalis vnguenti, quamuis enim secundum similitudinem corporalia spiritualibus possint comparari, secundum paritatem tamen æquari non debent. Quidam autem prædictum locum sic interpretantur: Melius est nomen bonum quàm quæcunque corporales deliciae, per vnguenta scilicet preciosa intelligendo corporales delicias, eo quod ad lætitiã illa soleant adhiberi. Comparatur autem dehinc dies mortis cum die natiuitatis, imò præfertur illa huic. Quod ea consideratione dictum videtur, quoniam dies natiuitatis introitus est ad multas miseras: quod indicat primus ille vagitus in nuditate prodeuntium infantulorum, à quo in hoc aëre vitæ sumunt exordium: quem quidem vagitum, donec in matris utero latent, nesciunt: simul verò vt in lucem prodeunt, emittere incipiunt, quasi futura mala ad quæ nascuntur deplorantes. Dies autem mortis, si vitam istam bene egerimus, terminum imponit omnibus miseriis, & bonorum omnium plenitudini præstat initium. Iuxta quod in Apocaly. Ioanni dictum legimus, Scribe: Beati mortui, qui in Do-

*Dies mortis antepo-
nitur diei
natiuitatis.*

Apo. 14.

mino moriuntur. A modo iam dicit spiri-
 tus, vt requiescant à laboribus suis. Ope-
Apo. 21. ra enim illorum sequuntur illos. Et ite-
 rum: Absterget Deus omnem lachrimam
Psal. 115. ab oculis eorum, & non erit amplius ne-
 que luctus, neque dolor, quæ prima abie-
Philip. 1. runt. Hinc & apud Psalmistam dicitur:
 Pretiosa in conspectu Domini, mors san-
 ctorum eius. Hinc Paulus clamabat, di-
 cens: Cupio dissolui, & esse cum Christo.
 Debet autem ista comparatio intelligi
 potissimum, quantum ad bonos. Nam
 malis non videtur melior esse dies mor-
 tis, quæ eis erit ad perditionem æternam
 miserabile initium: quemadmodum per
Psal. 33. Psalmistam dicitur: Mors peccatorum pes-
 sima. Nisi fortè subtili cõsideratione quis
 attendat, quòd per diem mortis, impius
 peccandi finem faciat, ne amplius peccet.
 Nam hac consideratione vtcunque intel-
 ligi potest, etiam impiis diem mortis (qui
 eis est finis malè operandi) meliorem esse
 die natiuitatis, qui eis est ad vitam istam
 malam ingressus. Iuxta quod, hũc locum
Olympio. pulchrè enarrat Olympiodorus, paucis
 his verbis: Natalitius dies in turbulētum
 vitæ huius pelagus nos inducit, vbi draco
 latibulum suum posuit: transitus verò dies
 è stadio nos educit. Et quidem si peccator
 fuerit

fuerit, qui decedit, peccare vltra iam definit: qui autem iustus est, vita perfruetur æterna. Aqua sententia non abhorret verbum illud Domini de Iuda proditore, dicentis: Melius erat ei, si natus non fuisset *Mat. 26.* homo ille, vbi natiuitatis diem mala nota videtur signare, cum ait, melius fuisse, si natus non fuisset. Tacite autem diem mortis velut commendat, quæ finem imponit malo, cui illa quasi initium dedit. Id ipsum indicare videtur etiam altera illa sententia, quam cõtra pusillorum scandalizatorem, idem ipse Dominus profert, dicens: Expedi ei, vt suspendatur *Matt. 18.* mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Videtur enim hoc verbo nonnihil mortis diem commendare.

Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens homo cogitat quid futurum sit.

In conuiuijs epulantium, nihil nisi risus & lasciuia conspicitur, & iquitant omnia quæ ibi cernuntur carnem, alioqui plus satis ex se petulantem, ad dissolutionem & lasciuiam: & multis se homo *In loco cõ* periculis exemplorum malorum atq; *uiuiorum* casionum malarum exponit, quando ad *pericu-*

mino moriuntur. A modo iam dicit spiri-
 tus, vt requiescant à laboribus suis. Ope-
 ra enim illorum sequuntur illos. Et ite-
 rum: Absterget Deus omnem lachrimam
 ab oculis eorum, & non erit amplius ne-
 que luctus, neque dolor, quæ prima abie-
 runt. Hinc & apud Psalmistam dicitur:
 Pretiosa in conspectu Domini, mors san-
 ctorum eius. Hinc Paulus clamabat, di-
 cens: Cupio dissolui, & esse cum Christo.
 Debet autem ista comparatio intelligi
 potissimum, quantum ad bonos. Nam
 malis non videtur melior esse dies mor-
 tis, quæ eis erit ad perditionem æternam
 miserabile initium: quemadmodum per
 Psalmistam dicitur: Mors peccatorum pes-
 sima. Nisi fortè subtili cõsideratione quis
 attendat, quòd per diem mortis, impius
 peccandi finem faciat, ne amplius peccet.
 Nam hac consideratione vtcunque intel-
 ligi potest, etiam impiis diem mortis (qui
 eis est finis malè operandi) meliorem esse
 die natiuitatis, qui eis est ad vitam istam
 malam ingressus. Iuxta quod, hũc locum
 pulchrè enarrat Olympiodorus, paucis
 his verbis: Natalitius dies in turbulētum
 vitæ huius pelagus nos inducit, vbi draco
 latibulum suum posuit: transitus verò dies
 è stadio nos educit. Et quidem si peccator
 fuerit

fuerit, qui decedit, peccare vltra iam definit: qui autem iustus est, vita perfruetur æterna. Aqua sententia non abhorret verbum illud Domini de Iuda proditore, dicentis: Melius erat ei, si natus non fuisset *Mat. 26.* homo ille, vbi natiuitatis diem mala nota videtur signare, cùm ait, melius fuisse, si natus non fuisset. Tacitè autem diem mortis velut commendat, quæ finem imponit malo, cui illa quasi initium dedit. Id ipsum indicare videtur etiam altera illa sententia, quam cõtra pusillorum scandalizatorem, idem ipse Dominus profert, dicens: Expediit ei, vt suspendatur *Matt. 18.* mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Videtur enim hoc verbo nonnihil mortis diem commendare.

Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens homo cogitat quid futurum sit.

In conuiujs epulantium, nihil nisi risus & lasciuia conspicitur, & inquitant omnia quæ ibi cernuntur carnem, alioqui plus satis ex se petulantem, ad dissolutionem & lasciuiam: & multis se homo *In loco cõ* periculis exemplorum malorum atq; oc- *uiuorum* casionum malarum exponit, quando ad *pericu-*

Ium ani- loca pergit conuiuij. Vnde de beato Iob
m.a. legimus ipsum pro filiis conuiuia vicif-
Iob 1. sim celebrantibus orare solitum, & offer-
 re sacrificia, ne fortè benedixissent Deo,
 nève in excessu latitiæ inordinatum aut
 malum quid egissent: tamen illa ipsa cõ-
 uiuia sit verissimile magis ad fraternæ a-
 micitiæ fomentum, quàm ad carnis lasci-
 uiam, ab illis fuisse celebrata. Non enim
 noxia & apertè mala conuenticula tole-
 rasset homo sanctus, qui verebatur omnia
 opera sua. At verò in domo luctus, vbi
In domo mors defuncti lugetur, & plangitur mor-
luctus, a- tuus, considerat homo viuens, sed mortali-
dificatio. tis & moriturus finē suum: & quis ipsum
Iob 9. quoque maneat exitus, admonetur. Dum
 enim defuncti cadauer intuetur oculis,
 illud sibi dici putat, quod apud alium sa-
 pientem ex persona defuncti dictum le-
Eccl. 38. gimus viuenti: Memento iudicij mei, sic
 enim erit & tuum. Mihi heri, & tibi ho-
 die. Atque ita fit, vt salutari timore con-
 figantur carnes nostræ, dum ante oculos
 nostros in exemplo manifesto cernimus
 nostri exitus finem. Quod enim sic ad
 oculum cernimus, in eo quem paulo ante
 nostri similem & nobiscum in prospera
 sanitate viuentem vidimus, admodum
 efficaciter mentem nostram commone-
 facit,

facit, & quasi nos, quales olim futuri sumus, nobis ante oculos proponit, donec adhuc sani viuimus. Itaque, multa nobis ex domo luctus vtilitas prouenit: ex domo autem conuiuij magnū vel damnum vel damni periculum. Quare melius est ire ad domum luctus, quā ad domum conuiuij.

Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.

In Ecclesiastico scribitur: Filix tibi *Eccl. 7.*
sunt, custodi corpus illarum, & noli ostendere hilarem vultum ad eas. Secundum *Ira melior risu.*
hoc modo dicitur ira esse melior risu, eo quod animus delinquentium corrigitur per indignationem atque tristitiam. Si enim quis coram me offendat in aliquo, & ego arrideam dicenti aut facienti malum, palam est, meo risu illum foueri in malo, & prouenturum reddi ad idem ipsum vel iterandum vel faciendum liberius. Si verò per vultus tristitiam ostendam malefacienti, me egre ferre quod dicit vel facit male, cauebit sibi, si me vel amet vel metuat, ne hoc ipsum coram me iteret, aut etiam rubore perfusus culpam agnoscat, & agat commissi mali poenitentiam. Neque id solum veritatem habet in iis qui nostro subsunt moderamini, verum-

etiam in iis qui nobis sunt coæquales, imò subinde & in maioribus. Quod euidentissimè in detractoribus cernimus, qui si auditorem arridentem & auribus arrectis attendentem nacti fuerint, suæ detractioni modum non constituunt: sin autem inamœnum auditorem habeant, qui statim ipsa vultus deiectione & aspectus seueritate indicet sibi displicere quæ dicuntur, mox erit detractori os occlusum. Nemo enim (vt sacer ait Hieronymus) inuito auditore libenter loquitur. Ira autem ista, proba accipienda est, quæ ex rationis imperio, propter virtutis amorem & charitatis zelum, contra malum assumitur, quæ non appetitum iracundum signat propriæ vindictæ, sed dolorem de malitia culpæ. Conformiter risus iste qui postponitur iræ risus malus debet intelligi, is videlicet qui de malo est, & in malo hominem fouet. Quod si per contrariū conferre voluerimus iram malam cum risu bono, proculdubio inuenietur risus qui melior erit ira: ille videlicet risus, quo gaudebit vir bonus in tribulatione, iuxta illud

Rom. 12. Apostoli: In tribulatione gaudentes. Et alibi: Ibant apostoli gaudentes à conspectu cōcilij, quoniam digni habiti sunt pro nomini I E S V contumeliam pati. Hic enim

Act. 5.

enim risus boni gaudij, iræ præferendus est malæ impatientiæ, quæ vindictam posceret. Possumus autem verbum istud etiam ad Deum applicare, dicentes meliorem esse iram Dei: qua modò nostra punit peccata, quàm eius risum, quo dissimulat cum reprobis, permittens agere illos omnia pro animi sui sententia. Quasi enim illis Deus corridet vel arridet, quos sic absque omni disciplina permittit licenter agere, quæcunque placent ipsorum concupiscentiæ. Quasi autem iram ostendit & vultum tristem, erga eos quos modò vel pro commissis punit, ut purget, vel per aduersa à peccatis venturis præseruat.

Cor sapientum, vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia.

Videtur hic sermo contrarius esse ei quod dicit sanctus Paulus: Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete. Cui consonat vox Domini, in Euangelio suis dicentis: Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis. Si enim semper gaudendum est sapienti, quomodo illic erit cor eius, vbi est tristitia? Sed sciendum est tristitiam & lætitiã istas de quibus hic fit mentio, accipiendas esse secundum externum hominem. Illa autem lætitiã ad quam Dominus & Apostolus eius nos

Philip. 4.

Luc. 10.

Varia læ

- titia atq; *tristitia.* hortantur, interna est in spiritu. Non repugnant autem sed simul stant, tristitia illa seueritasque externa & internum in corde gaudium. Vnde Apostolus ait: *2. Cor. 6.* Quasi morientes, & ecce viuimus, vt castigati & non mortificati. Quasi tristes, semper autem gaudentes: tristes secundum exteriorem, gaudentes secundum interiorem hominem. Propter quod manifestius iterum loquitur, dicens: *1. Cor. 4.* Sed licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die, in diē. Cæterum, tristitia interior mala bonæ lætitiæ internæ contraria, summopere est fugienda sapienti, nec vllum ei debet præstare locum in corde suo, quoniam impedimētum magnum præstat spirituali profectui, torpore deiiciens animum. De hac quippe tristitia per alium sapientum dicitur: Ne dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam à te. Et Paulus apostolus ait: *2. Cor. 7.* Seculi tristitia mortem operatur, quæ autem secundum Deum tristitia est, pœnitentiæ operatur in salutem stabilem. Est ergo dignum notatu quod hoc loco dicitur, non corpus, sed cor sapientis esse illic vbi tristitia est, & cor stulti vbi lætitia. Cōtingit enim nonnunquam, sapientem illic esse corpore, vbi exterior est lætitia, sed
non

non est illic cor eius quoniam non affectū
 illi apponit, neq; ex animo afficitur pro-
 positis delitiis. Sunt enim illi omnia infi-
 stitia bo-
 pida quæcunque ad voluptatem possunt
 offerri, consideranti huius temporis bre-
 uitatem, & vitæ huius exilium, in quo vi-
 uit super terram. Quemadmodū sanctus
 Apostolus ait: Hoc autem dico, fratres: I. Cor. 7.
 Tempus breue est. Reliquum est, vt qui
 habent vxores, tanquam non habentes
 sint, & qui gaudent tanquam non gau-
 dentes, &c. Et sanctus Propheta dicit: Cinerem
 tanquam panem manducabam, id
 est, panem tanquam cinerem, etiam in his
 quæ hominibus maximè sunt delectabi-
 lia nesciens oblectari. Econtrario quoque
 stulti si quando corpore degāt in tristitia,
 cor tamen eorum in lætitia est, quoniam
 ex affectu desiderant & quærunt æterna
 gaudia. Psa. 104.

*Melius est, à sapiente corripī, quàm stulto-
 rum adulatione decipi: quia sicut sonitus spinarum
 ardentium sub olla, sic risus stulti. Sed &
 hoc vanitas.*

Corripiet me iustus (inquit Propheta
 Dauid) in misericordia: & increpabit me, Psa. 104.
 oleum autem peccatoris non impinguet
 caput meum. Hoc est: Correptio iusti aut
 sapientis emendabit me, & faciet agno-
 tendam.
 scere

scere peccatum meum, sed blanda adulatione malorum hominum (quam per oleum voluit significare) longè sit à me, vt non mihi caput impinguet, id est, non demulceat animum ad permanendum in peccato, aut in malo me foueat suis blanditiis.

2. Re. 12.
 & 24. Idipsum in correptionibus. Nathan & Gad bene expertus fuit, per quorum correptionem ipse ad cor rediens, pœnitentiam egit peccati sui nō simplicis. Rīsum autem stulti, quo adulatur & arridet proximo suo peccanti, vt illum in peccato foueat & ad liberius peccandum inducat, comparat stridori aut crepitui spinarum ardentium sub olla: quoniam sicut spinæ sub olla crepitum magnū faciūt, sed non diu durat ille crepitus (Mox enim igne conflaurantur spinæ, & consumuntur cum sonitu) sic risus ille & cachinnus stulti breui finem accipiet conuertendus in luctum æternum. Propter quod, stultorum iste adulatorius risus, tāquam inanis & noxius contemni debet. Spinæ quoque sub olla ardentes, cum crepitu eiusmodi fumum multum exsufflant atq; caliginem effundūt: sic risus iste stultorum adulatorius cōnatur inuoluere caligine, & quasi fumo excacare eum coram quo emissus fuerit. Iterum, sicut spinæ ardentes, licet in se
 consu

consumantur, ollam tamen superpositam faciunt ebullire: sic risus stultorum in eis qui sibi aurum accommodant, malum feruorem incendit, æstum videlicet malæ concupiscentiæ, quæ blandis adulationibus maximè incenditur. Ait, autem Sapiens, vanitatem hoc esse, nempe adulationibus stultorū acquiescere. Quo in loco notandum, quod iam suprâ admonuimus, Ecclesiasten nostrum in his tractandis moralibus non prorsus obliuisci sui propositi thematis de vanitate, quod hic nobis ostendit, tribus verbis ipsum velut indicans & designans, dum ait: Sed & hoc vanitas, quod æquè cōmodè ad alia quoq; prædicta & post dicenda posset replicari.

Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.

Si de perfectè sapiente & in sapiētia stabilito intelligamus, conturbatio illa non deiiciens, sed tantum vexans & affligens, accipietur. Nam id subinde contingit, hominum calumniis etiam sapientes nō modicum conturbari, maximè in primo ipso aggressu cum subito calumniam sentire cœperint. Perdere autem dicitur sapientia robur cordis illius, non quòd in totum auferat, sed quoniam conturbat & quasi infirmat ad tempus vigorem & tranquillam

Quomodo sapiens conturbatur calumnia.

lam dispositionem cordis eius. An non sapiens erat Moyses, de quo testimonium perhibet scriptura, quod seruus fidelis erat Domini, ita ut facie ad faciem ei loqueretur, sicut amicus ad amicum suum? Nonne hunc conturbauit, & nonne robur cordis eius perdidit aut vexauit improborum calumniam, quando contra ipsum murmurauerunt & rebellauerunt Core, Dathan &

- Num. 16.* Abyron, & eorum complices? Sic enim legimus: Iratus Moyses valde, dixit ad Dominum: Ne respicias sacrificia eorum: tu scis, quod nec asellum quidem vnquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. Ecce quomodo conturbatur à calumnia is cui testimonium perhibet scriptura, quod vir mitissimus esset super omnes habitantes in terra. Sed & alias populi murmurantis aduersus se & Deum calumnia eo adactus est, ut quasi cum Deo contendere videretur, dicens: Cur affixisti seruum tuum, quare non inuenit gratiam coram te, & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, ut dicas mihi, Porta eos, &c. Ac deinde, non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi. Sin aliter tibi videtur, obsecro, ut interfi

terficias me. Alibi verò idem ipse Moyses sic conturbatur calumnia, & perditur robur cordis eius, vt argui mereatur à Domino, cum videlicet ad petram iussus populo aquam de ea præbere, offenderet Dominum. Sic enim de eo scribit Psalmus, *Psa. 105.* quòd vexatus est Moyses propter eos, quòdque ipsius spiritum exacerbauerint, sua nimirum murmuratione contra Deum, & calumnia contra Moysen. Veruntamen is qui in sapientia firmatus est, non penitus deiicitur animo, propter calumnias hominum, nisi simul ipsam quoque suam perdat sapientiam. Facit enim sapientia vera quæ secundum Deum est, vt neq; aduersis neq; prosperis homo à statu rectitudinis suæ prorsus deiiciatur, sic vt non resurgat à conturbatione sua. Salonius verò prædicta intelligit de eo qui iam cœpit habere sapientiam, sed nondum in ea perfectus est. Hunc enim sic ait calumnia conturbari, quia dum patiēter animo sustinet aduersa, vexatur impatientia.

*Salonij
enarra.*

Melior est finis orationis, quàm principium.

Oratio nō accipitur hic illa qua Deum oramus, quam Græci *προσευχή* prosequin appellant, sed pro sermone simpliciter accipitur. Nam in Hebræo est nomen *debar*, quod significat sermonem aut verbum.

bum. Solet autem per sermonem aut verbum in scripturis, nō raro negotium, aut res, vel factum significari: veluti cū dicitur. Quod est verbum quod factum est? in hunc sensum. Quid rei gestum est? quid

Luc. 2. adfers noui? Sic apud Lucam pastores loquuntur, dicentes: transeamus vsq; Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus & ostendit nobis, id est, rem istam vel factum aut negotium istud quod fecit Dominus. Sic angelus Marię loquitur dicens: Apud Deum

Luc. 1. non est impossibile omne verbum. Sic ergo & in præsenti loco oratio aut verbum generaliter pro re vel facto aut negotio quolibet accipi congruē poterit, vt sit sensus meliorem esse rei aut negocij cuiuslibet finem, quā principium: Parum enim

Finis operis cōmēdatur supra principium. est, rem aliquam incepisse: sed magnū est eam consummasse. Multi enim multa & magna subinde incipiunt, quę statim occurrente difficultate aliqua, relinquunt.

Luc. 8. Quemadmodum in Euangelio Dominus ait de iis qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Peculiariter verò id in operibus artis atque virtutis solet vsuuenire: quoniam ars & virtus (iuxta Philosophi Aristotelis sententiam) versantur circa difficilia, propter quod, multi statim

statim post initia degustata, difficultate occurrēte deterriti, aufugiūt, & bene cœpta deserunt. Hinc dominus in Euāgelio nō ait: Qui rem bene cœperit, saluus erit, sed: Qui perseverauerit vsq; in finē, hic saluus erit. Et in Apocalypsi: Esto fidelis vsq; ad mortē, & dabo tibi coronā vitæ. Licet enim bene incepisse magnū sit, & fundamentū bonū ad superēdificandū quod reliquum est, non tandē id sufficit, si non respondeant cætera. Vnde & Poëta ait: Dimidiū facti, qui bene cœpit habet. Signāter ait: Facti dimidiū, non factū totū. Hoc igitur sibi vult proposita ista sententia, quòd laudabilius sit rem ad finem & consummationem vsq; perducere, quàm tantū incipere. Finis enim præsupponit principium, quoniā non potest ad finem perueniri, nisi per aliquod principiū. Principium autem nō semper finis qui deberet, subsequitur. ante finem nanque debitum, plerūq; cessatur ab incepto opere. Quod si cui liberet per orationem intelligere, vel eam quæ coram deo habetur (Nam & ipsa verbum quoddam est) vel eam quæ fit coram hominibus ad docendū aut persuadendam aliquid, etiam sic verum erit, finem orationis meliorem esse principio. Qui enim deum orat, non statim in ipso

*Apo. 2.**Alia intelligētia.*

initio orationis obtinet quod postulat,
 sed si perseverauerit in oratione, accipiet,
 finis orationis quę postolata sunt. Id quod
Luc. II. Euangelica nos manifeste docet parabo-
 la, de eo qui intempesta noctetres panes
 sibi commodari poposcit ab amico: qui
 tandem propter importunitatē, qua per-
 seueravit pulsans, accepisse dicitur quot-
 quot habuit necessarios. Id ipsum indicat
 & alia parabola, de Iudice non timente
 Deum, qui propter perseverantiam exau-
 diuit clamātem mulierculam. In vtraque
Luc. 18. nanque parabola, finis orationis manife-
 ste melior cernitur principio, quoniam
 finis impetratum refert, quod non valuit
 principiū. Oratio verò illa qua apud homi-
 nes utimur vel ad docendū, vel ad persua-
 dendū aliquid, similiter finē habet princi-
 pio meliorē. Oratio nanque cōtinuo pro-
 cessu fit clarior, progrediendo ab vno ad
 alterū, & rem magis apertē explicat, ple-
 niūsq; describit. Et si de persuasionē agā-
 tur, continuo processu plus neruorū acqui-
 rit oratio: fitque ad persuadendū validior,
 quo longius progressa fuerit, sic vt tandē
 demonstret, euincat aut persuadeat finis,
 quod nō potuit principium. De sermone
 manifeste exponit Gregorius Neocesariē-
 sis: Sermo inquit, nō in principio, sed cū
 ad

ad calcem peruenerit, laudandus est.

Melior est patiens, arrogante.

Comparatio ista, impropria est. Quæ enim propriè adinuicem cõparantur, debent simul in eo conuenire in quo cõparantur. Vt cum dicimus humilitatem esse præstantiorè liberalitate, oportet vtrâque illarum primùm bonã esse, ac deinde, ab illa hãc excedi bonitate. Sic in proposito, quoniam arrogans bonus non est, iccirco non propriè in excessu bonitatis cõparatur illi patiens. Frequens autè est hic modus improprie cõparationis, in scripturis. *Compara-
tiones im-
proprie.*
Quemadmodùm in Psalmis dicitur: Bonũ *Psal. 117.*
est confidere in domino, quàm confidere in homine, aut cõfidere in principibus, cū nequaquam sit bonũ in homine cõfidere: *Hie. 17.*
eo quòd maledictus per prophetã Hieremiam asseratur, qui confidit in homine, & carnem ponit brachiũ suum. Significatur autem hac cõparatione, alterum esse præeligendum alteri, id est, hoc præ illo eligendum, alterũ verò refutandũ & nequaquam eligendũ: nõ dico minus eligendũ. Ad hunc modum patiens arrogante est melior: quoniam patiens bonus est & laudandus, arrogans malus est & vituperandus. Esse autem patiẽtem & longanimem meliorem arrogante, vox domini apertè

Matt. II. insinuat, quae se sequentes ad longanimitatem hortatur atque ab arrogātia deterret, dicens: Tollite iugum meū super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde. Annectēnsque longanimitatis com-
Luc. 21. moda, subdit: inuenietis requiem animabus vestris. Quod iterū alibi confirmat, cum ait: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Et cūm beatos pronuntiat mites, dicens: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. De eo autem qui arrogans est, per contrarium mala omnia dici, nemo est qui non intelligit.
Matt. 5. *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.*

Ira quo- modo pro- hibetur. Iaco. 1. Non prohibet omnino non irasci, sed ne ad irascendum veloces simus, monet, hoc est, iuxta Olympiodori enarrationē ne malum concipiamus iracūdiæ habitū, ita vt transeat in affectū cordis. Simili discretione etiam Iacobus Apostolus ait: Sit autem omnis homo velox ad audiēdum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Sit (inquit) homo tardus ad iram. Non enim simpliciter est malum, irasci. Est enim ira quædam bona utilis & necessaria, quam secundum rationem vel assumimus, vel admittimus. De qua etiā glorietur Psalmista coram Domino, dicens:
 Nonne

Nónne qui oderunt te Domine oderam, *Psal. 138.*
 & super inimicos tuos tabescebam? Perfe-
 cto odio oderam illos, inimici facti sunt
 mihi. Et alibi: Tabescere me fecit zelus *Psal. 118.*
 meus, quia obliti sunt verba tua inimici
 mei. *Quin* & Dominū saluatorē nostrum,
 illud omnis perfectionis exemplar, iram
 non respuisse legimus. Scribit enim de eo
 Marcus, quòd in ira aspexit blasphemato-
 res diuinæ gratiæ, Scribas atq; Pharisæos, *Mar. 3.*
 contristatus super cæcitate cordis eorum,
 propter quod, etiã durissima nōnunquã
 illos increpatione percussit. Paulus quo-
 que Apostolus de ira loquēs, illud *Psalmi* *Ephe. 4.*
 adducit: Irascimini, & nolite peccare, ad-
 iungens deinde: Sol nō occidat super ira-
 cundiã vestrã. *Que* non iram omnino pro-
 hibent: sed in ea modū & terminū requi-
 runt, vt sit secundū rationē ira moderata
 & ordinata. Episcopū quoque describens,
 vult illum non esse iracundū. Non vult, *Tit. 1.*
 vt nunquã irascatur, sed ne iracundus sit,
 præcipit, id est, non pronus ad iram, cuius-
 modi sunt illi qui propriæ vindictæ appe-
 titu irascuntur. Hi enim ad irascendū sunt
 faciles, mox vt aliquid aduersum ipsos di-
 ctum factūve fuerit, quod ipsis displi-
 ceat. Qui autem secundū Deū irascuntur,
 nō ex desiderio propriæ vindictæ, sed pro-

pter offensam Dei aut causam iustitiæ, hi
 prius secundū rationem rem cōsiderant,
 quàm iram admittant. Ex ratione nāque
 considerante & perpendente eius rei pro
 qua irascuntur malitiam, ira ista nascitur
Ira mala nō ex prauitate carnis. Ira autē ista quam
stultorum dicit in sinu stulti requiescere, ira procul-
est. dubio mala est quæ ab impatientia & su-
 perbia nascitur, estque appetitus propriæ
 vindictæ, quam simplici verbo dominus
Matt. 5. damnauit dicens: Omnis qui irascitur fra-
Iaco. 1. tri suo, reus erit iudicio: De hac quoque
Matt. 5. Iacobus ait. Ira viri, iustitiam Dei non ope-
 ratur, id est ira cum consummata fuerit,
 abstrahit hominem ab eo agendo quod
 postulat iustitia Dei, illud autem suadet
 quod est iustitiæ contrarium, videlicet, vt
Rom. 12. contra præceptū dominicū & Apostolicū,
 malum reddat pro malo, aut subinde etiā
 malum pro bono. Nam qui ad iram est
 facilis, frequenter inde conturbatur & ad
 proximo malefaciēdum prouocatur, vnde
 ad benefaciēdum inuitari debuerat: quo-
 niam peruerso iudicio beneficium repu-
 tat maleficium. Rectē autē ira ista mala
 in sinu stulti dicitur requiescere, quoniam
 per consensum & acceptationem ipsam
 fouet ac nutrit, dum illi parere curat & fa-
 tisfacere. Sapiens verò, si quando ira se-
 cundum

cundum genus suum mala subito pulsetur aut tentetur, quantotius eam excutit de corde suo, nolens locum dare diabolo: *Ephe. 4.* qui per iram conatur occupare cor hominis, sciens quod peruertat talis ira iudiciū, quemadmodum breui versiculo pulchrè Sapiens quidam attestatur dicens: Impedit ira animum, ne possit cernere verum. Insuper & charitati aduersatur, quæ (secundum Apostolum) non indignatur, neque irritatur, sicque in sapiente ira requiei locum non inuenit, nec fouetur in sinu eius.

Nedicas, quid putas cause est, quod priora tempora meliora fuere, quam nunc sunt? Stulta enim est huiusmodi interrogatio.

Poteit id variè exponi. Primò quidem, *Varia intelligētia.* aduersus eos qui sua tempora solent accusare & detestari, sic quasi præterita secula omni malitia caruerint. Huiusmodi enim sunt plerique, qui quicquid in pristinis temporibus dictū actūve est, magnifaciunt, omnia autem quæ sui sunt temporis nihili faciunt. Et frequenter quidē in sua tempora debacchantur, & queruntur se in tali seculo natos: felices autem prædicant eos qui præcesserunt in seculis (vt ipsi dicunt) melioribus. Olim (inquiunt) licebat Deo seruire: quādo charitas abūdabat, quando hæc & illa agebantur. Nūc tam plenus est

malitia mundus, vt Deo vel nō vel vix liceat feruire. Quasi verò non omnia tempora bona sint bonis, & mala malis: quasi nos tempora possint bonos aut malos facere, quasi vllum vnquam possit esse seculum in quo non liceat bene agere. Huiusmodi nanque querimonia, non raro ab incōsideratione & insipientia quadā procedit, quoniā videlicet cōsideras mala tui seculi, nec ad eiusdē bona & cōmoda attendis, ex altera autē parte, tantū bona attendis priorū temporū, & ad mala non respicis: sicque dum mala tui tēporis confers cum bonis præteritorū temporū, tam iniqua cōparatione illud damnas, ista collaudas. An verò non insipiens & vana est ista collatio? Qui enim prudenter conferre vo-

Clamat luerit, necesse est perpendat etiā mala præ-
quisq; in teritorum temporū, quæ si diligenter ex-
sua maxi pendantur, forsitan non minor, imò ma-
mè tempo ior inuenietur causa de illis cōquerendi,
ra. quàm de præsentibus. Non possumus nos
 adeò cōqueri de nostris temporibus, quin
 æquè olim qui ante nos fuerunt sua secula
 deplorauerint. Nos clamamus, dies malos
 esse, pessima tempora. Audi quid olim
 clamauerit dilectus ille domini discipulus,
 quanquàm præ lenitatis dulcedine
 non admodum frequenter exclamare so-
 litus.

litus. Clamat tamen, & dicit: Totus mundus in maligno est positus. Et iterum: Nolite diligere mundū, quoniā omne quod est in mundo, aut est cōcupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorū, aut superbia vitæ. Et rursus: Antichristus iam venit, & antichristi multi sunt: Nolite omni spiritui credere, &c. Audi quoque Paulum, clamantem: Videte fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimētes tempus, quoniā dies mali sunt. Et alibi: Videte canes, videte concisionem, videte operarios malos. Clamat Iacobus: Agite diuites, plorate vlulātes, & cætera quæ deinde prolixè profequitur. Clamat Petrus, clamat Iudas. Imò longè ante hos quomodo clamat Moyses, in illa prima tempora ante diluuiū dicens, omnē carnē corrupisse viam suā, ac deinde multò acerbius in homines sui tēporis, imò in populum electū Domini, cū ait: Generatio praua & peruersa, popule stulte, & insipiens, & alia huiusmodi. Clamat post hūc Esaias: Audite verbū domini principes Sodomorū, populus Gomoræ. A vertice capitis vsque ad plantam pedis non est in eo sanitas. Clamat Hieremias: A minimo vsque ad maximū omnes avaritię student. & alia huiusmodi multa.

1. Ioan. 5.

1. Ioan. 2.

1. Ioan. 2.

Ephē. 5.

Phili. 3.

Iaco. 5.

Gene. 6.

Deu. 32.

Esa. 1.

Hiere. 8.

Psal. 115. Clamabat Psalmista: Omnis homo mendax. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonū, non est vsque ad vnū. Clamant itē in sua tempora

Psal. 13. Prophetæ omnes, ita vt quasi contendere videātur pro clamoris victoria. Denique etiam si ethnicorum scripta videamus, clamauit olim ille Cicero, O mores, ô tempora. Clamabat ille petulanti splene cachinno, O curas hominū, ô quantū in rebus inane est. quæ vox, secundū sententiā non adedò distat ab Ecclesiastis nostri themate: Vanitas vanitatū, & omnia vanitas. Ita & in cæteris manifestū est, vnū quenque suæ ætatis certatim deplorasse malitiam. Qui igitur sua tēpora sic incusant, quasi præterita omnia sancta & aurea fuerint, & suam sortem lugent, quòd in hæc tempora inciderint, profectò ex incipientia & inconsideratione conqueruntur, & sine causa sua incusant tēpora, aliena præ-

Non est quare tēpora non incusemus si boni esse velimus. dicant. Omnino enim vanū est quod sibi pollicentur, dicentes: Si illa ætate fuisssem ego natus quando hæc aut illa agebantur in mundo, quanta aut qualia tunc fecissem? Semper enim verbum Domini impletum est, & impleri oportet: Necessè est, vt veniant scandala. Non est quod

Matt. 18. quisquam sua tempora deploret. Si ipse tu velis

velis, potes in tuis temporibus bene viue-
 re, etiā si tempora videātur pessima. Quod
 si uolis, etiā si in optima incideris tēpora,
 nihil illa tibi proderunt. Quid enim *Genes. 3.*
 proderat Adā, quod tēpora felicissima ha-
 buit, in quibus nec scādalum vllum vide-
 rat, cū primū delinqueret? Quid Cain *Gene. 4.*
 fratricidę profuerūt sua optima & penitus
 adhuc incorrupta tēpora? In nostra volū-
 tate sita sunt tēpora, vt bona fiant vel ma-
 da. Si bonus es, erūt tibi bona tempora. Si
 malus, mala. Te ipsum ergo accusa, si tem-
 pora mala sunt: quia tu ea facis mala, non
 ipsa ex se sunt mala, aut te faciūt malum.
 Tu benè viue, & agent tibi tempora gra-
 tiam, quoniā tu ea bona fecisti. Cōtrā ve-
 rō, si malè tu vixeris, habēt tempora vnde
 te incusent, quoniam tu ea mala esse feci-
 sti, quod ex se nō erāt. Atque hæc quidem
 videtur verisimilior & magis cōgrua esse
 præsentis loci intelligentia, quam etiam
 confirmant sacri interpretes, Hierony-
 mus, Olympiodorus, Gregorius atque Sa-
 ltonius. Possent nihilominus & aliter intel-
 ligi ad hūc modum: Noli quærere, quare
 tēpora quædā priora meliora fuerint tem-
 poribus tuis quasi eius rei difficile sit red-
 dere rationem. Videtur enim stulta esse
 hæc interrogatio, quoniām id inquit tã-
 quam

quam rem difficilem, ad quod facilis est responsio. Manifestū enim est, si quæ tempora aliis sint meliora, id non ex temporum ratione esse, sed ex virtute aut vitio eorum qui viuunt in ipsis.

Vtilior est sapientia cum diuitiis, & magis prodest videntibus solem. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. Hoc autem plus habet eruditio & sapiētia, quod vitam tribuit possessori suo.

Diuitie Diuitiæ solæ absque sapientia, parum
sole par- vtilēs sunt possessori suo. Iuxta quod in
uam ha- Prouerb. dicitur: Quid prodest stulto ha-
bent uti- bere diuitias, cum nō possit emere sapien-
litem. tiam? Immo multorum malorum diuitiæ
solæ occasionem præstant possessori suo.
Cum verò simul cum diuitiis adfuerit sa-
pientia, magnā vtilitatē potest ex eis ho-
mo consequi. Diuitiæ nāque hominē nec
bonum per se, nec malū faciūt, sunt tamen
materia virtutis, si quis eis rectē vtatur, vi-
delicet ad vsum propriū secundum frugali-
tatem, atq; ad proximorū cōmoditatem,
per liberalitatē & misericordiam. Quem
verum & vtilem diuitiarū vsum, homini
præstat sapientia. Ostēdit autē quomodo
in aliquo conueniant sapiētia & diuitiæ,
& in aliquo differāt Conueniētiā ostēdit,
cum dicit: Sicut protegit sapiētia, sic pro-
tegit

regit pecunia. Protegit enim sapiētia animam, pecunia corpus : custodit sapientia animā, & corpus ab iis quæ sunt verè noxia, id est, à peccatis: iuxta quod alibi scriptum est: Per sapientiam sanati sunt, quicunque placuerunt tibi domine ab initio. Et iterum: Sapientia hos qui se obseruāt, à doloribus liberauit. Et iterum alio in loco: Si intrauerit sapientia cor tuū, & scientia animæ tuæ placuerit, consilium custodiet te, & prudentia sanabit te, vt eruaris à via mala, &c. Pecunia verò, protegit ab indigentia rerū necessariarū. Siquidē pecuniæ (vt alibi dicitur) obediunt omnia, neque quicquā est tam pretiosum aut magnū in rebus omnib⁹ corporalibus, quod non pecunia possit comparari. In quo autem præstet sapientia, consequenter indicat, cum ait: Hoc autem plus habet eruditio & sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo. Sapientia nanq; in hoc excedit diuitias, quod diuitiæ non possint viuificare possessoris animam, quod illa potest. Est enim vera sapientia, vita animæ: sicut anima, vita est corporis: quemadmodum Apostolus ait: Prudentia siue sapientia spiritus, vita & pax. Et in Ecclesiastico scribitur: Sapientia filiis suis vitam inspirat, qui tenuerint illam, vitam hæreditabūt. Contra

*Sapient. 9.**Sapient. 10.**Prover. 2.**Eccle. 10.**Sapientia
pecunia
præstauitior.**Roma. 8.**Eccle. 4.*

trà verò, mortem incurere animam ex sapiētiæ defectu, testatur Baruch, de insipiētibus quibusdam, dicens: Et quia non habuerunt sapiētiā, perierūt propter suam insipientiam. Notandum verò quantū ad principium huius sententiæ, vbi dicitur: Vtilior est sapiētia cum diuitiis, & magis prodest videntibus solē, posse istud dupliciter accipi. Primò, vt significetur sapiētia cum diuitiis, vtilior esse, magisque prodesse videntibus solem (id est, hominibus super terrā viuētibz) quàm sola sapiētia. Quod ea consideratione videtur accipiēdum, quatenus diuitias habens cum sapiētia, materiam habet plurimis commōdādi, iuxta quod in Psalmo dicitur: Iocundus homo, qui miseretur & cōmodat: paulò post: Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculū seculi. Cui fauet, quod super Lucam diuus Ambrosius ait: Diuitiē sicut impedimenta sunt reprobis, ita bonis sunt adiumenta virtutis. Quamquam secundum aliam considerationem, simpliciter melius videatur sapiētia cum paupertate, ratiōe libertatis expeditæ ab omni impedimēto. Diuitiarum enim vtilis administratio, tamen habet suū meritum, multā tamē habet distractionem, qua impeditur à perfecto suo vsu spiritualis

tualis sapientia. Propter quod Christi philosophia eos quos ad perfectā voluit formare sapientiam, diuitias docuit abiicere, dicēs: Si vis perfectus esse, vnde, vēde omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni sequere me. Alter autē sensus, hic est: Vtior est sapientia cū diuitiis: & magis prodest hominibus, quā solæ diuitiæ sine sapientia. Qui sensus, licet non ita se prima facie offerat, magis tamē videtur esse conueniens sententiæ, & veritate certior.

Mat. 19.

Considera opera dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit.

Est hoc in operibus Dei dignū multa cōsideratione, quòd solus Deus cor hominis in manu sua habet, vt possit illud ad virtutē inflectere, suo motu interno. Nemo autē hominū, sine speciali Dei auxilio cor hominis potest immutare. Vnde fit, vt quē Deus despexerit aut à se abiecerit siue reprobauerit, nemo possit corrigere, sic vt Deo subtrahēte, aut nō infundēte homini suam gratiā, nemo illū possit ad rectitudinē adducere. Frustrā em̄ laborat conatus hominis, vbi nō cooperatur manus Dei, quæ debet in omni opere, potissimum eo quòd ad animæ salutem spectat, esse præcipua: quemadmodum Apostolus ait: Dei adiutores sumus. Ego plantaui, *1. Cor. 3.*

Nemo potest corrigere quē despexerit Deus.

Apol

Apollo rigauit, Deus autem incrementum
 dedit. Sed neque qui plātat est aliquid, ne-
 que qui rigat, sed qui incrementum dat
 Deus. Huius exemplū habemus de repro-
 bato Saule, quē (vt historia refert libri Re
 i. Reg. 15. gum) lugebat Samuel, nō poterat tamen
 corrigere illum tot suis lacrymis, tantus,
 tāmquā Deo acceptissim⁹ Propheta, quoniā
 despexerat illū Deus. Sic enim ad illum
 ait Dominus: Quare tu luges Saul, cū
 ego proiecerim illum à facie mea, ne re-
 gnet super Israel? Dicitur autē despiciere
 Deus hominem, non quòd animā bonam
 à se creatam cōtemnat. Vidit enim Deus
 Gene. 1. cuncta quæ fecerat, & erāt valde bona, sed
 quia reprobat hominem & abiicit, pro-
 pter peccata. Quemadmodum alibi dicitur:
 I. Pet. 5. Deus superbis resistere, quatenus il-
 Pastores lis suam gratiam subtrahit, sine qua ad sa-
 Deo sem lūtem nō possunt pertingere. Atque hinc
 per pri- discere debet, qui aliorum salutē inuigi-
 mas tri- lat & incumbit, vt semper plus Deo tri-
 buant in- buat, quā suæ vel diligentiaē vel indu-
 peccatorū striaē, præcipuūque fructum ex illius
 conuersio- operatione expectet, illūque studiosè &
 ue. sedulò roget, vt simul cooperari velit:
 neque præsumat quisquam suis labori-
 bus, aut solitudine, aut sermonis effica-
 cia, posse se corrigere eum quem despe-
 xerit

xerit Deus. Propter quod, Paulus apostolus, post multa in singulis suis epistolis tradita salutis monita & exhortationes validissimas, penè semper in oratione ad Deum finit sermonem, sciens nimirum quod nemo potest corrigere, quos ille despexerit.

In die bona frui bonis, & malam diem precauere. Sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus: ut non inueniat homo contra eum iustas querimonias.

Dies bona, tempus prosperitatis: dies mala, tempus aduersitatis intelligitur. Sic enim alibi dicitur, In die mala liberabit eum dominus, id est, in tempore aduersitatis, quando in afflictionibus aut periculis agit iustus, liberabitur à domino. Vult ergo secundum hunc sensum Ecclesiastes, instituere hominem, quomodo & in prosperis & in aduersis se gerere debeat, absque omni contra deum querimonia. Cum (inquit) concesserit tibi Deus tempora prospera & læta, ut absque tribulationibus & periculis viuas, frui & utere temporibus illis, & cum gratiarum actione suscipe tempora illa de manu domini, de cuius munere tibi venit, quicquid habes boni. Noli tamen quasi hereditatem existimare, istam in qua nunc es qualemcumque prosperitatem, sed tanquam donum Dei habere, quod ipse

Dies bona & dies mala, qd. Psal. 40.

cum voluerit auferre possit. Atq; ita malam diem præcaue, id est prospice in tempora aduersitatis: vt si tibi contingant, nõ subito cõturbetur quasi improuisus, quæ admodum solent cõturbari homines, cum nouum aliquid & inexpectatũ ex improuiso ipsis obuenerit. Oportet enim hominem iustum ad vtrunq; paratum esse, pro Dei volũtate, considerantem, quod vtrũq; tempus à Deo fit, qui ita disponit pro suo occulto consilio rerum vicissitudines, vt neq; semper lata sint homini, neque semper tristia tempora, sed interdum lata, interdum tristia, vt non possit homo iuste de Deo cõqueri. Quis autem sic in die bona bonis fruatur, vt tamen in diem malam præcaueat atque præuideat, ipse diei malæ aduentus probat. Qui enim adueniente aduersitatis tempore, patienter suscipiunt de manu Domini sine querimonia quod immittitur mali, hos constat sic prius fruitos esse bonis in die bona, vt etiam tunc mala præuiderent. Non enim sic ex improuiso superuenientibus malis statim ea susciperent cum patientia, si nõ prius in die bona præcauissent & præuidissent mala, quæ pro statu huius vitæ sibi videbant posse obueneri. Monstrauit sanctus Iob, in die bona sic se bonis vsum fuisse,

*Iustus in
vtranque
diem sit pa-
tens.*

Iob. 1.

fuiſſe, vt mala præcaueret, quando ſubito
 in die mala tot ac tantis malis ſimul adue-
 nientibus, in omnibus his (teſtimoniũ illi
 perhibente ſcriptura) non peccauit labijs
 ſuis, neq; ſtultũ quid cõtra Deum loquu-
 tus eſt. Vidit enim quòd ſicut hanc, ita & *Iob. 2.*
 illam fecit Dominus, vidit, quoniã & pro-
 ſperitas & aduerſitas à Deo ſunt, ac proin-
 de à Deo ſine querimonia eſſe ſuſcipiẽda
 vtraq; pro ipſius placito. Propter quod di-
 cebat: Si bonã de manu Domini ſuſcepi-
 mus, mala quare non ſuſtineamus? Domi-
 nus dedit, Dominus abſtulit: ſit nomẽ Do-
 mini benediẽtũ. Audi quoq; de Dauid, qui
 malã diem præcauens, dixerat: Ego in fla- *Pſal. 37.*
 gella paratus ſum, adueniente die mala,
 quã æquanimiter eã tulit, cum omni pa-
 tientia. Cũ enim in perſequentione Abſa-
 lon, malediceret ei improbus ille Semei, *2. Reg. 16*
 volentibus vindicare opprobriũ, reſpõdit,
 dicẽs: Dimitte eũ, vt maledicat: Dominus
 enim præcepit ei, vt malediceret Dauid. Et
 quis eſt qui audeat dicere, quare ſic fece-
 rit? nonne hĩc manifeſtẽ agnoſcit Dauid,
 quòd ſicut hãc, ita & illã fecit Dominus?
 Quid enim eſt aliud, Dominus præcepit
 ei vt malediceret Dauid? Præcauere autẽ
 diẽ malam, noli intelligere, cũ ſolicitudi-
 ne multò antè ſolicitum eſſe pro veteris *Præcaue-*

re diē ma- tēporibus, ne in eis quicquā aduersi pos-
lam qu- sit contingere, & ne quid eueniat aduersi,
modo de- multa cum solitudine lōgē antē prospici-
beamus. cere. Sic enim præcauere, hominum est se-
 cularium, & minus deo fidētium: qui nos

Mat. 6.

uoluit non esse in crastinum sollicitos, eo
 quòd sufficiat diei cuique sua malitia, &
 crastino diei vult suam relinqui sollicitu-
 dinem. Quomodo etiam beatus Petrus

1. Pet. 5.

monet, omnem solitudinem in eū proii-
 cere, scientes, quoniam ipsi cura est de no-
 bis. Item & Psalmista curam nostram vult

Psal. 54.

nos super dominum proiicere, vt ipse nos
 enutriet, & nostra curet. Non ergo sic
 istud præcauere intellige, quomodo secu-
 li homines id accipiunt, qui totam solici-
 tudinem apponunt tempore prosperita-
 tis, vt effugiant, nec vnquam incidant in
 aduersa, sed præcautio ista intelligitur
 præmunitio per patientiam, vt scilicet qui
 in prosperis est, etiam priusquam aduersa
 adueniant, præsciat & consideret, quid sibi
 euenire possit, paratūmq; se offerat deo,
 ad omnia quæcunque ipsius bonæ volun-
 tati de se placuerit disponere. Sic sapien-
 tissimus Paulus ad omnia se parans, aie-
 bat: Scio quia in nullo confundar, sed in
 omni fiducia, sicut semper, ita & nūc glo-
 rificabitur Christus in corpore meo, siue

Phil. 1.

per

per vitam, siue per mortem. Mihi enim uere Christus est, & mori lucrū. Et iterū: Ego didici, in quibus sum, sufficiens esse. *Ibidem.* Scio & humiliari, scio & abundare. Vbi- que & in omnibus institutus sum, & satia- ri, & esurire, & abundare, & penuriam pa- ri. Omnia possum, in eo qui me cōfortat. Potest verò & aliter præfens locus intelli- gi, per diem bonam accipiendo tempus vitæ præsentis, quod est tempus accepta- bile, in quo bonum operari potest homo, & bona æterna sibi apud deum promere- ri. Quemadmodum de hoc tempore san- ctus Apost. ait: Ecce nunc tempus accepta- *2. Cor. 6.* hile, ecce nunc dies salutis. Per diē autem malam accipiendo diem iudicij: quæ apud Prophetam, dies iræ, dies miseræ & hor- *Soph. 1.* roris appellatur. Vel tempus ipsum post hanc vitam, quod dominus in euangelio nocti comparat, in qua non licet operari *Ioan. 9.* bonum. Erit itaq; hic sensus: in tempore præsentis vitæ operare bona, da temet- ipsum rebus & actionibus bonis. Iuxta quod ait Aposto. Dum tempus habemus, *Gala. 6.* operemur bonum. Præcaue autem tibi & prospice in diem malam, ne videlicet dies illa tibi sit mala, ne sententiam malam in die illo cum reprobis accipias, qui tempus vitæ præcedentis non studuerūt in bonum

expendere. Sicut enim deus constituit hominibus tēpus præsēntis vitæ ad operandum in eo: & promerendū bona præmia, sic diem iudicij constituit, vt in eo reddat vnicuiq; secūdum opera sua, bonis bona, malis mala. Propter quod, non potest homo contra deū inuenire iustas querimonias, sed de seipso cōqueri debet, si in diē malā inciderit. Poterat enim diem illam malam præcauere, si in die bona non neglexisset bona.

Hæc quoq; vidi in diebus vanitatis mee, Iustus perit in iustitia sua, & impius multo viuit tempore, in malitia sua.

Dies vanitatis appellat tēpus vitæ præsēntis, vel propter instabilitatē & cōtinuū transitū, eo q̄ velut vmbra fugiat, vt suprā diximus: vel quòd plerunq; in vanitatibus & peccatis illud expēdant homines. In die bus ergo vanitatis suæ se afferit vidisse, q̄ subiinde iustus & timens deū non multo

Nonnun- viuit tēpore, sed aufertur cito de medio:
quā impij impij verò multo tēpore viuunt, & vitam
vitam hic prolongant in iniustitia sua. Id enim fre-
ducūt lon- quenter sic euenire videmus, tametsi non
giorē p̄js. semper. Plerosq; enim ante tempus perdit
Exo. 14. sua peruersitas, quēadmodū Pharaonem
Dani. 5. domino aduersantē, Balthasarē sacra pro-
2. Ma. 9. phanantē, Antiochū legem dei conculcan-
 tem,

tem, Herodem dei voces sibi rapientem, *Act. 12.*
 & alios cōplures. Neq; enim ignotū est,
 quā multi, tū ex primis, tum ex infimis
 populi, per iniustitias & impietates suas
 pereāt, quidā quidē propter ambitionem,
 alij propter auaritiā, alij propter infideli-
 tatem, alij gula, alij luxuria. Frequēter ta-
 men ecōtrario videmus acciderē, vt boni
 cito moriātur: impij in longū vitam pro-
 longent. Vide (exēpli gratia) iustū Abel, *Gene. 4.*
 & Cain fratrē, aut, si mauis, fratricidā. Il-
 le, licet posterius genitus, & minor atate,
 perijt in innocētia sua, immō ob innocen-
 tiam suā. Hic verō primogenitus & ma-
 ior atate, in longū produxit vitā, in iusti-
 tia sua. Vide iustū Enoch, cui perhibet te- *Heb. 11.*
 stimoniū scriptura, q̄ iustus fuerit, & cum
 deo ambulauerit. Quis hominū sui tem-
 poris, tā breue habuit vitæ spatiū? Omnes *Gene. 5.*
 enim dies vitæ eius fuerūt 365. anni, cum
 pater eius Iaret vixerit annis 962. filius
 autem Mathusale 969. annis. Ex regibus
 quoque Israel, cōsideremus illum malitia
 insignem Manassen, qui & Amorrhæos o-
 mnes qui ante ipsum terram inhabitaue-
 rant, & reges patres suos malos, qui ipsum
 antecesserant, vicit abominationibus suis,
 qui præter alia omnia mala, etiā innoxiiū
 effudisse sanguinē scribitur, donec imple-

- ret Hierusalem vsque ad os. Hic tamen
 4. *Re. 21.* quinquagintaquinque annis regnavit in
 Hierusalem, quanto tempore nemo ante
 ipsum regnū obtinuerat, ne ipse quidē. Sa-
 lomō aut David: quorū vterq; quadragin-
 ta tantū annis regnavit. Huius autē peñsi-
 mi Manassis pater piissimus Ezechias, cu-
 ius tantā sacræ historiæ pietatem descri-
 bunt, non nisi annis 29. regnavit: quorum
 etiam partē plusquā dimidiā, nēpe annos
 quindecim, fletu magno vltra terminū à
 4. *R. 20.* Propheta denuntiātū superaddi sibi obti-
 nuit. Nepos quoque Manassis, Iosias no-
 mine, cuius tam insignis fuit religio, & ze-
 lus tā ardēs erga cultū domini, annis tan-
 tūm regnavit triginta & vno: cū tamē ad-
 4. *R. 22.* modum maturē cœpisset regnare, nempe
 ætatis suæ anno octavo, sicq; totum vitæ
 ipsius tēpus fuerint anni tantū nouem &
 triginta. Sed quid opus per plura discurre-
 re scripturarum exēpla, quum ante oculos
 quotidie cernamus similia? Cuius rei cau-
 sam sacræ nobis literæ, quātum ad vtrāq;
 partē, satis assignāt apertā. Nam quātum
Sap. 4. ad maturā mortem bonorū, pulch: è id te-
Quare statur liber qui Sapiētia dicitur: his verbis
boni sub- ad maturā mortem bonorū, pulch: è id te-
inde pra- statur liber qui Sapiētia dicitur: his verbis
matura notatu dignissimis: Iustus si morte præoc-
morte oc- cupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus
cumbant. enim venerabilis est, non diuturna, neq;
 anno

annorum numero cōputata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Placēs deo factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne ficto deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & incōstātia cōcupiscentiæ trāuertit sensum sine malitia. Consummatus in breui, expleuit tempora multa. Placita enim erat deo anima illius. Propter hoc properauit educere illū de medio iniquitātū. Populi autē vidētes & nō intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia, quoniam gratia dei & misericordia in sanctos eius, & respectus in electos illius. Condēnat autē iustus mortuus viuos impios, & iuuetus celerius cōsummata longā vitam iniusti. Videbūt enim finē sapientis, & nō intelligēt, quid cogitauerit de illo deus, & quare minuerit illum dominus. Hactenus perdurant sapiētiæ verba, notatu utiq; & attētionē dignissima. Quæ nos in oratione quadā funebri, de præmatura morte bonorū intitulata, ante annos aliquot ædita, plenē & particularim explicauimus. *Quare deus malos diu patitur viuere.* Quantū verò ad malos, quare illos deus multo tēpore toleret, duplex ratio est. Vel ut dei bonitate & longanimitate

inuitetur ad pœnitentiã, & si quãdo resipiscant, vel tandẽ recipiãtur in gratiã. Vel si pœnitere omnino nolint, clarificetur in eistãtò amplius diuina potẽtia, eiũsq; iustitiã seueritas, quãtò lãgiori fuerant potentia tolerari. Prius illud indicat Esaias,

Esa. 30. cum ait: Stat dominus expectans, vt misereatur vestri. Et Paulus apostolus, huiusmodi hominẽ alloquẽs, ait: An diuitias bonitatis eius & paciẽtiã & longanimitatis contẽnis? Ignoras, quoniã benignitas dei ad pœnitentiã te adducit? Quod autem sequitur, indicat quod posterius dictũ fuit, de dãnationis cumulo. Sic enim subiũgit: Secundũ autem duritiã tuã, & impœnitens cor, thesaurizas tibi irã, in die irã & reuelationis iusti iudiciij dei. Et alibi, Deũ ait volentẽ ostendere irã & notã facere potentiam suã, sustinere in multa paciẽtia vasa irã apta in interitum, vt ex parte altera ostenderet tanto clarius, oppositis sic iuxta se inuicem appositis, diuitias gloriã suã, in vasa misericordiã quã prãparauit in gloriã. Sed hec impresentiarum de his dicta sufficiant.

Ibidem.
Rom. 9.

Noli esse iustus multum, neque plus sapias quã necesse est, ne obstupescas.

Virtutes omnes positas esse in quodam
Virtutes mediterraneo, intra excessum ex parte vna,
& defe

& defectum ex parte altera, etiam Philo- *in medio*
 sophis moralibus non est incognitū: qui *consistere.*
 ob hoc virtutem docent esse difficilem, &
 paucos inueniri virtuti deditos, quod vir-
 tus consistat circa medium: vitium autem
 extrema obtineat. Medium autem tene-
 re, difficile est; sed ad extrema à medio
 aberratur facilius, maxime quod medium
 secundum rationem sit sumendum, extre-
 ma autē in excessu rationis. Sic itaque &
 iustitia vera in medio posita est, & aberra-
 ri ab ea contingit, vel per defectum, cum
 quis minus facit quàm exigit iustitia,
 vel non facit quod postulat iustitia. Vel
 per excessum, quādo quis iustitię pretextu
 plus facit, quàm æquitas & ratio dicitur. *Summum*
 Vnde est illud Comici verbum: Summum *ius, sum-*
 ius, summa iniuria. Huiusmodi autē excels *ma iniu-*
 sus iustitię, ad crudelitatem & feritatem *ria.*
 pertinet, & est plerunque hypocritarū: qui *Mat. 7.*
 etiam leuissima fratrum delicta seuerè diu-
 dicant (iuxta verbū domini) festucā vidē-
 tes in oculo fratris, cum trabē in proprio
 oculo non videant, culicem quoq; liquan-
 tes, cum glutire possint camelū. Multum
 iustos se ostenderunt Pharisei & Scribæ, *Mat. 15.*
 quando discipulos arguebant de non lo-
 tis ante prandium manibus, de spicis con-
 fricatis, quando etiā dominum arguūt, *Mat. 12.*
fab

- sabbato curasset hominē, quando murmurāt aduersus eū, quòd ad hominē peccatorem diuertisset, quòd cum Publicanis māducaret, quòd nō lotus esset ante prandiū, quòd mulierē peccatricem admitteret ad pedum vnctionem & oscula, aliāq; huiusmodi. Item quādo onera grauiā & impotabilia alligabāt in humeros hominum, quæ ipsi digito suo nollent mouere.
- Mat. 23.* Dominus autem quomodo nō multum iusti esse debeamus aduersum hos pluribus in
- Mat. 8.* locis nos erudit nominatim: cū ait: Euntes discite, quid est, misericordiā volo, & non sacrificium. Et iterū: Si sciretis, quid est, misericordiā volo, &c. nūquā cōdem
- Mat. 7.* nassetis innocētes. Item quādo docet non iudicādum, sed misericordes esse debere, quomodo pater cælestis est misericors. Postremò, quando nec mulierē in adulterio deprehensam noluit condemnare, imò de
- Ioan. 8.* accusantium & lapidare eā volentiū manibus, rationabili eam respōso eripuit. Paulus quoq; id ipsum pluribus in locis inculcat, qui etiā infirmis infirmus fieri nouit, & voluit, vt infirmos lucrificaret, imò omnib⁹ omnia, vt omnes lucrificaret. Verbo
- Rom. 15.* quoq; id ipsum doquit, cū scribēs Ro. ait: Debemus autē nos firmiores imbellicitates infirmorū sustinere, & non nobis ipsis
place

placere. Vnusquisq; vestrū, proximo suo
 placeat in bonū ad ædificationē. Etenim
 Christ⁹ nō sibi placuit, &c. Ac deinde: Pro- *Rom. 14.*
 pter quod suscipite inuicē, sicut Christus
 suscepit vos. Et iterū: Infirmū in fide susci- *Galat. 6.*
 pite, nō in disceptationibus cogitationū.
 Et alibi: Fratres, si præoccupatus fuerit ho-
 mo in aliquo delicto, vos q̄ spiritales estis,
 instruite huiusmodi in spiritu lenitatis: cō-
 siderans te ipsum, ne & tu tēteris. Rursum
 alio in loco apud Corinth. quā est solici-
 tus, ne per nimīā forte iustitiā, is qui pro-
 pter sui delicti punitiōē traditus fuerat
 Satanæ, pereat, cuius causa secundā ad Co *2. Cor. 2.*
 rint. scribit Epistolā: timēs ne ille qui per
 primā epistolā sæueritate iustitiæ exigē-
 te iussus fuerat Satanæ tradi, si nō maturē
 reciperetur in gratiā, absorberetur à Sata-
 na: sicq; per nimīā iustitiā periret, qui per
 moderatam saluari potuit. Propter quod,
 seueritatē prioris epistolę subsequēti mi-
 tigans, iubet in gratiā recipi eum qui pu-
 nitus fuerat, ne fortē absorberetur abun-
 danti tristitia. Próque hac re tam est soli-
 citus, vt etiam obsecret discipulos, confir-
 mare in illum charitatē, & donari illi ve-
 niam, qui peccauerat, & pœnitētiā ege-
 rat pœnāque tulerat. Quare autem tāta
 teneatur sollicitudine, manifestē ostendit,
 cū

Ibidem. cū ait: Vt nō circumueniamur à Satana.
 Non enim ignoramus cogitationes eius.
Nimia iu- Nouerat enim, quòd nimia iustitia prela-
stitia in torum, diabolo commodū sit retiaculum
praelatis perdēdi subditorum animas, quemadmo-
non osten dum econtrariò, cum misericordiæ beni-
ditur. gnitate cōiuncta iustitiæ seueritas, multū
efficax est remedium, non ad præseruan-
das modò, verū etiam ad reducēdas ab er-
rōre subditorum animas. Monet ergo sa-
piēs, ne multū iusti simus. Monet item,
Rom. 12. ne multū vclimus sapere amplius vide-
licet quàm necesse sit. Quod ipsum & Pau-
lus nos admonuit, dicēs: Dico autē per gra-
tiam Dei quæ data est mihi, omnibus qui
sunt inter vos, nō plus sapere quàm oport-
et sapere, sed sapere ad sobrietatē, & vni-
cuique sicut Deus dedit mensurā fidei. Sa-
pīit autē plus quàm necesse est, qui per su-
perbiam plus de seipsis sentiūt, quàm sint
in seipsis: atq; hinc maiora præsumūt inue-
stigare, & inquirere, quàm ipsorum inge-
niū & quod est in ipsis donum ferre va-
leant, qui non cum Apōstolo seipso intra
2. Cor. 10 se metiūt, sed cum gloriosis pseudapo-
stolis seipso superextendūt, vltra metam
suam. Adiūgit autem Sapiens periculum,
quod eis imminet. & in quod incidere so-
lent, qui volūt vltra mensurā sapere, dum
 ait

ait: Ne obstupescas, hoc est, ne stupidus
 fias, ne hebetetur tibi ingenium, & nō so- *Quid est*
 lum non proficiat ex superacanea sapien- *obstupe-*
 tia, verum etiam retundatur & obtusa fiat *scere.*
 acies mentis tuæ. Quemadmodum enim
 acies ferri retunditur, cum ad scindendum
 aliquid applicatur durius, quàm ipsius vis
 ferat, fitque ex hoc abusu ineptum, etiam
 ad ea scindenda quæ alioqui facile pote-
 rat, item quomodo oculorum acies in lu-
 cem improportionatam intenta, obtundi-
 tur, fitque inepta ad videndum ea etiam
 quæ alioqui commodè vidisse poterat: sic
 & illis euenit qui nimium sapere volue-
 rint, ita eos hebetari, mēte & ingenio ob-
 tufos fieri, sic eos intra se obstupescere si-
 ue stupidos fieri, vt nec simplicia fidei my-
 steria (quæ etiam infimæ plebis fideles
 credunt) iam capere valeant, vt videatur
 illis cōtigisse quod alibi scribitur: Perscru- *Pro. 25.*
 tator maiestatis, opprimetur à gloria. Id
 quàm multis in Ecclesia cōtigisse, fide di-
 gnæ produnt Ecclesiasticorum virorum
 historie: qui dum intellectum suum (iuxta
 Apostoli consilium) captiuare noluerunt
 in obsequium Christi, neque intra termi- *2. Co. 10.*
 nos mediocritatis à patribus constitutos
 continere ingeniū, turpiter prolapsi sunt
 in vanissimas hereses Quod hac nostra rē-

Gene. 3.
Primorū
partētum
stupor ex
esu pomi-
retiti.

Ezec. 18.

pestate, nō paucis neque omnino medio-
 cribus ingeniis videmus accidere. Posset
 quoque nō incommode huc adferri illud
 primorum parentū nostrorū flebile exem-
 plum, qui dum nimium sapere voluerunt,
 sumentes de ligno scientiæ boni & mali,
 ut fierent (iuxta serpētis verbum) sicut dij,
 scientes bonum & malum, ita obstupue-
 runt, ut ex statu magnæ claritatis atq; sciē-
 tiæ ceciderint in dēiissimas tenebras, quas
 vsque hodie in nobis patimur: ut hac sanè
 cōsideratione non iniuria nobis liceat di-
 cere, quod tamen per Prophetam dici ve-
 rat Dominus: Patres nostri comederunt
 vnam acerbam, & dētes filiorū obstupue-
 runt. Et forsitan ad similitudinem hāc stu-
 poris huius Sapiēs noster vult alludere cū
 ait: Ne obstupescas. Quemadmodū enim
 is qui pomū immaturū, aut acerbā adhuc
 vnam vult gustare, eiūsq; saporē accipe-
 re, atq; ita quodāmodo plus sapere quā
 necesse est, obstupescunt illi dentes, ut ne-
 queat sine dolore etiā aptos & maturos ci-
 bos māducare: sic qui ea gustare conatur
 quę sibi nō cōueniunt, tāquā vnam acerbā
 aut fructū immaturum mordere, & degu-
 stare tentans, obstupescunt dentes animæ
 eius, ut neque maturum cibū & quę neces-
 saria sunt, sine dolore percipere valeat.

Potest

Potest quoque ex Hebræo legi: Ne deua-
steris, Aut ne desoleris. Quod facile ad
prædictū sensum potest applicari. Pericu-
lū enim desolationis & deuastrationis est
illi q̄ sapere vult nimiū, ne videlicet quæ-
rēdo quæ nō sunt necessaria, perdat ea quæ
habebat & sunt necessaria, quæadmodū ca-
ni cōtigit Aesopico, q̄ ad maiorē aspirans *Canis*
vmbra quā apprehendere nequibat, carnē *Aesopi-*
perdidit quā tenebat dētibus. Quod enim *cus.*
nimiū avaris subinde videmus cōtingere,
vt superflua lucra immoderatē sectantes,
nō solūm lucra nō accipiāt, sed rerū etiam
suarū iacturā faciant, in insatiabilis auari-
tiæ pœnam, id huiusmodi multū sapere
volentibus, nonnunquam Dei iusto iudi-
cio solet euenire, vt ad superuacanea aspi-
rantes, etiam necessaria perdant.

*Ne impiè agas multū, & noli esse stultus,
ne moriaris in tempore non tuo.*

Vulgato & vero verbo dicitur: Huma- *Peccare*
num est peccare, diabolicū perseuerare, *humanū*
vix enim vita præsens sine peccato tranſi- *est.*
gitur nisi si quæ specialis dei gratia singu- *Gen. 8.*
lari priuilegio custodiat. Idcirco peccare *1. Ioan. 1.*
dicitur esse humanū, quia teste scriptura, *Perseuera*
sensus & cogitatio hominis prona sunt re in pec-
ad malum, ab adolescētia sua. Vnde fit, vt *cato dia-*
(iuxta Ioānis verbū) si quis dixerit pecca- *bolicū est*

tum se nō habere, seipsum seducat, & mendax sit. At verò, in peccato perseuerare, nō humanū est, sed diabolicū. Diabolus nāq; in malo est obstinatus, & sic à Deo reprobatus, vt à malo resurgere, atque ad statū reſtitutionis reparari non possit. Nō sic autem homo peccator, donec in vita ista agit, à Deo reprobatus est, quin possit, si velit, per dei gratiā, à lapsu quantūlibet graui resurgere. Pœnitentiā enim habet, secundam post naufragiū tabulā, in qua possit submerſionis periculū euadere, quæ illis non cōceditur. Ob hoc, Ioānes Apostolus dicebat. Filioli, hæc scribo vobis, vt nō peccetis. Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christū, iustum, & ipse est propiciatio pro peccatis nostris, &c. Et iterum: Si cōfiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Hoc autē est, quod præſenti verbo nos monet Ecclesiastes, ne impiè agamus multū, & ne stulti simus. Multū enim impiè agit & stultus est, qui peccata peccatis accumulatur, nec curat resurgere, tanquā nō aduertens in quo se deat iaceatve periculo: quemadmodum omniū iudicio stultus iudicaretur, qui corpore in turpe lutū collapsus, non se quantotius

totius studeret erigere, atque à sordibus
 abluere. Hoc. scilicet, quod blanda admoni-
 tione sapiens alius clarius docet: Fili (in-
 quiés) peccasti, nō adicias iterū, sed & de
 pristinis deprecare, vt tibi dimittatur. Hoc
 est: Si cōtigerit te impiē egisse, noli tamē
 multū impiē agere, vt adicias iterū pecca-
 re, & noli stultus esse, vt sine dolore quie-
 scas in fœditate, sed sapiēs esto, vt de pri-
 stinis deprecādo veniā impetres. Quid est
 autē quod additur: Ne moriaris in tēpore
 non tuo? An est aliquis, qui moritur non
 in tepore suo? Si enim, secundū sententiā
 beati Iob, cōstituit Deus vniciq; homini
 terminum, quem præterire nō potest, & si
 numerus mensū vitæ vnus cuiusque apud
 ipsū est, quomodo ergo potest homo
 mori non in tempore suo? Potest autem
 huic quæstioni triplici responsione satis-
 fieri. Primū quidem, dicendo, impios &
 in peccatis perseuerantes absque timore
 dei, mori in tēpore nō suo, quia moriun-
 tur antequam maturi sint ad mortem, id
 est, antequam ad mortē rectē sint disposi-
 ti. Quem sensum Olympiodorus manife-
 stē in libro ad dicēs: Importuno tempore ac
 non suo deedit è vita, qui consummatus
 non fuerit in virtutibus. Qui verō est vir-
 tutū plēnitudinē consequutus, sicut granū

Eccle. 21.

Iob 14.

Tribus
 modis di-
 citur ho-
 mo mori
 non in tē-
 pore suo.

Olymp.

frumenti quod maturum est, cadit in tempore suo. Hæc Olympiodorus. Quemadmodum enim vva adhuc acerba & nondum bene decocta, decerpi dicitur aut abscindi tempore non suo, eo quod nondum maturitatem habeat congruam: sic hominem illum, qui necdum virtutibus est consummatus, neque ad mortem rectè paratus, dicimus mori in tempore non suo. Imo & si bis mille annis quispiam vixerit, si adhuc in viciis illum mors inuenit, dicemus illum mortuū non in tēpore suo. Quemadmodū econtrario, si quis modico admodum tempore vixerit, sit autē ritè ad mortem dispositus, vt aptus sit fini ad quem à Deo creatus est, hūc nemo dubitabit mortuum dicere in tēpore suo. Vnde illud est quod suprà adduximus: Consummatus in breui, expleuit tempora multa. Et tanquā in senectā vberi huiusmodi cēsetur mortuus, quoniā ætas senectutis est vita immaculata. Cōtrā verò, eum qui plurimos annos in peccatis transfegerit, cum moritur, mori nō in tēpore suo, Esaias testatur, qui puerum appellat eiusmodi hominem: Et erit: Cētenarius ergo iste, puer morietur. Si verò puer morietur, igitur in nō suo tēpore. Ille autē, etiam si decem tantū annos

natus

natus, cum moritur, senex moritur, ac proinde in suo tempore moritur. Aliter verò, istud in tempore non suo, intelligimus secundum præventionem & anticipationem termini naturalis, ad quæ homo, si rectè & ordinatè vixisset, potuisset pertinere. Est enim unicuique homini, imò unicuique viuenti, duplex vitæ periodus, duplexque durationis terminus: alter naturalis, alter diuinæ præscientiæ, de qua periodo duplici & duplici termino, plenè tractauimus lib. octauo de consideratione rerum naturalium cap. 19. 20. & 21. Frequenter autè contingit impios non pertinere ad illud terminum naturalis periodi, ad quæ usque secundum naturam peruenire poterat: sed diuina ultione, antequam eò pertingant, morte finiuntur, & subito abripiuntur de medio, cuiusmodi aliquot supra commemorauimus. In hunc sensum præsentem locum enarrat Hieronymus. Iterum in peccatis perseverantes, intelligi possunt mori in tempore non suo, quoniam prius illis mors aduenit, quam ipsi eam præstolati fuerat, aut quoniam inexpectata & malè grata aduenit, quoadocumque tandem aduenerit. Quomodo enim hospitem subito & ex impro-

*Duplex
vitæ perio-
dus, ac ter-
minus.*

*Tertia in-
telligètia.*

mus aduenire in tempore non suo, contra
 verò, eū qui expectatus & desideratus ad-
 uenit dicimus aduenire in suo tempore,
 quodocunque tandē venerit, siue mane,
 siue vespere, siue nocte media: sic mors iu-
 stis adueniet in tēpore suo, quodocunque
 tādē aduenerit, siue in ætate prima, siue
 in media, siue in nouissima, siue mane, si-
 ue vespere, siue in nocte media. Impiis ve-
 rò, quodocunque tandē aduenerit mors,
 adueniet illis in tēpore non suo. Secundū
 hanc cōsiderationem, illud quoque Psal-
 mi: Viri sanguinū non dimidiabunt dies
 suos, in cōmentariis libri Psalmorum nos
 explicasse meminimus. Iccirco enim viri
 sanguinū dicūtur nō dimidiare dies suos,
 etiamsi ad multā senectutē peruenerint,
 quia semper ipsi mortē quāsi longē absen-
 tem contēplantur, & longissimē eā abesse
 desiderant, semper cupientes viuere, & ita
 viuentes in sua malitia ac si viuendi nun-
 quā finē acciperent. Propter quod cū
 mors aduenerit: iudicant se nō nisi incepit
 se viuere, neque adhuc dimidiū absolue-
 runt dierum suorum, quos sibi præstite-
 rant, desiderauerant, & imaginati fuerāt.
 Quod ergo hīc dicitur: Ne moriaris in
 tempore non tuo, hunc habebit sensum:
 Noli peccata peccatis accumulare, sicque
 in pec

in peccatis perseuerare, ne te in eo statu mors inueniat, ne te in peccatis tuis dies mortis inexpectata deprahendat. Huic enim periculo manifestè se exponit, qui vel ad diem vnū, imò vel ad horulam, cū proposito in peccato aliquo permanet, vt non statim resurgat per pœnitentiam.

Bonum est te sustentare istum, sed & ab illo ne subtrahas manum tuam, quia qui timet Deum, nihil negligit.

Codices Latini qui vulgo habentur in manibus, hoc loco, iustum, habent. Quod deprauatè ita legi, potiùsque legendū esse istum quàm iustum, manifestè demonstrat originalis lectio Hebraica, imò & ipsa sermonis forma: quoniam adiungitur statim: sed & ab illo ne subtrahas manū tuā. Sic enim loqui solemus: Benefac isti, sic tamen vt illum non negligas. Quo loquendi modo etiā dominus vtitur, dicēs: Oportet hæc facere, & illa non omittere. Vult autē sermo propositus, id quod Paulus generali exhortatione nos monet, dicens: Dum tempus habemus, operemur bonū ad omnes, maximè autē ad domesticos fidei. Itē quod saluator noster ipse in Evangelio nos monet, patris celestis imitari exemplum, qui erga omnes est benignus & beneficus pluens super iustos & iniu-

*Mēdum
in codici-
bus vul-
gatis.*

*Mat. 23.
Omnibus
benefaciē
dum.*

*Gala. 6.
Matt. 5.*

stos, solem quoque suum oriri faciens super bonos & malos, vt sic & nos, quantum in nobis est, omnibus prodesse studeam⁹.

Quo prouocatus exemplo Paulus, non satis sibi putauit prodesse Gētibus, nisi etiā Iudæis, prout posset, proficeret, reputans se omnibus debitorem. Quemadmodum

Roma. I. Romanis scribit, dicens: Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum, ita quod in me, promptum est & vobis qui Romæ estis euangelizare. Propter

1. Cor. 9. quod & alibi dicit Corinthiis: Factus sum Iudæis tanquā Iudæus, vt Iudæos lucrifer: iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, vt eos qui sub lege erant lucrifacerem: iis qui sine lege erant, tanquā sine lege essem, vt lucrifacerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lucrifacerē. Omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Et

Gala. 2. cum iam ei creditum esset Euangelium præputij (vt apud Galatas testatur) id est, officium prædicandi Euangelium inter Gentes, non potuit tamen, præ charitatis abundantia, se continere, quin etiā de Iudæis curam aliquā gereret. Propter quod & apud Romanos loquitur, dicens: Vobis

Roma. II. enim dico, Gentibus, quādiu quidem ego sum Gentium apostolus, ministeriū meū hono

honorificabo, si quo modo ad æmulandū
 prouocē carnē meā. i. Iudæos qui sunt fra-
 tres mei secundū carnē, & saluos faciā ali-
 quos ex illis. Propter quod etiam, ad He-
 bræos Gentiū Apostolus epistolam scri-
 psit, & sententiarum pondere & materiæ
 dignitate sublimem. Quod autem hīc in
 spiritualibus ostendimus, id ipsum multo-
 magis in corporalibus pro nostra faculta-
 te debemus adimplere, videlicet, vt quā
 possumus plurimis beneficiamus. Expo-
 scit nāq; hoc charitatis latitudo, vt nō so-
 lū pauculos quosdā priuato affectu cōple-
 ctamur & afficiamus beneficiis, sed vt cha-
 ritatis latitudine cōplectamur omnes affe-
 ctu quidem desiderantes, quantū in nobis
 est, prodesse omnibus, cum Paulo agno-
 scentes nos debitores omniū, effectu autē
 laborantes cōmodare pro nostra faculta-
 te, vel multis, vel plurimis. Hinc etenim
 de viro iusto dicitur: Dispersit, dedit pau- *Psal. III.*
 peribus. Qui enim dispergit, proculdubio
 nō illi satis est sustentare istū, id est vnum
 aut alterū, sed quā potest plurimos. Nā
 beneficiæ hanc erga multos cōmuni-
 cationē, dispersionis vocabulum indicat. *Timor do*
 Est autē admodum notatu digna illa quæ *mini facit*
 adiungitur sentētia. Qui enim timet Deū, *nihil ne-*
 nihil negligit. Qua significatur, cum in *gligere.*

quo est charitas dei, debere ad omnes suam charitatem effundere omnemque amore complecti, ac pro viribus, opportunis afficere beneficiis. Quae sententia, plerisque nostrum merito debet terrorem incutere: qui ita sumus tepidi in negotio dei, ita nauseabundi ad charitatis opera, ut magnum putemus, si vel uni aut alteri modicum quid gratis impendamus obsequij aut commodi, siue corporalis siue spiritualis: statimque quasi egregie functi nostro officio, dicimus. Feci ego quod meum est, faciant tandem & ceteri. Longè aliud sonat verbum istud: Qui timet deum, nihil negligit, id est, non cessat, non quiescit ab omni bono quod prestare cuiquam poterit. Sic & infra in eandem sententiam dicitur:

- Eccle. 9.* Quodcumque inuenerit manus tua, instanter operare. Neque malè consonat, quod *Gala. 6.* Paulus nos admonet, dicens: Bonum autem facientes, non deficiamus. Tempore enim suo metemus non deficientes.

Sapientia confortauit sapientem, super decem principes ciuitatis.

Hunc locum veteres, Hieronymus, Olympiodorus atque Salonijs, mysticè exponunt, de potètia Christi super angelos. Nos autem iuxta literam nostro more eundem sic enarramus: Principes ciuitatis

tis

tis, sunt robusti & nobiles, qui in ciuitate
 constituti sunt ad eam defendendā & pro-
 pugnantā, ne expugnetur ab hostibus. Sic
 in homine, sapientia quasi custos est & de-
 fensio ciuitatis aut castri, quę est anima, ad
 eam propugnantā, ne ab hostibus expu-
 gnetur, ne videlicet peccato consentiat,
 sicque in subiectionē veniat carnis aut dia-
 boli. Verūm longē maior & præcellentior
 est illa fortitudo, quā sapientia donat ani-
 mę, quā decē, imō mille principes & po-
 tentes possint conferre ciuitati, ad quam
 tuendam in ea sunt positi. Nam isti tantū
 ciuitatem defendunt aduersum hostes vi-
 sibilis, carnem & sanguinē. Illa verò ad-
 uersus hostes inuisibiles defendit animā,
 aduersus tales vtrique hostes, de quibus di-
 cit Apostolus: Non est nobis colluctatio
 aduersus carnem & sanguinem, sed aduer-
 sus principes & potestates, mundi recto-
 res tenebrarum harum, aduersus spiritua-
 lia nequitie in cęlestibus. Denique, non
 possunt tam validē decem principes suam
 tueri ciuitatem, quā tuetur sapientia
 eam quam possederit animam. Nam ciui-
 ratem, quantumlibet fortiter & viriliter
 defendant illi qui in ea sunt potentes,
 contingit tamen oppugnantium supera-
 bundanti fortitudine & violentia deuin-
 ci,

Ephē. 6.

*Sapientia
 fortior
 quocūque
 corporali
 presidio.*

- ci, etiam permanētibus in ciuitate illis potētibus. Impossibile est autē, vt anima illa quacunque tandē vi, aut quocunq; impetu possit expugnari: quæ in se habuerit verā illam & cælestem sapientiam. Ea enim est de qua loquimur: siquidem altera illa sapientia carnis, quam Paulus ait esse mortem: aut animalis illa & terrena, quam Iacobus vocat diabolicā, nō solū non confortat animam cōtra hostes, verumetiam tradit illis vltro possidendā, illisque eandem seruat. Est enim inimica Deo, & legi Dei aduersa. Sapiētia autē illa cælestis, quæ
- Roma. 8.* (iuxta Paulū) vita est & pax: & iuxta verbum Iacobi, pudica est, pacifica, modesta,
- Iacob. 3.* suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis. Hęc (inquam) non patitur animam quam possederit ab hoste expugnari, nisi prius ipsa expellatur & abiiciatur per consensum voluntarium in peccatū. Cauet enim illa donec animā hominis possidet, vt (iuxta Pauli monita)
- Ephe. 4.* non detur locus diabolo. Facit, vt (secundum Petri exhortationem) resistatur diabolo, sicque fugiat deuictus, qui aduenerat, vt vinceret. Non solū autem animam defendit sapientia, verumetiam corpus tuetur, ne (iuxta apostolū Paulum) regnet peccatū in mortali nostro corpore,
- Roma. 6.* ne

ne vltra obediamus concupiscentiis eius.
 Deniq; , ipsa est illa Dei gratia, per quam
 infœlix ille homo qui præ pondere inha-
 bitâtis in carne peccati exclamabat, dicēs: *Roma.7.*
 Infœlix ego homo, quis me liberabit de
 corpore mortis huius? ab omni periculo
 potest liberari, sic vt nihil ei sit damnatio-
 nis: dum eius beneficio in carne, non secū-
 dum carnem, sed secundum spiritum am-
 bulat, quemadmodū & de militia sua ali-
 bi ait: In carne ambulantes, non secū-
 dum carnē militamus. Verè itaque dixit noster *2. Cor. 10.*
 Ecclesiastes, sapi etiā amplius cōfortare sa-
 pientē, quàm decē principes ciuitatis suā
 possint cōfortare ciuitatem. Vis autē & in
 exēplo videre, quomodo sapientē confor-
 tat sapientia? Audi loquentē illum virū se-
 cū- dum cor Dei, audi illum velut exultan-
 tem, immo gestientē, & quasi insultātem
 hostibus cum fiducia, Dominus (inquit) il-
 luminatio mea & salus mea (quod est, do-
 minus sapientem me fecit) quem timebo?
 Dominus protector vitæ meæ, à quo tre-
 pidabo? Dum appropiant super me nocen-
 tes, vt edant carnes meas. Qui tribulant
 me inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceci-
 derunt. Si consistant aduersum me castra,
 non timebit cor meum. Si exurgat aduer-
 sum me prælium, in hoc ego sperabo. Au-
 di &

Psal. 26.

di & alium in fortitudine & feruore cæ-
 lestis sapientiæ clamantem, atque dicen-
 tem: *Roma. 8.* Quis nos separabit à charitate Chri-
 sti? tribulatio? an angustia? an fames? an
Zbidem. nuditas? an periculum? an persecutio? an
 gladius? Ac deinde: Certus sum enim, quia
 neque mors, neque vita, neque angeli, ne-
 que principatus, neque virtutes, neque in-
 stantia, neque futura, neque fortitudo, ne-
 que altitudo, neque profundū, neque crea-
 tura alia poterit nos separare à charitate
 Dei. Talis videlicet est constantia, tam in-
 uicta & insuperabilis fortitudo, qua sa-
 pientem suum munit sapientia. Et quod
 est humani præsidij robur tam inexpu-
 gnabile, in quo sic audeat ciuitas vlla glo-
 riari, vt dicat: Certus sum, quia nulla crea-
 tura, ne angeli quidem, aut virtutes, aut
Esa. 37. principatus me possint expugnare? Quod
 si tam temeraria aliqua & iactabunda
 possit ciuitas inueniri, angelus ille Sen-
 nacherib, vanissimam eius iactantiam
 manifestè confutabit; qui vnus nocte vna,
 in castris illius occidit centum & octa-
 ginta quinque hominum milia, eosque
Exod. 12. in cinerem vsque resoluit. Item & ille
 Aegyptiorum visitator angelus: qui in
 nocte paschali transiens percussit omnia
 Aegyptiorum primogenita, à primoge-
 nito

nito Pharaonis, qui sedebat in solio eius, usque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere.

Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.

Iacobi vox est: In multis offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Ioannes dicit: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, mendaces sumus, & veritas in nobis non est. Sapiens ait: Septies in die cadit iustus. Clamat Dauid: Omnis homo mendax. Et alibi: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad vnum. Paulus confitetur, dicens: Omnes peccauerunt & egent gloria Dei. Et alibi: Conclufit Deus omnia sub peccato, vt omnium misereatur. Ipse quoque Christus Dominus filios patris cælestis docet patrem orare quotidie pro dimissione debitorum, quæ proculdubio peccando contrahuntur. Id ipsum hic Ecclesiastes quoque noster asserit, dicens, non esse hominem in terra sic iustum, qui sic semper bonum faciat, vt nunquam offendat in aliquo, qui non aliquando debeat dicere cum Dauid: Peccaui Domino, qui non subinde debeat cum eodem clamare, Miserere mei Deus, dele iniquitatem meam.

Iacob. 3.

1. Ioan. 1.

Prou. 24

Psal. 115.

Psal. 13.

Roma. 3.

Rom. 11.

Mat. 6.

Nemo nõ

aliquando

peccat.

2. Re. 12.

Amp

Psal. 50. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Quomodo autem ad præcedentia istud aptè connectatur, est difficultas. Videtur enim cum præcedenti debere coniungi, propter conjunctionē causalem, enim: sic vt hoc verbo, eius quod præcessit, reddatur ratio. Talem ergo accipe connexionem. Suprà dixerat sapientiam confortare sapientem super decem principes ciuitatis. Confortatio autem illa sapientiæ, aduersus peccatum debet intelligi secundum animam, quam confortationem à sapientia procedere indicat subsequēs ista particula: Non est enim, &c. Est enim hic sensus: Cū omnis homo ex se sit pronus ad malū omnī tempore, & ex se mendax omnino ac vanus, nihilque nisi peccator, debet profectò non ipsi hominis naturæ, sed dono alicui cælesti & supernaturali tribui, quòd sapientes videmus operari iustitiam, & quæ virtutis sunt sedulò perficere, etiam si in leuibus offensis subinde delinquant, per quæ non expugnatur nec deuincitur hominis animus, neque in subiectionem venit inimici. Hoc autem donum, cui ipsa sapiētis fortitudo in bono (quam

*Connexio
verborū
textus.*

ex se utiq; non habet, qui ex se nihil nisi peccator est) ascribitur, cælestis sapientia est. Verè igitur est dictum, sapientiam confortare sapientem, & cætera. Posset & alia accipi cõtinuatio sermonis, hoc modo: Sapientia plus fortitudinis præbet homini sapienti, quàm ipsi sapienti cõferre possint decem potètes qui sunt in ciuitate, id est, quàm quicumque magna potentia, aut potestate præditi præstare possint. Quia nõ est quisquam hominum super terram, etiã iustus, qui non frequenter peccet: propter quod imbecille esse debet omne humanum adiutoriũ & longè præstantius oportet esse diuinum, quod est per cælestem sapientiam. Vel sic: Quia omnis homo, etiã iustus, super terram ex se semper ad malũ pronus est, & ex se nihil nisi peccator, ideo sapientia quæ hominẽ confortat contra peccatum, amplius eũ confortat quàm decem principes, id est, quæcunque potentia terrena, quæ hominẽ non potest confortare, munire, aut securum reddere, nisi secundum corpus, id est, præseruare hominem à nocumento corporis.

Sed & cunctis sermonibus qui dicuntur ne accommodes cor tuum, ne fortè audias seruum tuum maledicentem tibi. Scit enim conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis.

Nota vigilanter qua hic per exempla lucide traduntur, & documentum potest in memoria.

Solent serui, qui verè serui sunt, id est affectu serui, metu, scilicet potius quàm amore subditi, in absentia dominorum frequenter eis detrahere, aut viliter de eis & contemptim loqui talia quæ nequaquam vellent audiri à dominis, aut ab eis resciri, quæque in præsentia dominorū aut eorum per quos ea timeret deferenda non auderent eloqui. Sic & discipuli seruales, de præceptore vilia loqui, eumque irridere, tum per gestum imitationem, tum per signamenta inconuenientium nominationem, libenter solent. Seruales item subditi, de suo rege, aut principe similia loqui inter sese consueuerunt. Extorquet namque huiusmodi, nescio quas vilipensiones, irrisiones, & detractiones, auersio quædam, quæ in seruis illis cum seruili timore est coniuncta. Quomodo enim ait Ioannes, timorem non esse in charitate, sed eam foras mittere timorem: sic & de timore seruili vicissim dicendum, quod non habeat in se perfectum amorem, sed odij non nihil habet adiunctum, quod tamen non tantum odium quàm auersio quædam dici debet. Semper enim timor seruilis aliquid habet auersionis ab eo qui sic timetur, ratione pœnæ, in quam intendunt oculos qui timent, etiam si non simpliciter odiant eum quem

1. Ioã. 4.

quem timent. Hæc quanquam seruorum sit mala conditio, grauiter tamen solet conturbare dominum, aut præceptorem, aut patremfamilias, quoties tale aliquid ad ipsum delatum fuerit. Aegrè namque dominus à seruis se irrideri patitur, aut vilipendi: egrè item præceptor à discipulis, sic & prælatus aut princeps, à subditis æquo animo id ferre non potest. Quod inde procedit, quoniam quantò is qui cõtumeliam infert aut vilipensionem, vilior æstimatur, tantò is qui ea afficitur, ægrius illam accipit & fert grauius. Vniquisque autem paruifacit sibi aliqua ratione subiectos, propter quod, tantò in eorum irrisione conturbatur grauius, quàm si ab aliquo vel maiori vel pari eam tulisset. Tantò quoque ægrius fert homo malum quod sibi infertur, quantò minus æquum est id facere eum qui facit: utpote cum is qui meritò benefacere debuit, econtrario malefacit. Cùm igitur æquum videatur, ut serui per omnia dominũ suũ obsequiis & beneficiis & omni honore afficiant, utpote cuius sunt & cuius vescuntur pane, à quo habent omne quod habent, filios quoq; parentibus, & discipulos præceptoribus iustum sit omnem honorẽ impendere, iuxta quod sapiens quidam ait:

Deo, parentibus, & magistris nō posse red-
 di æquiualens, non immerito grauius cō-
 turbantur domini, parētes, aut præcepto-
 res, cū à suis seruis, filiis, discipulis, aut
 quomodolibet subditis, se cōtemni aut vi-
 lipendi cōpererint. Aduersum hanc ergo
 cōturbationē, prudēti cōsilio nos præmu-
 nit Ecclesiastes: docēs, quomodo eā valemus
 effugere. Noli (inquit) accommoda-
 re aurem cunctis quæ dicuntur: noli aurē
 admouere aut curiosē perquirere, quæ &
 qualia de te loquantur in absentia serui,
 filij, discipuli, aut quomodolibet subditi,
 immo & si audire te nonnunquā contingat,
 auerte auditum, & dissimula, quasi nō
 audieris. Hoc pacto, magnam poteris ef-
 fugere inquietudinem, & conturbationē,
 quam incurrunt impatientes domini, qui
 curiosē explorant quid loquantur de se
 serui, quid subditi sentiant dicantve, vt sta-
 tim vbi verbum vnum contemptus aduer-
 sum se prolatum audierint, indignentur,
 obiurgent, puniant. Multò enim præstat,
 nos dissimulare multa, & non curiosē at-
 tendere illis etiam quæ referuntur ab aliis,
 quàm aliorum dicta vel per nos ipsos dili-
 genter explorare, vel à delatoribus liben-
 ter audire. Est enim id vilis & abiecti ani-
 mi, nec verbulum posse ferre serui aut di-
 scipuli

*Consilium
 bonū Ec-
 clesiastæ
 aduersus
 mētis tur-
 bationem.*

*Impatien-
 tis est ani-*

scipuli murmurātis, cū ipse à te non so- *mi nec ver-*
 lum dura præcepta, non solum diras mi- *bulū posse*
 nas, non solum dura conuicia, verum in- *sustinere*
 super & plagas & verbera subinde debeat *quod con-*
 sustinere. Addit quoque causam admodū *tra dictū*
 rationabilem, quæ nos meritò debet à *videatur.*
 tam effœminata impatientia prohibere.
 Scit (inquit) conscientia tua, quia & tu
 crebro maledixisti aliis. O verbum Chri-
 stiano pectore dignum! dignum profecto
 quod alta mente reponatur, & frequenti
 rememoratiōe semper nobis versetur ob
 oculos, quoties aduersus nos dictum fa-
 ctūmve aliquid in nostri contemptum in-
 dignamur. Dic mihi, rogo te, qui sic faci-
 lè conturbaris, quoties dictum factūmve
 aliquid audieris in tui contemptum aut
 vilipensionem aliquam, nunquāme me-
 ministi, te similia, immo illis etiam maio-
 ra & indigniora dixisse vel egisse aduer-
 sum alios? Fuiisti, opinor, aliquando tuipse
 seruus, aut filius, aut discipulus, aut subdi-
 tus. Tu igitur cū in eo esses statu, quo-
 ties obmurmurasti aduersus dominū? quo-
 ties illi graua iubenti imprecabaris ma-
 la? quoties irrisisti apud coæquales & con-
 discipulos præceptorē? quoties de eo cui
 eras subditus, apud tuos intra parietes lo-
 quutus es indigna? quāta subinde aduer-

sum illum cōfinxisti mendacia, cū te forte offendisset? qualia agebas atque dicebas in illius contemptum, quæ nequaquam rescire illum voluisses, neq; coram illo ausus fuisses vel dicere vel agere? Nūc verò (si superis placet) quasi horum omnium immemor tanquam oblitus quis olim ipse fueris, non potes neque verbum contemptus, neque vilipensionis vel minimæ indicium, sine graui indignatione perferre, ab iis qui tibi sunt subditi. Meminisse te oportebat verbi domini, quo dixit: Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. An minus bene fuit de te meritis tuus dominus, tuus pater, tuus præceptor, tuus prælatus, tuus princeps, quàm tu nunc merearis de tuis vel seruis, vel filiis, vel discipulis, vel subditis? Quare ergo non feres tuos maledicentes tibi, posteaquã tu prior maledixisti aliis? Vulgatum est Comici verbum: Si pergis dicere quæ vis, audies quæ non vis. Tu quæ voluisti, non quæ debuisti, dixisti de aliis, superest igitur vt & tu ab aliis audias, quæ non tu velis, sed quæ volunt illi, & qualia tu audire meruisti. Neque verò tantum considera quæ olim aduersus alios egeris, aut dixeris. Etiam modo te ipsum contemplare, quoties in verbo offendas (Si quis

Matt. 7.

*Verbum
Comici.*

Iaco. 3.

quis enim non offendit in verbo, hic perfectus est vir) quoties de aliis loquaris, etiam in quotidiano colloquio, ea quæ de te nequaquam dici velles: quoties bonam aliorum famam vel corrumpas, vel minuas: quoties dicas aliquid vel agas, in quo honori aliorum sine causa derogas. Inuenies profecto, vnde tibi pectus refrigeretur, ne statim ubi quispiam maledixerit, incalcescat iracundia. Doceberis indubie, non omnibus attendere quæ de te dicuntur ab aliis, imò & audita dissimulare nosces, & absq; commotione perferre hominum verbula. Quomodo enim (iuxta naturæ dictamen, & domini verbum) quæ tu tibi fieri velis, eadē ipse debes præstare aliis, & item: quæ tibi nolis fieri, aliis quoq; nō facere, sic & iustū est te ab aliis ferre, quæ à te ferunt alij. Nimis enim delicati foret animi, aduersum alios omni licentia dicere ac facere quæcunq; tibi libuerint, nihil tamen ab aliis aduersum te posse aut velle ferre eiusmodi. Quantò melius crudelis ille Adonibezech, cui cum præcisæ essent summitates manuum ac pedum, Diuinæ vindictæ agnoscēs ipse talionem, dixit: Septuaginta reges sub mensa mea, summitatibus manuum ac pedum amputatis, colligebant sub mensa mea ciborum

Mat. 7.

*Notandū
verbum
cordatum
crudelis
Adonibe-
zech.
Iudic. 1.*

reliquias. Sicut feci, sic reddit mihi dominus. Hic si in tanta miseria, homo Chanaeus aut Pharesæus, se consolatur, diuinæ æquitatis agnoscēs talionem, quomodo non magis homo Christianus, in re leuicula, id est, in volatili verbulo, eodem de fonte sibi consolationem inueniet, vt euadat conturbationem. Et tamen non raro videmus, eos qui in alios tam detrahendo quàm irridendo fuerunt sũntq; liberimi, lōgè magis impatienter esse & grauius cõturbari, vbi ab aliis tale quid passi fuerint, quàm eos qui de omnibus bene loqui & omnibus debitam reuerentiam præstare solēt. Qui si Sapientis nostri propositum verbum diligenter attenderint, fidelitèrq; recogitauerint, meritò ipsos sui pudere debet, iustúmq; est, vt vel pudore coacti, fœmineum illum deponant animum, virilémq; assumant.

Cuncta tentavi in sapientia. Dixi, sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me, multò magis quàm erat: & alta profunditas, quis inueniet eam?

Vanitas Ostendit hïc vanitatem esse etiam in
in inquisi inquisitione sapiētiae, eo q̄ non possit ho-
tione sa- mo omni conatu ad eius perfectionē per-
pientie. tingere, id quod in fine cap. sequentis ali-
Eccle. 8. quanto apertius indicat, dicens: Intellexi,
 quòd

quòd omniũ operum dei nullã possit homo inuenire rationem, eorũ quæ fiũt sub sole: & quantò plus laborauerit ad quærẽdum tantò minus inueniet. Etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire. Hinc & Paulus clamat, dicens: O altitudo diuitiarũ sapiẽtiæ & sciẽtiæ dei, quàm incõprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! In eãdem quoq; sententiam exclamat Dauid: Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & nõ potero ad eam. Et iterum: Confitebor tibi domine, quia terribiliter magnificatus es. mirabilia opera tua, & anima mea cognosceat nimis. Quod igitur hic dicit Ecclesia stes: Dixi, sapiens efficiar, & lõgius recessit à me, hoc est, quod posterius dicitur: Quantò plus laborauerit sapiens ad quærendum, tantò minus inueniet. Quod autẽ hic sequitur: Alta est profunditas, quis inueniet eam? Ipsum est quod clamãt Paulus & Dauid. Ceterum, quomodo cũcta in sapientia sua tentauerit sapiens noster, sacra docet historia, in qua hac de re ita legimus. Loquutus quoq; est Salomon tria milia parabolas & fuerunt carmina eius quinq; milia. Et disputauit super lignis, à Cedro quæ est in Libano: vsq; ad Hyssopum quæ egreditur de pariete: & disse-

*Rom. II.**Psal. 138.**Ibidem.**3. Re. 4*

Sapientia ruit de iumentis, & volucris, & reptilibus, & piscibus. Sed hoc forsitan mouere queritur, simpliciores poterit, quod dicit, sapientiã eo amplius quò magis quærebat, eò magis procul fugere videtur.

rùm id accipiendū est, secundum sapiētis æstimationē. Quantò enim quis amplius in sapientia scrutatur dei mirabilia, tantò videt sibi plus superesse, quod inquirat adhuc & inuestiget vltimas. Quantò autem quis sibi plura deesse videt, quæ ad cognitionē sapientiæ spectant, tantò se minus sapientē reputat. Cū enim id quod apprehendit, admodum modicum, & id quidem tenuiter cognitū, confert sapiēs cum iis quæ aduertit nondum sibi nota esse, sibi que adhuc cognoscenda restare, iudicat penè nihil esse quod nouit, comparatione eius quod ipsum latet. Atque hac comparatione meritò dicere potest sapiens, quò magis inquisierit sapientiam & pro eo laborauerit, eò magis illam à se elongari. Huius rei ad oculum videmus quotidianam experientiam. Cū quis professionem aliquam ingressus fuerit, & paululum quid in ea apprehendere cœperit, statim in se se inflatur & intumescit, tanquam si die crastino sit accepturus perfectionem vltimam eius professionis, tanquam

tanquam qui omnia iam teneat quæcunque illa tradit. At verò, vbi post longū exercitiū profundius omnia peruestigauerit, & in secretiora eius professionis penetrauit, incipiet seipsum ridere, qui prius tantam sibi scientiæ sapientiæque opinionem vanè induerat, tunc intelliget, quàm procul non solùm nuper abfuerit, verum etiam nunc absit, ab illa perfectione quam se adeptum existimauerat. Sic plerunque discipuli post prima accepta professionis initia, multò se sapiētiores iudicāt, quàm ipsi professores. Nimirum quia ignorant illi quæ sibi adhuc defunt, quòd isti probè norunt. Facit enim (quod mirabile est) sapientia insipientiæ existimationem: contra verò, insipientia, persuasione sapiētiae.

Nota ex perimetriū.

Lustravi vniuersa animo meo, vt scirem & considerarem & quærerem sapientiam & rationem, & vt cognoscerem impietatem stulti & errorem imprudentium. Et inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius: vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam, qui autem peccator est, capietur ab illa.

Non solùm perquisiuit, & inuestigauit diligenter Ecclesiastes de omnibus speculabilibus, ad cognoscendum videlicet rationes & naturas rerum, verū etiam quæ
ad

ad hominum vitam & mores spectant (vt in capite primo dictum fuit) exactissimè cōsiderauit. Id nūc indicat, cum ait, se omnia iustrasse animo suo, id est, ad singula quæ in rebus humanis in quocunq; tandem hominum statu, gerūtur, adhibuisse considerationē, idq; ob hoc, vt sciret & cognosceret diligenter inquirendo, tam sapientiā quàm errores hominū. Quod autē notabile & inter omnia præcipuū malum inuenerit, tādē subiuḡit, cum ait: Et in-

*Sententia
Ecclesia-
ste de mu-
liere bene
expenden-
da.*

ueni, amariorē morte mulierē, &c. Quod non de ipsa mulieris natura, neque ad bonæ naturæ eius vituperium accipiendum est: sed propter stultorū insipientiam, quorum plurimi mulieribus capiuntur, ita loquitur. Inueni (inquit) amariorē morte esse mulierem. Quid ita, bone Salomon? Quia (inquit) laqueus est venatorum, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius. Vnde id nosti? Scilicet expertus loquitur, experto credamus, nec vltra requiramus alium. Ita Salomō, egregiè tu expertus es mulieris amaritudinem, verè tibi sagena fuit cor eius, & vincula manus illius. Deceperunt enim te mulieres, & abduxerunt à Domino Deo tuo. Adamasti nanque (vti nobis sacra de te scriptura loquitur) vxores alienigenas multas, filiam quoq; Pharaonis

raonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Cethæas, de Gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel, Non ingrediemini ad illas, neque de illis ingrediétur ad vestras. His itaque tu es copulatus amore ardentissimo, fueruntque tibi vxores quasi reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ, & auerterunt mulieres cor tuum. Cúmque iam esses senex, deprauatú est cor tuum per mulieres, vt sequereris Deos alienos. Neque erat cor tuú perfectú cum Domino Deo tuo, sicut cor Dauid patris tui, sed colebas tu Astarthen deum Sidoniorum, & Chamos Deum Moabitarum, & Moloch idolum Ammonitarú, ædificasti que eis phana & templa. Atque ad eundem hunc modum fecisti vniuersis vxoribus tuis alienigenis, quæ adolebant thura & immolabát diis suis. Propter quæ omnia, iratus est aduersum te Dominus Deus tuus, suscitans tibi aduersarios: insuper & regnū tuú à te diuidere per Prophetas prænunciens propter peccatum tuum, vnam tantum tuo heredi tribú relicturus propter meritum Dauid patris tui, vt nō extingueretur lucerna eius, cum tua alioqui penitus commerita fuisset extingui, propter tua tam enormia scelera. Hæc omnia nobis de Salomo

ne loquitur sacra historia, in quibus manifestè cognoscimus, quàm ista de muliere loquatur expertus. Quomodo autem mulierem amaram dicit, quæ tota non aliud videtur esse quàm mulcebris quædam suauitas? Sic enim nobili titulo, mulier, dulce venenum solet appellari. Quomodo ergo amaram ipse eam dicit, nec simpliciter amaram, sed cum magnæ infamiz nota morte amariorem? Scilicet ita loquitur ad cor reuersus noster Ecclesiastes, quomodo ij qui post ebrietatem profundissimam, post somnum brutalem expergefacti, ad se redeunt. His enim, vt vini feces totum palatum & guttur totum miram amaritudine inficiunt, ita vt iam etiã aspectus vini illis nauseam atq; fastidium generet, quod pridie tanta auiditate sine modo ingurgitabant, iamq; non aliud clamant quàm aquam aquam, aut fontem fontem, quo videlicet illas reliquiarum amaritudines abluant, vino autem indignatur & maledicunt, sic & huic post tam immoderatum mulierum usum, siue potius abusum videtur euenisse, vt nihil æquè atq; mulieres execraretur, nihil detestaretur amplius. Videturque huic, quantum ad fœmineum sexum vniuersum, euenisse, quod Amō fratri suo, filio primogenito David erga Thamar

soror

*Mulier
morte a-
marior
quare di-
catur.*

*Nota
quid eue-
nerit Salo-
moni post
abusum
mulierum.*

sororem Absalō, speciosissimā. Hāc enim, 2. Re. 13.
 priusquā ea fuisset abusus, ita adama-
 bat, adeò deperibat, ut propter eius amorē
 ægrotaret & attenuaretur macie. Verūm
 postquā eā per dolū simul & vim oppres-
 sisset, præualēs virib⁹, quas illi furor amo-
 ris ministrabat, exosam eam habuit odio
 magno nimis, ita ut maius esset odium,
 quo tum eam odiebat, amore quo antè di-
 lexerat, ita ut eam quantotius à conspectu
 suo expelleret atque eiiceret, ministro-
 rum violentia. Quid hīc aliud agit Salo-
 mon, dum ita indignè eas execratur, quæ
 pauloante sibi fuerant summæ delitiæ?
 Prius illi melle dulciores fuerunt mulie-
 res ita ut satiari non posset earum nume-
 ro, ita ut non sufficerent illi vxores septin-
 gentæ & trecentæ concubinæ, quas illi
 tribuit historia, nisi insuper & adolescen-
 tulas haberet innumeras. Sic enim in Cā- 3. Reg. 11.
 tificis spiritus Domini sanctus insignem il-
 lam fœditatē ad castum mysterium tra- Canti. 6.
 hens, canit: Sexaginta sunt reginæ, octo-
 ginta concubinæ, & adolescentularū non
 est numerus. Nunc verò velut in vniuer-
 sum omnes execrant, nescit, quomodo
 etiam conceptis verbis, indignè satis de
 illis suis tam pulchris delitiis possit elo-
 qui. Omnium terribiliū terribilissimum,
 omnia

omniū amarorum amarissimū mors, non illi sufficiebat ad odiosissimā quā quærebat comparationem. Propterea excessum adiungens, dicit, mulierem esse non amarā sicut mortem, sed morte amariorem.

Canti. 8.

Vbi dilectionem commendare voluit super omnia, satis illi fuit dicere: Fortis est vt mors dilectio, ab excessu abstinuit. Nō enim ait: Fortior est morte dilectio. Hic verò, non contentus simplici cōparatione, præ nimio dolore excessum debuit adicere. Morte amariore, inquit, inueni mulierem. Deinde, quæ diuersis animalium generibus sunt maximè odiosa, simul ad mulieris detestationem coniūgit, appellans eam sagenā, laqueum, & vincula. Sagenā pisces capiuntur, laqueo aues, & aliæ præterque feræ bestię. Piscatores sagenā, venatores laqueo vtūtur. Vinculis autem tenentur quæ in captiuitatem venerunt, ne comprehendentium manus effugiant: sic quicquid ad odium grauare potest comparationem, ex omni genere dolens animus coaceruat, vt dolori suo satisfaciatur. Sed nūc particulatim videamus, quæ sint causæ huiusmodi comparationibus. Videamus, ne fortè vt solent ex passione homines irrationabilia proloqui, in eos maximè quos execrantur & mendacia

*Mulierē
dicit esse
sagenam,
laqueum,
& vincu-
la.*

cū aduersus eos confingere, ne sic & no-
 ster iste ecclesiastes inordinata passione a-
 gitatus tantū furere videatur, & mēdacia
 euomere in sexum innoxium. Non ita est,
 non loquitur aliena sapiens, rationabile
 esse debet, quod per eum diuinus eloqui-
 tur spiritus. Hoc igitur aduerte non sim-
 pliciter ista esse accipienda consideratio-
 ne ipsius in se sexus vel naturæ, sed com-
 paratione ad eos qui per mulierum procu-
 rationem vel etiam occasionem tantū, à
 Deo separantur, & in peccatum corruunt.
 Sic enim esse accipienda quæ dicit, mani-
 festè indicant quæ euestigio annectit, di-
 cens: Qui placet Deo, effugiet illam, qui
 autem peccator est, capietur ab illa. Pec-
 catoribus ergo & iis qui per foeminam
 labuntur, est ipsa morte amarior: quoniã
 mors non aufert homini nisi vitam cor-
 poralem & bona ista tēporalia: per illam
 autem, aufertur vita animæ, & bonis spi-
 ritualibus incomparabiliter melioribus
 quàm sint tēporalia ista, homo spoliatur,
 fitq; à Deo summo bono penitus alienus.
 Et quidē per mortē corporis, eximitur ho-
 mo à cunctis huius mundi miseriis. Per
 illam verò æternis cruciatibus destinatur,
 & tormentis addicitur nunquã finiendis.
 Meritò ergo peccatorib⁹, mulier amarior

esse dicitur morte. Dicitur quoq; iisdem esse venatoribus laqueus & piscatoria sagma, quoniã sicut per laqueos, venatores in suã potestatem captiuas trahunt bestias quas persequuntur, & piscatores item per suas sagenas, sic & diabolus per hũc sexũ, plurimorũ animas illaqueat, & ad se trahit in mortẽ. Vincula quoq; appellantur, manus mulieris: quoniã quos apprehenderit, multa violentia detinet: quẽadmodũ ij qui vinculis alligati sunt, non facillẽ ab

Duplici eis possunt liberari. Duabus autẽ rationibus, ista de mulieribus dicta accipiuntur. *ex causa* Vel per occasionẽ tantũ, quando præter *prædicta* mulieris intentionẽ aut sollicitationẽ vir *de mulie-* quispiã in eius amorẽ succeditur. Quem *ribus ma-* admodũ Bethsabee in horto se lauans, la- *la sunt di-* queus facta fuit Dauidi: & casta Susanna, *cta.* peruerſis illis senibus laqueus itẽ siue sa- *2. Reg. 11.* gena fuit. Sic Ammon illi quẽ supra dixi- *Dan. 13.* mus, speciosissima Thamar. Ita Sichem si *2. Re. 13.* *Gen. 34.* lio Emor, Dina filia Iacob, egressa vt vi- *Indi. 10.* deret mulieres regionis illius: Ita Sampſo- *ri* sua Dalila, atque ita in ceteris pluri- *mis.* Quamquã nõ est necesse, ex longin- *quo* huius rei exẽpla adferre, quã passim *videmus* etiã hodie corã oculis. Aliàs vẽ- *rò* ex intentione & sollicitatione laqueus *& sagma* fit viro mulier, quando hoc ex *inten*

intentione agit fœmineis artibus, vt virū
 in sui succendat amorē. Talis laqueus fue-
 re Israelitis mulieres Madianitidæ, quæ
 cōfiliō Balaã seipsas adornauerūt in dece- *Nu. 25.*
 ptionē illorū. Talis laqueus fuit superbo
 Holoferni nobilis illa suæ Gentis propu-
 gnatrix Iudith. Sic enim de illo canit ipsa *Iudi. 16.*
 victrix, in cātico victoriæ: Nō cecidit po-
 tens eorum à iuuenibus, neque filij Titan
 percusserunt eū, nec excelsi Gigātes impo-
 suerunt se illi: sed Iudith filia Merari, in
 specie faciei suæ dissoluit eū. Exiit enim *Vide exē-*
 se vestimento viduitatis, & induit se vesti- *pla aper-*
 mēto latitię: in exultatione filiorū Israel. *tissima de*
 Vnxit faciem suā vnguento, & colligauit *ceptiōis fœ-*
 cincinnos suos mitra, ad decipiendū illū. *minea.*
 Sandalia eius rapuerunt oculos eius, pul-
 chritudo eius captiuā fecit animam eius,
 amputauit pugione ceruicem eius. Ecce,
 quomodo fœmineis artibus fœmina in la-
 queum & sagenā se parauit tanto princi-
 pi, & quomodo morte illi sit facta ama-
 rior. Id ipsam in libr. Prouerbiorū noster
 Salomon proluxa narratione describit:
 quam, quia proposito nostro est cōmodif-
 sima, non inutile puto ad verbum hīc re-
 citare: Sic ergo septimo eius libri capite
 ait Salomon: De fenestra domus meæ per *Prou. 7.*
 cancellos prospexi iuuenem & video par-

aulos. Considero vecordem iuuenem, qui
 transit per plateas, iuxta angulum, & pro-
 pe viam domus illius graditur in obscu-
 ro, aduesperante die, in noctis tenebris &
 caligine. Et ecce occurrit illi mulier in or-
 natu meretricio, præparata ad decipiēdas
 animas. Garrula & vaga, quietis impatiēs,
 nec valens in domo cōsistere pedibus suis.
 Nūc foris, nunc in plateis, nunc iuxta
 angulos insidians. Apprehensūque de-
 osculatur iuuenem, & procaci vultu blan-
 ditur, dicens: Victimam pro salute deuoui,
 hodie reddidi vota mea. Idcirco egressa
 sum in occursum tuum, desiderans te vi-
 dere & reperi. Intexui funibus lectulum
 meū, stravi tapetibus pictis ex Aegypto,
 aspersi cubile meum myrrha, & aloe & cy-
 namomo. Veni, inebriemur vberibus, &
 fruamur cupitis amplexibus, donec illu-
 cescat dies. Non est enim vir in domo sua,
 abiit via longissima. Sacculum pecuniæ
 secum tulit, in die plenæ lunæ reuersurus
 est in domum suam. Irretriuit eum multis
 sermonibus, & blanditiis labiorū protra-
 xit illum. Statim eam sequitur quasi bos
 ductus ad victimam, & quasi agnus lasci-
 uiens & ignorans & nescit quod ad vincu-
 la trahatur, donec transfigat sagitta iecur
 eius. Velut si auis festinet ad laqueum, &
 nescit.

nescit quòd de periculo anime illius agi-
 tur. Nunc ergo fili mi, audi me, & atten-
 de verba oris mei. Ne abstrahatur in viis
 illius mens tua, neque decipiaris semitis
 eius. Multos enim vulneratos deiecit, &
 fortissimi quique interfecti sunt ab ea.
 Viæ inferi domus eius, penetrantes inte-
 riora mortis. Quam pulchrè hic vides sin-
 gula velut in tabella depicta atq; ob ocu-
 los posita, quibus scilicet modis iuuenem
 illum mulier illaqueauerit & in sagemam
 attraxerit, quomodo ipsum per blandi-
 menta verborum ad mortis amaritudinẽ
 perduxerit, quomodo insuper quasi vincu-
 lis quibusdam secum captiuum illum ad
 mortem abduxerit. Indicat præterea &
 hoc sufficienter, quod in conclusione ser-
 monis dicit: Qui placet Deo, id est, iustus
 & timens Deum effugiet illam: qui autem
 peccator est, capietur ab illa, dum in prin-
 cipio sermonis ait, se considerasse paruu-
 los, id est, affectu molles & pueros. Cuius-
 modi pueros nos vetat esse Apostolus,
 cum ait: Nolite pueri esse sensibus. Et ali- 2. Co. 14.
 bi: Ut non simus sicut paruuli fluctuantes.
 Aduersus quos paruulos alibi sapiëntia vo- Eph. 4.
 cem dirigit increpationis: Vsquequo (in Prou. 1.
 quiens) paruuli, diligitis infantiã? subiun-
 gens expressius eandẽ sententiã: & stulti

ea quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiã? Deinde in processu sermonis addit se vidisse iuuenẽ vecordem, qui erat à muliere illaqueãdus, eũq; lubricũ fuisse & sine Dei timore indicat, cum ait, eũ ambulasse iuxta angulos domus meretriciæ, idq; nocte & in tenebris, quando solent ad non bona carnales procedere. Quẽadmodũ enim de ebriosis ait

2. Thes. 5.

Apostolus: Qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt sic & de luxuriosis dici potest, eos qui luxuriantur nocte luxuriari. Oportet enim impleri saluatoris verbũ, quo dixit: Omnis

Joan. 13.

qui facit iniquitatẽ, odit lucem, tali igitur descriptiõẽ, nimis quã apertẽ indicauit cuiusmodi fuerit iste captus meretriciis blandimentis. Si enim fuisset in eo timor Dei, effugisset vtique illam iuxta admonitionem quam post omnia sapientia adiungit, dicens: Nunc ergo fili mi audi me, & attende verba mea. Ne abstrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris semitis eius. In libro quoque Sapientiæ apertius testatũ legimus, quomodo qui placet deo, effugere potest à muliere periculum, peccator autem, ab illa capitur. Sic enim capite octauo eius libri is qui loquitur, post prolixam sapientiæ cõmendationem ait:

Sapi 8.

Et vt sciui, quoniã aliter non possem esse
conti

continens nisi deus det, & hoc ipsum erat summa sapientia, scire cuius esset hoc donum, adij dominum, & deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordiis meis, &c.

Ecce hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnum & alterum vt inuenirem rationem quam adhuc quatit anima mea, & non inueni. Virum de mille vnum reperi, mulierem ex omnibus non inueni.

Difficultas est in hoc verbo, & quo ad *Perplexa* eloquutionis modum, & quo ad veritatem *sententia de* sententiæ. Quantum ad sententiã attinet, *mulieri-* quidã abhorrentes à mulierum tanta abie- *bus.* ctione quantã hic Salomon proponit, ad mysticas recurrunt intelligentias. Inter quas præcipua & rationabilior videtur illa, quæ mulierem intelligit, non à sexu corporis, sed ab animi mollitie, quæ solet esse in mulieribus. Atque hoc pacto intelligunt, ex omnibus illis qui sic sunt molli & fœmineo animo, nec vnũ bonũ reperi: quoniam huiusmodi omnes improbi sunt, & carni seruiunt. Inter viros autẽ, inuenitur ex mille vnus: quia etiã inter eos qui videntur virile aliquid habere, qui videtur minus molles esse & magis studiosi virtutum, adhuc pauci admodum sunt, qui per omnia se viros præstent vt decet: ita vt magnum videatur, si in tanto numero eorum

qui videntur aliquid esse inter homines, vel pauci inueniantur, qui verè & per omnia digni sint viri nomine. In hunc ferè sensum edifferit locū istum Olympiodorus. Veruntamen potest commodè locus præsens, per excessum ad literā de mulieribus secundum sexum accipi: maximè, eo quòd statim præcedentia indubiè de mulieribus literaliter fuerint dicta. Erítque ista cōparatio secundū hyperbolem accipienda, ad hoc ita in excessu summo posita, vt auditores tantò magis deterreantur & elongentur magis à periculo illo mulierum, quod tam difficile etiā sapiens potest euadere: vt dixerit ille, non posse hominem esse continentē, nisi dono dei. Ita enim solemus ea à quibus efficaciter & multū detertere volumus alios sic abiicere, sic vituperare, quasi simpliciter illa sint mala & pessima: cū nos subinde nō ipsum à quo deterremus, vt simpliciter malum damnate intendamus, sed tantū alios vehementer detertere. Quemadmodū si quis sciens quā sit noxiū adolescentibus vinum, corā eis illud indignis verbis ita abiiciat atque vituperet, vt dicat ipsum esse venenum, toxicū & infernalem ac diabolicum potum, aliāque huiusmodi: ad nihil aliud hyperbolica ista & tam excessiua

compa

Hyperbolica loquutione utitur. Sapiē. 8.

comparatio adducitur, quàm ad vehemen-
 ter deterrendum à vino adolefcentes, qui-
 bus loquitur. Velut cùm in Prouerbiis di-
 citur: Luxuriosa res, vinum. Cui consonat *Prou. 20*
 illud Apostoli: Nolite inebriari vino, in *Ephe. 5.*
 quo est luxuria. Et rursum: Cui vax? Cuius *Prou. 23.*
 patri vax? cui rixax? cui foueax? cui sine causa
 vulnera? cui suffossio oculorũ? Nonne his
 qui cõmorantur in vino & student calici-
 bus epotandis? Ne intuearis vinũ, quando
 flauescit, cùm splenduerit in vitro color
 eius. Ingreditur blandè sed in nouissimo
 mordebit vt coluber, & sicut regulus ve-
 nena diffundet, &c. quæ inibi sequuntur.
 Nulla his cõparationibus fit vino iniuria,
 neque ista propter vinũ in se damnandũ
 dicuntur, sed tantũ propter periculum
 eorum qui nesciunt moderamen in vino.
 Nam quantũ ad ipsius naturam bonam & *Pro. 31.*
 vtilem, idem alibi monet, vinum dari iis
 qui sunt amaro animo. Et eius parens Da- *Psal. 103*
 uid, inter dona dei recenset, quòd vino le-
 tificetur cor hominis. Ad eundem modum
 nõ debet ista loquutio hyperbolica ac-
 cipi ad iniuriã sexus muliebris, quemad-
 modũ prima facie sonare videtur sermo.
 Non enim sexus debet vituperari, tan-
 quam per se malus & noxius: quoniam de
 eo legitur ab initio dixisse dominum: *Gene. 2.*

Non est bonū homini esse solū, faciamus ei adiutoriū simile sibi. Si enim à domino sexus foemineus factus est, eo quòd sine eo nō esset viro bonū: & in adiutoriū viri factus est, certum est, non posse sexum per se reprehendi, sed propter cautelam & propter auertendos virorum animos ab inordinata concupiscentia sexus illius, in quo plurimi solent delinquere, iste accipiendus est in eloquendi modo excessus. Veluti cum parentes vidēt ad aliquid manus extendere incautos filios, quod ipsis possit in periculum venire, exclamant fortiter: Caue fili, venenū est: mortiferū est, si cōtigeris, morieris, aut alia huiusmodi. Atque ad hoc propositū videri potest adiectum, quod statim subiungitur: Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectū, &c. videlicet vt hoc verbo velut corrigat excessum sermonis prædictum, indicando, se non iniuriam velle dicere in naturā, & sexum, sed propter hominum nimium in sexu illo abusum, ita fuisse loquutū. Tanquam si dicat: Nemo prædicta sic accipiat, aut malè intelligat, quasi ad naturæ aut sexus in se reprehensionem dicta, quasi dei opus aut creaturā voluerimus reprehendere. Si enim sexum vel naturam reprehenderemus, Deū utique re-

*Fecit deus
hominē re-
ctum.*

prehen

prehenderemus, qui faciens hominem ab initio, masculum & femina fecit eos, & *Matt. 19.* sexum utrunque instituit. Deus autem fecit hominem rectum, quod non esset, si esset per se malus sexus alter, quoniam utrumque sexum condidit. Sed homines ipsi sibi sunt causa omnium malorum, qui propter suam malitiam abutuntur creaturis dei bonis, & bonam eius institutionem corrumpunt. Posset quoque subtiliori consideratione locus iste exponi de mutabilitate & *Alia expositio profundior.* fortione sexus feminei, in quo virilem sexum longe excedit. Virilis enim sexus magis apertus, magis constans, & magis sui similis est. Mulier vero magis simulata est, ita ut nec eius lachrymis tutum sit credere: quoniam (iuxta vulgatum Poetae verbum) ut flerent, oculos erudiere suos. Et fortissimus ille Sampson, quod miseriarum *Judic. 16.* perueniret per fufas suae Dalilae lachrymas, totus orbis cognoscit. Est quoque mulier minus constans & magis mutabilis *Mutabilis femina.* vis, quemadmodum iterum ait Poeta: Vanum & mutabile semper femina. Vnde fit, ut homo etiam si hodie cordis mulieris fundum deprehenderit, nesciat tamen quid crastino die in corde gestabit. Secundum hunc itaque sensum, ad deterrendum adolescentes & ceteros lubricos a muliere

muliere, imò etiam sapientes, nequando illis fidem habeant in periculum suæ sapientię, ita dicit Salomon: nemo miretur, quòd paulo ante dixerim mulierem avariorem morte, & laqueū esse venatorium, fagenam piscatoriā, & manus eius esse vincula, & nō nisi dono Dei posse euadi. Ecce hoc adiicio: Ego Ecclesiastes inuenire laboravi in sapientia mea, vnum ad alterum conferendo, per diuersa discurrendo, & diuersa adinuicem cōparando, vt inuenirem cogitationē & rationem quam diu quęsiui, & adhuc quærīt anima mea: vt scilicet possem cōprehendere ad plenū conditionem fœminei cordis, & ad fundū eius pertingere: & necdum potui inuenire: quo satisfacere cogitationi & inquisitioni meę: tametsi iam diu cum mulieribus versatus fuerim, & earum amplexibus fruitus: necdum tamen vel vnam ex omnibus ad fundū vsq; cordis pernoscere potui. Est enim cor mulieris, propter fictionē & instabilitatem, inscrutabile. Et licet etiam quantū ad viros, admodum difficile sit exactè eos cognoscere, vt plenè homo comprehendat virorum corda: tamen propter constantiā, & rectitudinem, quæ magis in viris inuenitur, saltem ex mille vnum, id est, ex multis saltem aliquos inuenire potui, id est, ad

fund

fundum vsque & ex corde penitus cognoscere. Mulieres verò, quoniam cum sexu suo penè omnes fictionem istam trahunt & inconstātiā, iccirco nec vnā ex omnibus penitus perscrutari potui, tamen iam tam longa & tam multa cum eis vsus consuetudine. Neque verò vsque adeo nouus videatur ille sermo, quo dicimus inuenire virum vel mulierem, pro perscrutari, aut ad fundum vsque eius cognoscendum pertingere. Nam & in vulgato sermone, quod tādē post longā perscrutationē cognoscimus, inuenisse nos dicimus: rémq; ipsam totā nos inuenisse dicimus, cum penitus ad extremū vel profundū vsque cognouerimus. Iterū potest prædictus locus exponi: non quidem à mulieribus abnegandō sapientiam, sed hoc tantū indicādō, quòd in viris facilius sit inuenire sapientiam, propter (vt suprà diximus) apertam naturam & constātiā naturalem. In mulieribus autē, etiam si sapientiam habeant, tamen difficile est eam in ipsis inuenire aut deprehendere, propter mutabilitatem & inconstantiam naturæ, & quòd sexus suspectus habeatur, ita vt etiam si per opera & verba sapientiam aliqua ex eis ostēdat, non tamen creditur, intus talis esse qualem se foris prodit.

Sexus muliebris suspectus merito semper habetur.

dit. Statim enim habetur suspitio: ne forte more muliebri tantum simulatio sit, aut ne tantum fortuitum sit quod agit, non ex soliditate veræ sapientiæ. Quæadmodum enim mēdaces in crebris deprehensi mendaciis, faciunt, vt sibi etiam vera dicentibus non credatur, imò faciūt mēdaces (iuxta vulgatum verbum) vt nec aliis vera dicentibus credatur: sic facit plurimum mulierum sepius deprehēsa fictio, simulatio, instabilitas & falsitas, vt ipsis quoque à quibus hæc absunt, fides non habeatur, sed habeantur & ipsæ suspectæ, ne fortè aliarum sint similes. Solemus enim ex generali cōditione æstimare homines. Proposuius tibi, lector, super proposito loco enarrationes varias, elige quod tibi magis fuerit placitum, & loco iudicaueris magis congruum. Mihi sanè aliquid priorum magis arridet, maximè illa hyperbole: quæ admodum est frequens sacris scriptoribus, quoties rē ex dolore exaggerār. Vt cum

Psal. 13. Psal ait: Omnes declinauerūt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonū, non est vsque ad vnum. Et Hierem. A minimo vsque ad maximū omnes auaritiæ studēt, omnes sequūtur munera. Sic Esaias de populo loquens Iudæorū: A planta pedis (inquit) vsque ad verticem non est in eo san-

eas. Sic Paulus dolens multorum infidelitatem: *Phil. 2.*
 Omnes (inquit) quæ sua sunt, quærunt:
 non quæ Iesu Christi. Sic & in persona crucifici propheta clamat: Omnes videtes me
 deriserunt me, loquuti sunt labiis, & mo-
 uerunt caput. Quæ exempla in hoc produ-
 co, quòd sciam, plerosque nimium hac in
 re serios, aut potius scrupulosos siue mo-
 rosos, hyperbolè in scripturis sollicitissi-
 mè fugere, & diligèntissimè cauere ne eam
 admittat, quasi periculù metuentes falsi-
 tatis: cum sine ea, plurima scripturarù lo-
 ca, non nisi multa torsione & incommo-
 dissimis tractibus, possint expediri. Sed
 hæc hæctenus.

*Solummodò hoc inueni, quòd fecerit Deus
 hominem rectum, & ipse se infinitis misce-
 rit questionibus. Quis talis, ut sapiens est, & quis
 cognouit solutionem verbi?*

Quoniam in præcedètibz visus est ge- *Deū lau-*
 nus humanum abiicere, mulierem appel- *dat, homi-*
 lans laqueù, sagemam & vinga: item ex *nem accu-*
 viris mille tantùm vnù dicens se inuenif- *sat Salo-*
 se: ex mulieribus nec vnã: ne quis vt blas- *mon.*
 phemum in autorè generis humani acci-
 piat Ecclesiasten, ista cõtra vitia non con-
 tra naturã differètem: authorem quidem
 Deù ab omni culpa releuat, quicquid est
 in homine boni eius creatori deo tribuès,
 & ni

& nihil mali: ipsi autē hominis defectus,
 quicquid est mali tribuens. Sic separat sa-
 piēs Ecclesiastes pretiosum à vili; sic quod
 in homine est boni, ab eo quod est mali
 in ipso segregat, illud Deo tribuens, cum
 ait: Fecit Deus hominē rectū, istud homi-
 ni, cum ait: Ipse se miscuit in finitis quæ-
 stionibus, id est, omnibus difficultatibus,
 perplexitatibus & miseriis. Nam ita gene-
 raliter quæstio pro omni perplexitate &
 miseria, hic videtur accipiēda. In has autē
 omnes miseriis quas nunc sentiūt homi-
 nes, tam in corpore quàm in anima, nos
 ipsi nos coniecimus, & nos ipsos his omni-
 bus implicuimus, siue inno dauimus, qua-
 tenus Adam primus parens generis nostri,
 per suam inobedientiam hoc meruit, vt
 à tota posteritate eius illa originalis iu-
 stitia (quam & ipsi & in ipso omnibus no-
 bis Deus contulerat) auferretur, ac subse-
 quenter omnis ista miseria inuaderet cor-
 pus nostrum. Sic dicuntur homines se ipsos
 inuoluissē miseriis, respiciendo ipsam in
 se humanā speciem. Homo enim se ipsum
 in omnia ista coniecit, id est, parens pri-
 mus totam posteritatem perdidit, peccato
 originis: ac deinde, peccatis actionis am-
 plius & profundius se quisque malis om-
 nibus implicat. Quod deinde sequitur:

Quis

Quis talis ut sapiens est, & quis cognouit solutionem verbi? Videtur adiectum esse, ad exigendam singularem, vel super verbo statim præmissio, vel etiam super prioribus, attentionem. Nam & illa quæ præcesserunt de periculosa malitia mulierum, & quod nunc postremo dictum est, deum esse innocentem, & nos ipsos nobis esse omnium *Particu-* malorum causam, omni attentione, & con- *le attitio* sideratione sunt dignissima, neque medio- *nem exci-* cris est in eorum meditatione sita utilitas. *tantes.* Videturque particula similis esse illi, qua subinde uti consuevit Saluator: Qui potest *Mat. 19.* capere, capiat. Et iterum: Qui habet aures audiendi audiat. Eo enim verbo tum uti libenter consuevit, cum id quod dicebat, attentionem requireret singularem, aut singularem conatum tanquam ad intelligendum vel ad obseruandum difficile: quod tamen intellectum aut obseruatum, peculiarem & eximiam adferret utilitatem. Sic & in Psalmo quodam, post multa ab- *Psa. 106.* strusa explicata, concludens Propheta, ait: Quis sapiens & custodiet hæc, & intelliget misericordias domini?

ANNOTATIONES IN

caput septimum.

Quid necesse est homini maiora sequarere, cum ignoret quid conducat

sibi, &c. In Hæbræo & æditione antiqua, ista annectuntur fini capituli præcedētis, vsque ad locum illum: Melius nomen bonum. Sed & aliter in Hæbræo atq; æditione antiqua locus iste legitur, hoc modo: Quid enim amplius est homini? Quis enim nouit quid sibi bonū sit in vita, &c. Noster interpres paraphrasticè videtur cōplessē simul & explicasse sententiā. In illa enim finis cunctorū admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurū sit. Paraphrasticè dicit nostra lectio, quod in Hæbræo ad verbum sic legitur: In illo est finis omnium hominum, & viuens ponet vel dabit ad cor suum, id est, considerabit in corde suo, subaudi quod aliquādo sic & tibi continget, vt huic ante oculos contingisse cernit. Per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis. Delinquētis adiectum est, propter sententiæ plenitudinē. Sic autem ad verbum legitur: In tristitia vultus emēdabitur vel meliorabitur cor. Quidā verūt, iucundabitur cor. Verū tūc nō ipsius delinquētis cor intelligitur, sed ipsius qui foris propter deum tristitia afficitur, iuxta quod Apost. ait: Quasi tristes, semper autē gaudētes. Melius est à sapientia corripī, quā stultorum adulatione decipi. In Hæbræo. sic legitur: Melius est
audire:

audire correptionē sapientis, quā quōd
 vir audiat carmen stultorum. Atque in
 hunc sensum legit æditio vetus: Quæ le-
 ctio vel ad sensum nostræ vulgatę exponi
 potest, per stultorum cantica intelligēdo
 adulationes, quibus solent se inuicem stul-
 ti decipere. Vel simpliciter accipi possunt
 suauia cantica, quibus in delitiis suis va-
 cant carnales, ad demulcendas aures ho-
 minum, quibus nemo facilē emendatur,
 sed magis peruertitur quisquis illis aures
 quietas accōmodat. Quem sensum diuus
 Gre. Naxocæ. explicat his verbis: Longē
 optabilius est, increpationem & castiga-
 tionem audire vnius sapientis, quā to-
 tius chori improborū esse auditorē. Con-
 sonat & Olym. inquiens: Carmen stulto-
 rum reddit effæminatam, sapientis verō
 correptio colligit & cōfirmat. Vtilior est
 sapiētia cū diuitiis, &c. In Hebræo: Bona
 est sapiētia cū hæreditate, & præcellit vel
 excedit vidētes solem, vel amplius est vi-
 dentibus solē. Ita habet etiā vetus æditio:
 Nec difficile est sensum eius lectionis ad
 nostram accommodare. Pro eo quoque
 quod sequitur: Sicut enim proteggit sapiē-
 tia, &c. sic habet vetus æditio: Quomodo
 umbra sapiētix, sic umbra argēti. & quod
 plus est, scientia sapientix viuificabit ha-

bentē se. Testatur verò Olymp. vmbra
hic significare protectionem, vt sit sensus
iuxta vulgatā lectionē: Sicut protegit sa-
pientia, sic argentū, &c. Pro eo verò quod
dicit nostra lectio: Hoc autē amplius ha-
bet sapientia & eruditio, quòd vitam tri-
buunt possessori suo, verus æditio habet:
Et quod plus est, sciētia sapientiæ viuifica-
bit habentem se. Quidā verò ex Hebræo
sic interpretatur: Sapientia nō pugnat cū
hæreditate paterna iustè acquisita, insu-
per tātā est nobilitatis, q̄ omnes excedit
creaturas quæ possunt aspicere solem. Et
qui in vmbra sapientiæ dormit, perinde
est ac si dormiret in vmbra argenti. Qui
enim sapiens est, abundè diues est. Immo
excedit sapiētia argentū, quia viuificabit
etiā in futura vita possessores suos. In die
bona fruire bonis, &c. Ex Hebræo ad ver-
bum sic legimus: In die bonitatis esto in
bono, & in die mala vel in diē malam, vi-
de. Nam & hoc è regione istius fecit deus,
vt nō inueniat homo post ipsum quicquā
quod sic interpretantur aliqui: Dum adest
bonum fruire eo, & in aduersis patienter
sustine. Vult enim deus hoc è regione il-
li opponere, id est vnum alteri succedere,
& omnia vicissitudini subiacere, vt agno-
scat homo, nihil esse post deum stabile,
cui

cui tutò posset fidere. Alij sic interpretantur: Tempore quo potes facito bonum, & tempore quando malè erit impiis, tu aspicias, & euades malum illud. Nam deus sicut bonis parauit bonum præmium, sic è regione malis malū parauit: quemadmodum & omnia alia sic disposuit, quòd post ipsum homo nihil poterit inuenire inordinatū. Ne plus sapias quàm necesse est, ne obtupescas. In Hebræo est: Ne sis sapiens vltra modum, vt quid deuastraberis vel desolaberis. In sensu parū differt nostra lectio. Bonum est te sustentare istum, sed & ab illo ne subtrahas manum tuam, &c. Ex Hebræo ad verbum sic verti potest: Bonum est quòd apprehenderis in isto, sed etiā ab isto non dimittas vel quiescere facias manum tuam, quoniam qui timet deum, incedet cum omnibus illis, vel egredietur ad omnia illa. Sensus hic est: Si vnum apprehenderis bonum, ab alio non subtrahes manum tuam. Nam timens deum exercet omnia bona quæ potuerit. Eundem sensum nos suprà declarauimus contineri in vulgata lectione. Antiqua autem æditio sic habet: Bonum est te inhærere in hoc, vel hoc tibi asciscere: hoc autem ne pollueris manum tuam, quia qui timet deum, egredietur omnia. Quod

ita exponit Olympiodorus: Bonū est tibi hoc, id est, virtutem comparare: & hoc, id est, vicio ne pollueris manus siue actiones tuas. Timens enim dominum omnia tentationum certamina illesus euadet. De diuersitate quoque inter prospera & aduersa potest intelligi, hoc modo: Bonum est tibi, tenere prosperitatem: sed & in aduersitatibus, si obuenerint, custodi te immaculatum. Qui enim timet deum, neq; prosperis, neque aduersis superabitur, sed in omnibus superabit siue superuincet, vt ait Apostolus. Lustraui vniuersa animo meo. In Hebræo est: Lustraui ego & cor meum. Vel secundum alios, Circunduxi ego cor meum. Nostra lectio sententiam claram reddit. Ecce hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnum & alterum vt inuenirem rationem. Ex Hebræo alij sic vertunt: Ecce hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnum ad vnum, vt inueniatur summa. Quod ita interpretantur: Vnum ad vnum, id est, omnia bona iustorum, & transgressiones impiorum inueni numerari coram domino, quodlibet in summam suam. Ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Ex Hebræo: Ipsi excogitauerunt ad inuentiones multas. Similiter etiã habet verus æditio. Nostra lectio eundem sensum habet. ^{sup}



OCTAVI CAPITIS

Commentarius.



*S*apientia hominis lucet in vultu eius, & potentissimus faciem eius commutabit.

Solet animi interior bona aut mala dispositio, foris se per externa indicia prodere, maxime in vultu. Quemadmodum videlicet superbia in oculorum extollentia & pomposa quadam vultus compositione solet relucere, & e contrario, humilitas in oculorum simplici demissione. Propter quod propheta suam volens humilitatem coram domino protestari, dicebat: Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Sic & impudicitia cordis, plerunque per oculos manifestatur, iuxta celebre illud Augustini verbum: Impudicus oculus, impudici cordis est nuntius. Et Petrus apostolus de carnalibus hominibus loquens, ait: Oculos habentes plenos adulterij & incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles. Invidia quoque vultus, & præcipue oculorum liuore monstratur, vt propter

Animi dispositio in vultu solet relucere.

Psa. 130.

2. Pet. 2.

hoc meritò per oculus malum signifi-
Mat. 20. cetur. Velut cum in euangelio dominus
 ait: An oculus tuus nequam est, quia ego
 bonus sum? Hoc est: si tu inuidus es, ego
Marc. 7. certè liberalis & beneficus sum. Et alibi,
 inter mala quæ de corde procedunt, ocu-
 lum malum, id est, inuidiam nominat. Ad
 hunc ergo modum dicit Ecclesiastes, etiã
 sapientiam hominis lucere in vultu eius,
 quoniam videlicet ex ipsa maturitate &
 æquabilitate vultus, quã præ se fert sapiēs,
Pro. 17. cognoscitur eius sapientia. Sic & in Pro-
 uerb. dicitur: In facie prudētis, lucet sapiē-
Eccle. 17. tia: oculi stultorum, in finibus terræ. Et in
 Ecclesiastico scribitur: Ex visu cognosci-
 tur vir, & ab occurſu faciei cognoscitur
 sensus. In hunc sensum manifestè locū
 istū explicat Gregorius Naxocæsariensis,
 dicens, sapiētiæ indicium in lucido hominis
 vultu apparere, sicut & liuor impudēs pro-
 dit inuidum. Vnde verò hęc in vultu relu-
 cētiā habeat sapiētiā, indicat quod cō-
 tinenter subsequitur, Et potentissimus fa-
 ciem illius cōmutabit. Deus videlicet ita
 lucere faciet vultum sapientis, per lumen
 sapientiæ, quod ab eo positum est in illius
 anima. Quomodo enim lumē quod in la-
 terna est, nequit in ea abscondi, sed per eã
 foris se prodit, sic nō potest latere præcla-
 rum

rum illud lumen sapientia, cum in homine fuerit. Omnis autem sapientia (vt alius *Eccle. 1.* sapiens ait) à domino deo est, cum quo fuit semper, & est ante æuū. Propter quod rectè dicitur: Deum commutare sapientis faciem, id est, alia honestatis specie perfundere.

Ego os regis obseruo, & præcepta iuramenti dei.

Rex iste est, de quo in Psalmis scribitur: *Quonia deus magnus dominus, & rex magnus super omnes deos. Et iterū: Quonia dominus excelsus, terribilis, rex magnus, super omnes deos. Qui* (vt in sacra Apocalypsi vidit illa sublimis & deo peculiariter dilecta aquila) *in vestimento quoque suo & femore scriptū gestabat: Rex regum, & dominus dominantium. Huius Regis os, dicit se obseruare rex magnus Salomon. Nam quem aliū regem poterimus assignare super terram, cuius os se dicat gloriosissimus rex Salomon obseruare? cum de eo dicat scriptura: Magnificatus est rex Salomō super omnes reges terræ, diuitiis & sapientia: & singuli deferebant ei munera, vasa argentea & aurea, vestes & arma bellica, equos & mulos per annos singulos. Et iterum: Salomon erat in ditione sua, habens omnia regna se-*

Psal. 94.

Psal. 46.

Apo. 19.

3. Re. 10.

3. Re. 4. cum à flumine terræ Philistiim , vsque ad terminum Aegypti, offerentium sibi munera, & seruientiū ei cunctis diebus. Quis ergo iste rex sit, cuius se dicit os obseruare rex tantus, nō potest esse incognitum:

Proue. 8. nimirum ille per quem reges regnāt, cuius potestas est potestas æterna, & regnū

Dani. 7. quod non corrumpetur. Est autem os ob-
Quid sit seruare, præceptis atq; mandatis alicuius
os regis attendere siue obedire, eo quòd per os pro
obserua- ferantur præcepta. Neq; mouere debet, q̄
re. os deus non habeat. Frequenter nanque

in scripturis, præcepta sua appellat legem vel præcepta, vel iudicia vel verba oris sui loquens, scilicet (vt est cōsuetudinis scripturarum) de se humano more. In hunc sensum enarrat locum istum ex sua sentētia Hieronymus, tametsi possit etiā de regibus terrenis intelligi. Præcepta verò iuramēti dei dicuntur, quæ nos deo cum iuramento obseruare promissimus. Iurauit enim olim populus veteris Synagogæ, obseruare præcepta data à deo, cum loquente sibi domino, dicerēt: Omnia quæcunq; loquutus est nobis dominus, faciemus, & erimus obedientes. Imò ipsa eorū circumcisio, quoddam erat iuramentum & promissio quædam ac protestatio diuinæ obedientiæ, diuinæque seruitutis obligatio.

Iuxta

Tuxta quod Paulus testatur, scribens Gal-
latis: Testificor (inquiens) omni homini
circuncidenti se, quoniam debitor est vni
uersæ legis faciendæ. Nos quoque dum *Gala. 3.*
in sanguine Christi baptizamur, iuramus
Christo, in cuius sanguine balneū nobis
paratum est, præstare obedientiam, abne-
gantes & abiurantes diabolum cum vni-
uersis pompis eius. Quod ergo dicitur:
Præcepta iuramenti dei, videtur tantun-
dem valere, ac si dicamus, Dei præcepta
iurata (vt ita dicam) Hoc est, dei præcepta
quæ obseruare iurauimus vel promisi-
mus. Vel iuramentum istud ad deum re-
fertur. Ipse enim præcepta dedit nobis cū
testificatione & quasi cum iureiurando,
sanctè promittendo obseruantibus vi-
tam & transgredientibus mortem æter-
nam.

*Ne festines recedere à facie eius, neque per-
maneas in opere malo: quia omne quod volue-
rit faciet, & sermo illius potestate plenus est:
nec dicere ei quisquàm potest, quare ita facit?*

Debet homines ad obseruationes diui-
ni oris meritò adducere, aut vel cogere,
consideratio potentia eius & potestas illa
inobediētes atq; infideles seruos tā rigidè
seuerèq; puniendi. Propter quod, genera-
li admonitione conueniēs auditorē, dicit:
Ne

Non fu- giendū à facie dei. Ne festines, quisquis es, à facie tam potens-
 tissimi regis fugere siue abscedere, quod fit per diuini mandati transgressionem &
 Deī contemptū. Quemadmodū enim ser-
 uī fideles Dei, qui semper ante oculos ha-
 bent illū tanquā obseruātes os eius, pa-
 rati ad implendū quicquid ille iusserit, re-
 ctè dicuntur præsentes assistere domino: sic
 per contrariū, qui Dei timore postposito,
 abit post cōcupiscētias cordis sui: aut post
 impias suggestiones alienas à Deo, hunc
 rectè dicimus fugere siue recedere à facie
 Dei. Iam enim vultū auertit à Domino,
 & os eius obseruare desit, qui ad ea quæ
 Domini sui volūtati sunt cōtraria se con-
 uertit. Bene autē dicit: Ne festines recede-
 re, id est, caue per festinationem te præci-
 pites in peccatū: quoniam videlicet multi
 festinātes nimium, antequā mature de-
 liberent quò pergant, in immania & te-
 rrima vitia se præcipitant: à quibus fre-
 quenter abstinere, si non in præcipita-
 tione sua se perderent. Deinde adiungit
 remedium: pro iis qui forte per festinatio-
 nem malam in malum iam abierunt, iam
 à facie regis cœperūt fugere. Neq; perma-
 neas (inquit) in opere malo, quasi dicat:
 Si iā cœpisti recedere à facie regis, caue,
 ne diu ab eo elongatus permanear, sed
 quant

quantotius redire studeas. Alioqui (inquit
 subsequēter) erit tibi periculū maximum
 grauissimæ punitionis: quoniam talis est
 rex iste quē fugisti atque spreuisti, ut ab
 eius manibus nulla potestas te possit libe-
 rare aut defendere, quin ille dignas de te
 pœnas sumat. Hoc indicat, cū dicit: Omne *Propter*
 quod voluerit, faciet, & sermo illius po- *tria meri*
 testate plenus est, nec dicere ei quisquam *to timen-*
 potest, quare ita facis? Hæc tria, soli regi *d^o est ma*
 summo quē suprā dixim⁹ peculiaria sunt, *lis deus.*
 & ipsi vni conueniunt: propter quæ maxi-
 mē timēdus est, super omnes reges terræ.
 Nemo enim principū aliorū aut regum,
 quantumcunque tandē fuerit, potest omne
 quod voluerit, sed hoc tantū quod per
 suos satellites & subditos potest efficere.
 Quomodo enim possēt omne quod vellēt
 qui nec vnum hoc possunt quod maximē
 vellent, id est, quod paulō pōst sequitur, in
 hora mortis cōtinere intra se spiritū suū,
 & in vita se cōseruare? De deo autē in *Psal. 113.*
 Psal. 113. canit Dauid: Deus autē noster in cælo,
 omnia quæcunque voluit fecit. Et in ean-
 dem sententiam, alibi: Omnia quæcunque *Psal. 134*
 voluit fecit Dominus, in terra & mari, &
 in omnibus abyssis. Et iterum: Magna *Psal. 110*
 opera Domini, exquisita in omnes volun-
 tates eius. De eo quoque dicit Angelus *Luc. 1.*
 Mar

- Gene.* 15. *Marix:* Apud Deum, non est impossibile omne verbū. Et ad Sarā dicūt angeli: Nūquid Deo quicquā est difficile? Et apud
Sapiē. 12. Sapiētem dicitur: Subest ei, cū voluerit, posse. Principes item huius mūdi, non habēt sermonem potestate plenum: De solo
Genes. 1. nanq; deo legimus, Dixit Deus: Fiat hoc aut illud. Et factū est ita. Ipse vnus est, de
Psa. 148. quō scribit David: Ipse dixit, & facta sunt,
Psal. 32. ipse mādauit, & creata sunt. Et iterū: Verbo domini cēli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum: Congregans sicut in vtre aquas maris, &c. Et per Esaiam ipse de suo verbo Dominus loquitur, dicens: Quomodo descendit hyber. & nix de cālo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti, sic erit verbū meū, quod egredietur de ore meo. Non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. Soli⁹ ergo dei sermo est potestate plenus: quoniā solius ipsius dicere est facere, ipsumque eius verbū sibi ipsi dat executionem & adimplentionem eius quod iussum fuerit. Aliorum autē regū verba longè absunt ab executione. Oportet enim post iussionem è regio ore prolatam, ministr

nistrorum accedere manus & militū exercitus, vt impleatur regis mādatum. Et frequenter quidē, nec omnis congregata virtus regis implere potest quod mandatur, idque in rebus nō multū arduis. Neq; per se quicquā potest verbū regis, nisi quantum per ministros atque satallites potest efficere. Quorū virtus vbi deficit, & illic deficit & verbum eius. Non solū ergo non est plenus potestate sermo Regū cæterorum, sed neque quicquam habet potestatis, si in semetipso consideretur, nihilo certē amplius, quā plebei cuiuspiam sermo. Vnde & adolescēs ille qui (vt in tertio libro Esdrę scribitur) de Regis differebat fortitudine & præcellentiā, cautē admodum loquens, ipsius verbo nihil tribuit in sese, sed ministris omnia. Sic enim loquitur: Rex super omnia præcellit, & dominatur eorum, nempe hominum: & omne quodcunque dixerit illis faciunt. Et si miserit illos ad bellatores, vadunt, & demoluntur montes & muros & tures. Iugulantur & iugulant, & regis verbum non prætereunt. Ac post pauca. Ipse vnus solus, si dixerit, occidite, occidunt: dixerit, remittite, remittunt: dixerit, percutite, percutiunt: dixerit, exterminate, exterminant: dixerit, ædificate, ædificant: dixerit, excidi

3. Esd. 4.

excidite, excidunt: dixerit, plantate, plantant: & omnis plebs & virtutes eum obaudiunt. Audi iuuenem sapientem: proposito præmio magno, de regis præcellentia in fortitudine differentē. Nihil tamen tribuit ipsi eius verbo potestatis, nisi quantum per ministros impletur. Non enim ita loquitur: Dixerit, fiat, & fit: sed ita: dixerit, facite, & faciūt: ipso hoc loquēdi modo indicans, totā verbi eius vim & potestatem à ministris obedientibus pendere: qui si id non possint quod iubetur, aut etiā si obedire nolint, irritum manet verbū Regis. Postremò, quis est regū tam potens, cuius nō possit potestati quisquā resistere? Imò cuius non potest omnis virtus & omne robur, per alium fortiorem superueniētem absumi? Alioqui enim, vnde ista tam frequens regnorum, imperiorum, & monarchiarum ab aliis ad alios translatio? Denique, vt donemus, inueniri posse aliquem qui tam superemineat potentia & gloria omnibus vt illi nemo mortalium possit resistere (qualem hætenus orbis non agnouit) quis tamen neget, superna & immortalis virtute posse illius omne robur absumi? Quod si quis negare tentauerit, euincet eius temerarium ausum Angelus ille, perditor exercitus maximi Sēnacherib

cherib:& exterminator ille, prius primo-
 genitorū, ac deinde totius virtutis Aegy-
 pti. Habent præterea reges, suos magna-
 tes & principes consiliarios, qui ipsis per
 insipientiā quippiā attentantibus audent
 dicere: quare ita facis? Certè rex gloriosus
 erat Dauid in regno suo, habuit tamen
 Ioab principem militiæ, qui illi ausus est
 subinde dicere: Quare hoc facis? Sic enim
 legimus, cùm proponeret Dauid à mali-
 gno agitatus, populū I sraeliticum dinu-
 merare, idque Ioab vt malitiæ principi
 mandato iniungeret, audacter eū respon-
 disse: Adaugeat dominus deus tuus ad po-
 pulum tuū quantus nūc est, iterūmq; cen-
 ruplicet in conspectu Domini mei regis.
 Sed quid sibi dominus meus rex vult in re
 huiuscemodi? Nōne, domine mi rex,
 omnes serui tui sunt? Quare hoc quærit
 dominus meus, quod in peccatū reputetur
 I sraeli? Atque etiā cùm sermo Regis vr-
 geret, & præualuisset iussio eius, nō plenè
 tamen obediuit Ioab. Tribū nāque Leui
 & Benjamin non numerauit (quanquam
 iussus totū numerare populū) eo quòd in-
 uitus exequeretur regis imperium. Alibi
 quoque, cùm paterno affectu lugeret Da-
 uid filium suum in peccatis interfectum
 Absalon, ita vt propter luctum eius omnis

4. Re. 19.

Exo. 12.

Et 14.

Contradi-

citur non-

nūquā re-

gib⁹ à ma-

gnatibus.

2. Re. 24.

1. Par. 21.

2. Reg. 19. populus declinaret ingredi ciuitatē, quam
 illū audacter idē iste Ioab est aggressus,
 quanquā fidenter & intrepidē illū allo-
 quutus. Confudisti (inquiens) hodie vul-
 tus omniū seruatorū tuorū qui saluam fe-
 cerunt animam tuā, & animā filiorū tuo-
 rum, & filiarū tuarū, & animam vxorum
 tuarū, & animam concubinarū tuarum.
 Diligis odientes te, & odio habes diligen-
 tes te. Et ostendisti hodie, quia non curas
 de ducibus tuis, & seruis tuis. Et verē co-
 gnoui modō, quia si Absalon viueret, &
 omnes nos occubuissemus, tunc placeret
 tibi. Nunc ergo surge & procede, & allo-
 quens satisfac seruis tuis. Iuro enim tibi
 per dominū, quōd si non exieris, ne vnus
 quidem remansurus sit tecum nocte hac:
 & erit peius hoc tibi quā omnia mala
 quæ venerunt super te ab adolescētia tua.
 Ecce quā audacter & intrepidē audet
 seruus dicere domino, miles regi. Quare
 facis hoc? Et tamen quod agebat Dauid,
 natura extorquebat & pietas, plangere, scī
 licet filiū mortuū, & ita mortuū. Fuit ni-
 hilominus tam efficax illa serui reprehen-
 sio vt cōtinuō surgens Dauid pareret ser-
 uo increpanti. Nōne etiam Nathan &
 2. Re. 12. Gad Propheta, ausi sunt illi dicere: Quid
 fecisti? Denique, vt homines omnes seclu-
 damus,

damus, proculdudio is de quo scriptū est:
 Terribili & ei qui aufert spiritū principū, *Psal. 75.*
 terribili apud reges terræ, is proculdubio
 in tēpore suo loquetur, etiā ad potentissi-
 mos reges, & dicet illis: Quid hoc aut il-
 lud fecistis? Quare hæc & hæc ita facere
 voluistis? tunc videlicet, quando (iuxta
 Psalmi vocem) loquetur ad eos in ira *Psal. 2.*
 sua, & in furore suo conturbabit eos: quan-
 do videlicet recipient omnes à minimo
 vsque ad maximū, secundū opera sua & de
 omni non solū factō, verum etiā verbo
 ocioso cogentur reddere rationē. Meritō
 ergo prædictorū cōsideratione, super om-
 nes omnino terræ reges & seculi princi-
 pes, os regis nostri est obseruandū, & eius
 sunt custodiēda præcepta. Neque expedit
 cuiquā, festinare à facie eius, quin & si
 præcipatione quempiam discessisse con-
 tigerit, quā celerrimè ad illum reuerti
 studeat, ne eius ira præoccupetur in fuga
 sua, id est, ne ante reconciliationem, illum
 mors atque iudiciū dei apprehendat. Hor-
 rendum nanq; est (iuxta verbū Apostoli) *Heb. 10.*
 incidere in manus Dei viuentis.

*Qui custodit præceptum, non experietur
 quicquā mali.*

Pertinet verbum istud ad præcedentia,
 indicans, per obedientiam mandatorum

Dei euadi malū æternæ dānationis. Hoc enim malum in proposito debet intelligi, quemadmodū & Salonius Viēnenſis Episcopopus diligenter annotauit. Nam mala vitæ præſentis frequenter experiūtur, qui dei præcepta custodiunt, iuxta Pauli Apoſtoli verbū: Omnes qui piē volunt viuere in Christo Ieſu, perſequutionē patientur. Verūm hæc mala quibus ad tēpus erudimur, verè mala non ſunt, neque vt mala à deo cenſentur, ſed vt eximia bona & peculiaria beneficia, quibus potiſſimum electos filios ſuos dignatur, quos ad magna vult euehere. Quemadmodū in ſacra Apoſtoli calypſi Dominus ait: Ego quos amo, arguo & caſtigo. Et ſanctus Apoſtulus ſcribens Hebræis ait: Quē diligit dominus, caſtigat, flagellat autem, omnē filiū quē recipit. In diſciplina perſeuerate, tāquā filiis offert ſe vobis deus. Quis enim filius, quē nō corripit pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis, argo adulteri & nō filij eſtis. Et poſt pauca: Omnis autē diſciplina videtur quidē in præſenti nō eſſe gaudij, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitix.

Tempus & reſponſionem, cor ſapientis intelligit. Omni enim negotio, tēpus eſt & opportunitas. Et multa hominis afflictio, quia ignorat præte

præterita, & futura nullo potest scire nuntio.

Hoc interest inter sapientē & insipientem, prudentem & stultum, quod stultus *Inter sapientē & stultū differentia.* omnia facit pro affectu suo non habens rationem temporis, neque loci, neque iudicium aut discretionē cōmodi vel incōmodi. Apud illum nanque (vt dici solet de huiusmodi) quicquid libet, licet: & est (iuxta Poeticum illud) pro ratione voluntas. Sapiens verò, affectibus suis nouit imperare, eosque iuxta rectæ rationis moderamen & discretionis iudiciū sedulo conatur refrenare: illud apud se cogitans quod Paulus apostolus assidue in corde gestabat, *I. Cor. 6.* vt & in scriptis nonnunquam replicat: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Hinc & per Psalmistam, de viro iusto ac sapiente dicitur, quod disponat sermones suos in iudicio. Sapientis itaque *Psal. III.* cor intelligit tempus, quia discernit ipse per sapientiam priusquam agat aut dicat aliquid, an tempus conueniens sit, aut oportunitas illud vel dicendi vel agendi quod se dicendum vel agendum offert. Prius apud se expendit, num vtile sit futurum verbum illud vel opus: & cauet ne *Matt. 12.* inueniatur otiosum, sciens quod de omni verbo otioso, neque dubium quin item & de facto otioso, olim in iudicio sit reddend-

da ratio. Respōtionem verò dicitur intel-
ligere sapiēs: quia postquā tempus respō-
dendi adesse cognouerit, studet attendere
quid cōmodissimè respōdeat, cū stultus
impremeditatū sermonem proferat, quic-
quid sibi in buccam venerit temerè & im-

Duo sunt præmeditatè effutiendo. Duo enim hæc
promidēda obseruanda sunt prudēti. Prius, vt diiudi-
sapienti, cet, num loquendū sit. Est enim (vt suprā
priusquā dictū est) tempus loquendi, est & tēpus ta-
loquatur. cendi. Deinde, si respondendū fuerit, præ-
Eccl. 3. uideat, quid loquatur, ne stulto similis fiat

Eccle. 32. qui sine intellectu loquitur. Pulchrè verò,
duplicem hanc in loquēdo obseruationē,
illud exprimit quod in Ecclesiastico scri-
bitur: Adolescens, loquere in causa tua, vix
cū necesse fuerit. Si autem bis interro-
gatus fueris habeat caput responsum tuū.
Cū ait: In causa tua vix loquere cū ne-
cesse fuerit, docet adolescentē obseruare
loquendi opportunitatē & tēpus. Quando
verò dicit: Si bis interrogatus fueris, ha-
beat caput respōsum tuū, indicat, præuidē-
dum esse diligenter quid & quomodo re-
spondeat. Atque huic sensui bene cōuenit
quod statim sequitur: Omni enim nego-
tio tēpus est & opportunitas. Sermo enim
qui non profertur in tēpore suo, quātum-
uis sit bonus, nō habet gratiam, & ad insi-
pien

pientiã reputatur proferenti. Nõ enim satis est bona dicere, sed bona oportet bene dicere, quẽadmodũ in operibus bonũ benè fieri oportet, iuxta illud: Iustè quod iustum est persequaris. Potest aliter ista responsio accipi pro defensione: vt respõsionem intelligere verbi vel operis, sit antequam verbũ proferas vel opus facias præuidere, & præscire quomodo pro illo possis respõdere, id est, ipsum defendere quod dicis, vel facis & de ipso rationẽ reddere. Sciens ergo sapiẽs, quòd (iuxta verbũ Domini) de singulis sibi sit reddenda ratio, siue pro singulis aut de singulis respondendum, curat nunc responsionem intelligere, quod tunc respondeat in die examinis præuidere. Hoc autem facit sapiens, dum nunc nihil agit vnde se putet in die illo posse cõfundi. Quod autem sequitur: Et multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuncio, indicat, hominibus ex defectu experientię & cognitionis rerum præteritarum atque futurarum multum esse laboriorũ, atrem. Si enim haberet homo præteritorum que futurorum exactam & sufficiẽtem cognitionem, posset ex præteritis cognoscere, quid in occurrentibus negotiis præsentibus foret agendum. Facit enim præteritorum experientibus.

*Deu. 16.**Matt. 12.*

Ignorantia præteritorũ, atrem que futurorum afflictio est mortali-

tia, vt minus circa præsentia sollicitudine homo torqueatur. Nouitas enim & incon-
 suetudo rei nunquam antè expertæ, homi-
 nis animum perplexum reddit. Ex igno-
 rantia quoque futurorum, nullam patitur
 homo afflictionem. Si enim posset homo
 præscire quæ sibi essent euentura, posset
 minore sollicitudine viuere. Nunc autem
 cum omnino incertus sit quid ei accidat
 imposterum, ambulet autem hic in me-
 dio hostium, in loco periculosissimo, vbi
 aduersarius diabolus tanquã leo rugiens
 perpetuò circuit, quærens quem deuoret,
 meritò profectò afflictione nõ caret mul-
 tæ sollicitudinis. In medio siquidem ho-
 stium absque sollicitudine viuere, & quasi
 tranquillis rebus omnibus in vtrâque au-
 rem dormire, quis non iudicet hominis
 esse mente & sensu carentis? Idcirco autè
 voluit nos celare deus quæ nobis sunt ven-
 tura, vt semper in sollicitudine bona per
 hanc ignorantiam nos cõtineat. Sic enim in
 Euãgelio dominus, ex futurorũ ignoran-
 tia sæpius nos monet esse sollicitos. Vnde
 quodã loco ait: Videte, vigilate, & orate.

Mar. 13.

Mat. 25.

Luc. 12.

Nescitis enim quãdo tempus sit. Et iterũ:
 Vigilare itaq;, quia nescitis diẽ neq; horã.
 Ac rursus: Illud autè scitote, quia si sciret
 paterfami. qua hora fur veniret, vigilaret
 vtique,

vtique, & non fineret perfodi domū suam. Ideoque & vos estote parati, quia nescitis qua hora dominus veniet. Et alibi: *Luc. 21.* Vigilate omni tēpore orantes: vt digni habeamini fugere omnia quæ ventura sunt, & stare ante filiū hominis. Propter hoc, scilicet etiā in forma illa orādi quā præscripsit discipulis, de futuris sollicitudinē intexuit, dū ita concludit: *Matt. 6.* Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo.

Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, neque saluabit impietas impium.

Spiritus iste anima hominis dicitur, *Spiritum* quem spiritum prohibere, non est in potestate hominis, nec habet eius continendi potestatem in die mortis: quoniam ad *prohibere non potest homo.* ueniente hora illa à deo constituta, non habet potestatem homo, vt contineat intra se animam suam: sed velit, nolit, reddere debet, vbi eam deus poposcerit. Quem admodum enim ipsi nobis non dedimus spiritum vitæ: sed dedit nobis illum quando voluit deus: sic neque in nostra est potestate continere illum: sed domini est illum, vbi voluerit, cum plena potestate reposcere. Neque hac in re quicquam prodest quæcunque seculi potestas vel digni-

tas. Quantùm enim ad hanc rem, æqua est omnium conditio, nec regibus nec principibus parcitur. Propter quod de his fig-
Pfal. 75. gnanter loquens Psal. verbo notando dixit, deum auferre spiritum principum, ac apud reges terræ esse terribilem. Ad idem quoque videtur pertinere illud bellum, de quo consequenter dicitur: Nec finitur quiescere, ingruente bello, illo videlicet nouissimo bello, quo mors armata procedit aduersus hominem in prælium, vt perfodiat sagitta iecur & cor eius. Tūc enim non finitur quiescere, tunc non ei conceditur vllus effugiendi locus, non ei datur requies aut dimissio. Velit, nolit, reclamet, recalcitret, occumbendum est illi, & emigrandum ad sedes alias. Quòd autem impietas non saluabit impium, manifestum est. Non enim à morte corporis per impietatem saluatur homo, quoniam impios æquè atque pios omnes videmus morte absumi. A morte verò animæ & damnatione æterna, adeò per illā impietatem suā nō effugiet impius, vt ipsa sola sit capiendus & illaqueandus. Sic enim de eo in Psalmis scribitur. Cognoscetur dominus iudicia faciēs, in operibus manuū suarū comprehensus est peccator. Et apud Ezechielem dicitur: Impius morietur
 in iniu

in iniustitia sua. Facile autem est hæc omnia ad præcedētia referre, & sententia continuata illis adiūgere. Ratio enim redditur, quare merito os illius regis tam terribilis debeāt omnes obseruare, & ab eo nō recedere: itē & hoc declaratur, quomodo sermo eius plenus sit potestate, vt faciat de nobis quicquid voluerit, vt non possimus nos ei vllō peccato resistere: quare itē meritò tempus debeat homo cōsiderare, donec in hoc mundo potestas ei conceditur bene agēdi. Olympiodorus hoc in loco triplicem significationē spiritus ponit. Significat enim vel animam, vel ventum, vel donum sancti spiritus. In omnibus autem significationibus istis verbum propositum dicit habere veritatē, quoniam neque animam retinere: neque ventum impedire, neque donum spiritus possumus prohibere.

Omnia hæc consideravi in corde meo, & dedi cor meū in cūctis operibus quæ fiunt sub sole.

Potest istud indifferenter vel ad præcedentia referri, vel ad subsequētia: Omnia (inquit) hæc quæ modò dicta sunt, quæq; adhuc sum enarraturus, consideravi in corde meo, & dedi cor meum ad cōsiderationem omnium operum quæ sub sole fiunt. Vnam autem vanitatem, quæ est in prælatione

latione & dominio vnus super alterū, statim subiungit, ac deinde alteram quæ est hypocritarum. Sic autem ait:

Interdum dominatur homo homini, in malum suum. Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate, quasi iustorum operum. sed hoc vanitas est.

Domina tur homo homini in malū suū. In malū suum, ambigū est, an debeat intelligi in malum ipsius dominantis, an in malum ipsius cui dominatur homo. Est autem æque verū vtrunque. Interdū enim

Rom. 13.

aliis dominatur homo in malum suum, quando sua potestate abutens, non ad Dei gloriam (cuius se ministrū agnoscere debet omnis potestatem habens iuxta illud Apostoli: Non est potestas nisi à Deo) sed ad propriā libidinem & superbiam ea malè vtendo, sibi cōciliat iustā dominationis causam, vt iustè à Deo puniatur, vel punitione aeterna, vel subinde etiam tēporali. Quemadmodum videlicet Pharao in malum suū dominatus fuit filiis Israel, Sennacherib item & Antiochus, & alij cōsimiles. Frequēter quoq; ab ipsis suis subditis malum sibi acquirunt, dum propter suam tyrannidem ab eis interficiuntur. Quemadmodum Sennacherib post ultionem dei quā in Iudæa senserat, ad patriam suam

suam rediens, ibi à filiis suis in tēplo idolorum suorū interfectus est. Neque rarò etiam innocētes principes ex dominatione sua incidunt in pericula, propter aliorum ambitionem qui ad regnum aspirāt. Ita dominatur homo homini in malum suum. Quare vanitas utique dominationi debet inesse. Iuxta alterū autem sensum, quomodo homo homini dominatur, interdum in malū ipsius cui dominatur, nō est obscurū cognoscere, tūc videlicet quādo is qui dominatur, in tyrannidē versus, opprimit sibi subditos. Cū enim ad hoc à deo sunt instituti principes aliq; potestatem habentes, ut profint subditis, eos videlicet defendēdo ab hostib⁹, iustitiāque eis administrādo: in summa (vt Apost. ait) ad laudem bonorū, vindictam autem malorum: pleriq; non attēdentes quid ab eis exigat gladius quem gestant, & locus quem occupant, neglecta defensione subditorū, conuertūtur magis ad oppressiōnem eorum. Ac tūc nihil dubiū, quin dominētur suis subditis in malum ipsorum. Quomodo enim princeps bonus rectē suo fungēs officio plurimū prodest subditis & beneficio maximo sibi reddit omnē populū obnoxiiū, ut meritò patrū & seruatorum loco debeāt haberi (propter quod etiam

2. Par. 32

Alter sensus.

Rom. 13.

Gene. 41. etiam Ioseph ad principatū Aegypti iam euectum, voluit mutato nomine Pharaō appellari mūdi saluatorē) ita econtrario, cū sua potestate abutūtur, vertuntūrque in tyrannidē cōtra dei institutionē gladio malē vtētes, maximo sunt grauamini rei-publice cui præsunt, & quibusuis furibus, atque latronibus magis execrabiles. Hi enim fortē vnum aut alterū opprimūt, interficiunt, aut spoliāt bonis: illi verō rempub. vniuersam opprimunt, depredantur, expilant, diuexant, atq; discerpūt. Magna profecto & hęc vanitas est: & intolerabilis miseria. In hūc sensum verus editio sonat, quæ sic habet: Dominatur homo homini vt affligat eū. Ita quoq; interpretatur Hiero. Grego. & Olym. Sequitur autē vanitas altera, quæ hypocritas videtur respicere, & eos qui in sacris sunt populo præpositi suo officio malē respōdentes. Nam & ab eis magnum malum oriri contingit. Vidi (inquit) impios qui olim vixerunt, iam mortuos & sepultos, finita cum ipsis sua malitia: qui cū viuerent, occupabant locum sanctum, sacerdotio fugebātur, aut gradum aliquem siue officium obtinebāt in sacris, & laudabātur à populo tanquàm homines iusti: sic habebātur in magna veneratione, idque propter simulationem qua

qua nouerunt se obstentare tanquam sanctos, quales domino depingēte Phariseos euangelicos cognouimus, qui omnia opera sua faciebant ut viderētur ab hominibus, eleemosynas faciebāt cum tubę clangore, ieiunabāt cum exterminatione vultus, orabant in platearū angulis stando, ut viderētur ab hominibus, dilatabant quoque phylacteria sua & fimbrias magnificabant, ut viderentur præ cæteris esse religiosi: & alia huiusmodi multa faciebāt, ut homines spectātes ista, laudarēt, eos, quasi bonorū essent operū. Erant tamen reuera impij & multum impij, qui negligebant, quæ potiora erant legis, iudicium & iustitiam, & misericordiam & fidem. Alioqui non toties aduersum illos terribile illud vax vax, intonuisset mansuetissimus dominus. Quis autem non videt, quā id sit vanum ore hominum laudari, qui tātū ea vident, quæ foris patēt: deo autem, qui intuetur cordis intima & cuius est iudicium facere, non esse commendatum.

Etenim quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllò filij hominum perpetrāt mala. Attamen peccator ex eo quòd centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognoui, quòd erit bonum timentibus deum qui verentur faciem eius.

Exp

Explicat hîc quiddam, quod multis oc-
 casionem & ausû præbet delinquendi: pe-
Dilatio culiariter iis qui in potestate præminent,
vindictæ de quibus statim mētionem fecimus, qui
multis est non habent inter homines quem reuete-
ocasio li- antur aut timeant. Generalem tamen pro-
cētius pec- ponit de impiis sententiam dicens, multis
candi. impiorū dilationem diuinæ vltionis præ-
 bere ausum & confidentiã perseuerãdi in
 peccatis suis. Quia enim non statim quan-
 do delinquant adest vltio diuina, ex hoc
 ad alia eadem vel maiora agendū sumunt
 audaciam malam. Non enim considerant,
 quid in futuro illos expectet, quàm gra-
 uissima eos maneat vltio, ab omnium in-
 spectore deo suo tempore inferenda. Non
Psal. 7. aspiciunt illū nunc cōminantem, gladium
 vibrantē, & arcū suum tensum tenentem,
 non aspiciunt ad sagittas illas ardentes,
 quas ille habet in arcu suo, vt eiaculetur
 in impios, cū consummata fuerit impie-
 tas. Quæ si considerarent, proculdubio
 non ita licenter operarentur malum Pro-
Eccle. 7. pter quod, sapienter consulit sapiens, cū
 ait: Memorare nouissima tua, & in eternū
Deu. 32. non peccabis. Et sanctus Moyses populo
 suo hanc futurorū præuisionem optabat,
 dicens: Utinam saperent & intelligerent
 ac nouissima prouiderēt. Non aduertunt
 autem

autē miseri, q̄ ista ultionis dilatio ad maiorem ipsis fiet damnationem, si in impœnitentia sua ad finem vsque perseuerauerint, si dei bonitatem expectantem se ad pœnitentiam cōtempserint. Quemadmodū sanctus Apostolus ait: Existimas ō homo qui talia agis, quoniam effugies iudicium dei? An diuitias bonitatis & longanimitatis eius cōtemnis? Ignoras, quoniā benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuā & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram, in die reuelationis iræ & iusti iudicij dei, qui reddet vnicuiq; secundum opera sua. Iustus autem ex hac mira, erga etiam peruersos, dei benignitate & patientia, spem suam confirmat. Quod indicatur subsequētib; verbis. Attamen peccator ex eo quòd centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognoui, quod erit bonum timentibus deum qui verentur faciem eius. Quasi dicat: Si tantam ostendit deus erga peruersos homines bonitatem, vt etiam centies & milies grauissimè ab eis offensus parcat & abstineat ab ultione, ita eos expectans (iuxta verbū Esaia) ad miserandū ipsorum, & (iuxta verbum Apostoli) sic ad pœnitentiam eos inuitans & prouocans, beneficio patientiæ suæ ni-

Rom. 2.

Ex lēgānimitate dei confirmatur spes iustorum.

*Esa. 30.
Roma. 2.*

hil dubium quin eadem illa bonitas erga
 timentes ipsum & obedientes mandatis
 ipsius longè copiosius se monstrabit, in
 futuro seculo, pro bonis operibus reddi-
 tura sempiterna præmia. Qui enim erga
 inimicos, erga seruos fugititios & ne-
 quã, erga seruos rebelles & infideles, tam
 benignũ se monstrat in præsentì tempo-
 re, quàm putamus beneficũ & suauem se
 præbebit seruis fidelibus, synceris amicis.
 filiis obediẽtibus? Oculus non vidit, neq;
 auris audiuit, neq; in cor hominis ascẽdit,
 quæ præparauit se diligentibus.

Esai. 64.
1. Cor. 2.

*Non sit bonum impio, nec prolongentur
 dies eius, sed quasi vmbra transeant qui non ti-
 ment faciem domini.*

Iuxta modum scripturarum, quid in fu-
 turo eueniet, quasi per imprecationis mo-
 dum, prædicitur. Quia igitur statim dix-
 rat, bene futurum in nouissimo homini
 deũ timenti, ne quis putet similiter etiam
 euenturum impio, distinguit inter iustũ
 & impium. Ego (inquit) cognoui, quòd
 erit bonum timentibus deum qui verentur
 faciẽ domini. At verò impiis non sic
 erit bonum in futuro, sed deuoluetur su-
 per ipsos omne malum: neq; prolongabũ
 tur illis dies, quoniam non peruenient ad
 illam dierum longitudinem quæ iusto in

*Impiis su-
 peruentu-
 ra maledi-
 ctio.*

Psalms

Pfalmis promittitur, dicēte domino: Longitudine dierum replebo eum, & ostendā illi salutare meū. Per longitudinē nanque dierum, intelligitur æternitas, quæ durationis finē non accipiet. Hanc autē æternitatē accepturi sunt impij ad mortem & supplicium, iuxta quod in Psalmo dicitur de impio: Et laborabit in æternū & viuet adhuc in finem. Non autē ad vitā beatam, quæ in scripturis propriè vita dicitur. Unde dominus de finali retributione loquēs distinguit æternū supplicium à vita æterna, cum dicit, Ibunt hi nēpe impij, in supplicium æternum, iusti verò in vitā æternā. Quasi viuentes in suppliciis æternis, non dicantur propriè vitam habere æternam. Et meritò id quidem. Erit enim vita illa, mors: & ad hoc viuēt semper illi impij, vt semper moriātur. Viuent secundū substantiam & subsistentiam tam corporis quàm animæ, incorruptibiles & incōsumptibiles, vt in æternū moriantur, secundum damnationem & supplicia. Ita quia ipsorū viuere mori est, & vita morti quodāmodo seruit, meritò, illorū æternitas non cōputatur, & rectè dicitur illis non esse dandā dierum longitudinē, quæ iustis dabitur, æternitatē, scilicet, beatā. Nam quantū ad longitudinem dierum huius tēporis, fre-

*Psal. 90.**Psal. 48.**Matt. 25.*

2. Pet. 3.
Psal. 89.

quenter videmus, impios longiorem vitã ducere iustis. Verùm hæc dierum longitudo quantacunq; nobis videatur, dum trahitur, secundum veritatem tamen umbræ transeunti similis est cõputanda, quæ tantùm ad momentũ perdurat, & transit celerius. Quemadmodũ beatus Petrus ait, Mille anni ante dominũ sicut dies vnus, & dies vnus sicut mille anni. Et in Psal. dicitur: Quoniam mille anni ante oculos tuos, sicut dies hesternæ quæ præterit. Propter quem celerem transitum, & breuem terminum (vt suprã diximus) meritò umbræ transeunti vitæ præsentis tempus comparatur. Non solùm autẽ ipsorũ tempus sicut umbra trásit, sed simul etiã ipsi cũ suo tempore tráseunt, quoniã de vita ista temporali tráseunt ad mortem æternam.

Est & alia vanitas, quæ fit super terram. Sunt iusti, quibus mala proueniunt quasi opera egerint impiorum & sunt impij, qui ita securi sunt quasi iustorum facta habeant. Sed & hoc vanissimum iudico. Laudauit igitur letitiam, quòd non esset homini bonum sub sole, nisi quòd comederet & biberet atque gauderet, & hoc solùm secũ auferret de labore suo omnibus diebus vitæ suæ, quos dedit ei deus sub sole.

Personã Omnino hãc personã videtur induere
stulti as- hominis stulti, animalis & voluptarij, qui
confid

considerans in præfenti vita iustis plerif- *sumit sa*
 que euenire mala, quæ videtur deberi im- *piens.*
 piis: ecōtrario autem impiis bona quæ vi-
 dentur deberi bonis, scādalizatur vt præ-
 eligat vitam malam virtuti, non respiciēs *1. Cor. 2.*
 ad futuram retributionē, tanquam homo
 animalis, qui (iuxta Apostolū) non perci-
 pit ea quæ sunt dei, & nequit ea intellige-
 re, eo quòd debeant spiritualiter examina-
 ri, cū hic omnia secundū animale & sen-
 suale iudiciū velit discernere atq; diiudi-
 care. Atq; ita passus scandalum ab insipiē-
 tia sua, præfert vitā quæ in voluptatibus
 ducitur ei quæ in virtutibus, & illam huic
 prælegit ne in totum suo iudicio frustrer-
 tur gaudio. Cū enim aspiciāt stulti in fu-
 turam retributionē, & in præfenti tēpore
 vident bonis euenire mala, ecōtrario ma-
 lis bona, iudicant melius esse, vt nunc sal-
 tem tēporalibus bonis fruantur in malo
 quàm bene viuētes omni voluptate priuē-
 tur. Sub horum itaq; persona inter cætera
 hoc tanquam maximā vanitatem consi-
 derat Ecclesiastes, q̄ in hoc mundo bona
 malis & mala bonis frequēter eueniant:
 propter quod, iustitia & virtute contēpta,
 vtpote cuius nullus appareat fructus, vitā
 voluptariam & carnalē præfert in tēpora-
 li lætitia. Vnde quod dicitur: Sed & hoc

vanissimum iudico, nō secundū propriam sapientis Ecclesiastis sententiam accipiendum est, sed vt à tali aliquo pronuntiatum cuius personam induit. Quare autem vanam hanc & erroneam sententiā non refellat, ratio est, quia in præcedentibus factis id fecit, maximè in principio capit. secundi. In hunc modum exponit præsentē locum Gregorius Næocæsariensis in sua metaphrasi. Hiero. verò & Olympiodorus ad mysticam recurrunt intelligētiam, de cibo & potu spiritualibus.

Et apposui cor meum vt scirem sapientiam, & intelligerem distensionem, quæ versatur in terra: Est homo qui diebus & noctibus somnum non capit oculis. Et intellexi quòd omnium operum dei nullam possit homo inuenire rationem, eorum quæ fiunt sub sole. Et quanto plus laborauerit ad querendum, tanto minus inueniet. Etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire. Omnia hæc tractaui in corde meo, vt curiosè intelligerem.

Transit à vanis carnis voluptatibus ad studium scientiæ atq; sapiētiae, in qua plerique immodico sciēdi atq; desiderio detenti, adeò se diuexāt & excruciant, vt nocentes quoq; cum diebus infomnes ducant, vacantiū qui tamen post tot exantlatos labores, nisi *superuacua* mis quàm modicū omnibus suis vigiliis

& laboribus inuenire potuerunt, ita ut si fiat cōparatio eorum quæ nouerunt cum iis quæ adhuc ipsos latēt, minimum quid & velut nihil sit æstimandum quod nouerint, comparatione eius quod adhuc ignorant: quemadmodum prolixius diximus in commentario præcedentis capituli, circa enarrationem, verbi illius: Dixi, sapiens efficiar, & ipsa longius recessit à me multò magis quàm erat. Et alta profunditas, quis inueniet eam: Illic dicta sunt, quæ ad sententiam propositi sermonis explicandam dicenda erant. Quapropter breuitati cōsulentes, eadē replicare nolumus. Tantùm paucis ipsum verborum simplicē sensum explicemus: Dedi (inquit Ecclesiastes) cor meum, ad sciendum sapientiam, & ut considerarem occupationem illam qua plerique mortalium distenduntur & occupantur, adeò ut inueniantur nonnulli qui immodico sciendi desiderio noctes quoque ducant infomnes. Et deprehendi, quòd nullis quantúmuis magnis laboribus nullo studio quàmlibet immodico, posset homo comprehendere & penitus inuenire rationem operum dei, istorum etiam quæ fiunt sub sole, tum in creaturarum administratione, tum in humanarum rerum dispēsatione. Et quanto plus con-

UNIVERSITATIS

DE

tus fuerit ad perscrutandum opera dei, tãtò minus inueniet perfectam eorum sciẽtiam: quoniam quò amplius inquisierit, eò plura sibi videbit restare, & eo clarius intelliget minimum esse quod nouit. Atque etiam si dixerit sapiens se quædã nosse, pauca & modica ex infinitis & maximis, non poterit tamen reperire perfectam cognitionem eorum quæ querit, sed quasi nihilum computabuntur cognita, cum iis quæ adhuc ignorãtur collata fuerint. Vel aliter illud quod dicitur: *Quantò plus laborauerit ad quærendum tãtò minus inueniet, &c.* accipi potest, secundum id quod alibi dicitur: *Perscrutator maiestatis opprimetur à gloria.* Et iuxta id quod ait Apostolus. *Dicentes se esse sapiẽtes, stulti facti sunt.* Quod post omnia adiicitur: *Omnia hæc, &c.* solet cõmuniter referri ad præcedentia, quanquã ipse cõtextus sermonis Hebræi magis videtur ad sequentia dirigere sermonem. Coniungit enim sequẽtia præcedentibus per conjunctionem mediam, hoc modo: *Omnia hæc tractaui in corde meo, vt curiosè intelligerem omnia hæc, quòd sunt iusti atque sapientes & opera eorum, &c.*

ANNO

*Pro. 25.**Rom. I.*

ANNO TATIONES IN
caput octauum.

Sapiētia hominis lucet in vultu eius. Ex Hebræo alij vertunt: Sapiētia hominis illuminabit vel illustrabit vel lucere faciet vultū eius, id est, faciet eū gratiosum & cōmendatum ac honorabilem. Pro eo autem quod sequitur: Et potentissimus faciē illius commutabit. 70. interpres vertunt: Et impudens ore suo odietur, iuxta sensum contrariū parti præcedēti. Ex Hebræo alij vertunt: Fortis vel impudens facie sua mutabitur. Vel sic: Fortitudo siue impudentia faciei illius mutabitur. Nam fortitudinē interdū Hebræi pro duritia, impudentia vel audacia vsurpant. Hanc autem mutationem intelligunt de bono in malum. Alij sic vertunt ex Hebræo: Sapientia hominis lucere faciet vultū ipsius, & fortitudinem vel impudentiam vel crudelitatem vultus eius mutabit, vt significetur, per sapientiam auferri à vultu hominis quicquid posset offendere, ne tale quicquā in eo appareat. Ego os regis obseruo, & præcepta iuramēti dei. Ne festines, &c. Hunc locum iuxta 70. interpretes testatur Olympiodorus variè legi, iuxta variam distinctionem. Prior distinctio atq; lectio hæc est: Os regis custodi & de

verbo iuramenti dei. Ne studeas ambulare à facie eius. Cuius sensus hic est: Custodi os regis dei & de verbo iuramēti custodi te, id est, caue ne temerè iures. Et ne studeas ambulare à facie dei: hoc est, à deo recedere, & extra dei voluntatē viuere. Secū dum alteram distinctionē ita legitur: Custodi os regis & de verbo iuramēti dei ne studeas siue festines à facie eius ambulato. Cuius distinctionis hunc sensum assignat Olympi. De verbo iuramēti dei ne studueris vel festinaueris, id est, iuramēta ne temerè ac frequenter vsurpes: sed à facie ipsius, scilicet iuramēti ambulato, hoc est, abiste longius & discede à iuramento neq; omnino sustine vt in os tuum iuramentū admittas. Sermo illius potestate plenus est. In Hebræo est: In omni verbo regis potestas est, vel, secundū quod dixerit: rex potestatem habet, quemadmodum habet vetus æditio. In sentētia nihil est diuersum à nostra lectione. Tēpus & responsonem cor sapiētis intelligit. In Hebræo, pro responsonē, est iudiciū. Intelligitur autem hoc vel de iudicio humano, id est discretione hominis, ad hunc sensum. Cor sapientis nouit tēporis opportunitatē & nouit discretionem iudicij, id est discretē iudicare quid agendū sūt aut loquendum,

& quando : Vel de iudicio diuino futuro, quod sapiēs semper habet ante oculos: ad quē sensum facilè ducitur nostra lectio, si per respōtionē intelligamus examē illud nouissimū, in quo vnicuiq; erit respondēdum & reddenda ratio pro omnibus operibus suis. Nec finitur quiescere, ingruente bello. In Hebræo ad verbū legitur: Et non est dimissio in prælio. Quod eundem habet sensum: Non est euadere in die illo prælij, cum irruerit super nos mors, vt traiciat sagitta iecur nostrum. Alij sic legunt: Non est submissio vel substitutio in prælio, idest nō licet submittere vel substituire seruū aut filiū aut alium quemcunq; pro nobis ipsis, dum à morte oppugnamur sed ipsi occumbamus necesse est. Vel simpliciter, nō est emissio, idest euasio vel effugiū. Omnia in sensum nostræ lectionis recidunt. Vidi impios sepultos &c. Vetus æditio septuaginta interpretum satis nostræ lectioni consentit, habens in hunc modum: Vidi impios in sepulchra inductos, etiam de loco sancto, & venerunt, & ambulauerunt vel processerunt, & laudati sunt in ciuitate, quòd sic fecissent, id est, quòd iustorum fuissent operum. Nostra lectio paraphrasticè obscurā explicuit sententiam. Alij autem ex Hebræo, pro eo
quod

quod nos legimus laudabantur vertunt, obliuioni tradentur in ciuitate vbi hæc fecerunt, vel quòd hæc fecerunt. Vbi simul cum morte, significatur etiam memoria periisse mortuorum. Peccator ex eo quòd centies facit malum & sustentatur &c. In Hebræo: Peccator facit malum centies, & prolongat ei, supple Deus, vitam, vel elongat ei siue ab eo vindictam. Sunt iusti quibus mala proueniunt, quasi opera egerint impiorum, &c. Nostra lectio sensum paraphrasticè explicat. Textus nanq; Hebræus ad verbū sic habet: Sunt iusti, ad quos peruenit quasi opus impiorum: & sunt impij, ad quos peruenit quasi opus iustorū. Hoc est, iuxta sensum nostræ lectionis. Sunt iusti quibus sic accidit, tanquàm si opera haberent impia: & sunt impij, quibus sic accipit ac si opera haberent bona. Quidam Hebræorum subtili sensu præsentem locum ita enarrant: Accidit malum iustis in hoc seculo, non propter peccata eorum, sed vt tollantur ab eis peccata leuia, vt præmium suum accipiant perfectum in futuro seculo. Et econtrario bona malis eueniunt in hoc seculo, non propter ipsorum innocētiam, sed vt remunerationem aliquam accipiant pro qualicunq; iustitia, quam aliquando hîc operantur. Nemo enim

enim tam impius, qui non interdum boni aliquid agat, vel secundum morem & genus suum. Et hoc solum secum auferret de labore suo. In Hebræo est: Et hoc adhærebit ei de labore suo. Vel, & hoc lucrabitur pro labore suo. Et intellexi, quod omnium operum Dei, &c. Ex Hebræo ad verbum ita legendum: Et vidi omne opus Dei, quod non potuit homo inuenire opus quod factum est sub sole, propter quod laborabit homo ad inuestigandum, & nō inueniet. Quintiam si dixerit sapiens cognoscere vel ad agnosendum, non potuit inuenire.

NONI





NONI CAPITIS

Commentarius.



Vnt iusti atque sapientes, & opera eorū in manu Dei, & tamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta: eo quod vniuersa equè eueniant iusto & impio, bono & malo, mundo & immundo, immolanti victimas & sacrificia contemnti. Sicut bonus, sic & peccator, vt periurus, ita & ille qui verum deierat.

Proponit hīc Ecclesiastes considerationem quādam de operibus iustorum, proculdubio mirabilē: quomodo videlicet iusti & sapientes, quorū opera sunt in manu Dei, i. opera secundū Deum facta & à Deo directa, opera verè bona, nequeant tamen per sua opera certò cognoscere, donec in odio digni sint, an odio Dei: nequeūt certò cognoscere, vtrū an amore. illa sua opera verè sint accepta deo, an minus, & an propter sua illa opera tandē sint saluandi, an nō. Idq; propterea, quoniam nullo

nullo certo indicio vel argumento externo Deus mōstrat amicitia, vel inimicitia, amorem vel odium: æqualiter in præfenti tempore benefaciēs bonis atque malis, se contēnentibus & se obseruantibus, piis & impiis. Iuxta quod in Euāgelio dominus ait cęlestē patrem benignū esse & beneficū bonis & malis, æquē super iustos atq; iniustos pluentē, & solem suum facientem oriri sup gratos & ingratos. Sic itaq; Deus nunc suorum electorum opera approbat occulto suo iudicio, & sic iustos pro operibus suis amicos & charos habet approbatione, & electione secreta, vt tamen ipsos latere velit suam illam electionē vel dilectionem, donec veniat dies illa, in qua reuelabuntur omnia, & vniuscuiusque opus quale sit (iuxta Apostolū) manifestabitur. Et licet etiam in præfenti tēpore nōnullis signis, probabilibus & tenuibus quibusdā indiciis possit homo aliquatenus cognoscere, ac velut opinari siue confidere aut sperare in amore Dei se esse: non tamen certa cognitione id valet cognoscere, quę ipsum reddat securum. Vnde & Paulus Apostolus ait: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Hoc est: Confido quidem, & spero, me sub amore Dei esse, eo quod nullius mali sim mihi
consci

*Matt. 5.**1. Cor. 4.**Ibidem.*

2. Cor. 1. conscius: iuxta quod etiã alibi ait: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiaë nostræ. Veruntamen non propter hoc certò pronuntiare ausim me esse amore dignum. Nam quamuis ego ita iudicẽ, fortitã Dominus aliter iudicat. Propter quod subiungit: Qui autem iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoad usque veniat Dominus, qui & il-

1. Cor. 4. luminabit abscondita tenebrarum & manifestabuntur consilia cordiũ, & tunc laus erit vnique à Deo: Hoc videlicet est quod noster ait Ecclesiastes, nescire hominem an amore an odio dignus sit, sed omnia in futurũ seruari incerta. Omnia (inquit) seruãtur incerta nunc & incognita: seruantur autem in futurum in illum, scilicet diem examinis nouissimi, vt tunc fiant manifesta. Quomodo & in conclusione huius libri dicitur: Cũcta quæ fiunt ad-

*Duplex
intelligen-
tia.*

ducet Deus in iudicium. Potest autem dupliciter intelligi quod dicitur. Primo modo, de amore præsentis meriti, vel odio præsentis demeriti, in hũc sensum. Nemo certè nouit, vtrũ in eo sit statu, vt dignus sit qui ametur à Deo, vel vtrũ opera talia habeat verè bona & accepta deo, propter quæ dignus sit amari à deo. Secũdo intelligitur præsens dictũ de amore finali & odio

finali

finali, in hunc sensum. Nemo nouit, vtrū finaliter dignus inuenietur amore dei, an odio. Vel de amore prædestinationis & odio reprobationis, quod in idem redit, vt fit sensus: Nemo nouit, vtrum prædestinatus sit atque saluandus, aut præscitus siue damnandus. Secundū vtrunque autem intellectum habet præsens verbum Ecclesiastis veritatem. Primū enim nemo certo nouit, an in eo sit statu in quo dignus sit amore Dei aut an opera talia habeat propter quæ dignus sit amari à deo. Si quidem nemo dignus est amari à deo nisi in quo est charitas dei, iuxta id quod ait Apostolus, Si quis diligit deum, hic cognitus est ab eo, hoc est, diligitur ab eo. Hoc enim est à deo cognosci, ab eo approbari ac diligi. Quemadmodū in Psalmo dicitur: Nouit dominus vias iustorum. Cōtrā verò, fatuis virginibus & aliis quibusdam innaniter de miraculorum potestate gloriantibus, dicitur: Nescio vos, quia scilicet vos non approbo, non diligo. Nemo autem dignus est amari à deo, nisi propter opera bona ex charitate siue ex fide per charitatem operante procedentia. Quemadmodum sanctus Apostolus indicat, dicens: In Christo Iesu neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed fides quæ

I. Cor. 8.

Psal. 1.

Matt. 7.

Mat. 25.

Gal. 6.

per charitatē operatur. Et alibi: Circunci-
 sio nihil est: & præputiū nihil est, sed obser-
 uatio mandatorū dei. Et dominus in Euā-
 I. Cor. 7. gelio ait: Si vis ad vitā ingredi, serua man-
 data. Observatio verò mandatorum dei,
 Mat. 19. sine charitate nemini est possibilis. Ne-
 Nemo cer- mo autem absque speciali reuelatione dei
 to nouit certò potest scire se habere charitatē qua
 se habere diligitur deus super omnia. Tæcti enim
 charitatē. ex operibus suis possit charitas utcunque
 deprehendi, & de ipsius præsentia proba-
 bilis cognitio haberi, iuxta illud quod ait
 beatus Gregori. Amor dei operatur ma-
 gna, si est: si operari renuit, amor non est,
 certa tamen notitia non potest cognosci,
 an insit an absit: Tum quòd eius actus sit
 ad similes cum operatione amoris natura-
 lis, ita ut vix oculatissimus possit discer-
 nere inter affectionem naturalis amoris,
 qui à natura est insitus, & affectionem su-
 pernaturalis charitatis, quæ per spiritum
 Rom. 5. sanctū infunditur cordibus nostris. Multi
 Obserua- enim multa & magna operantur, quæ ex
 hac dili- miro videntur amore procedere, vbi ta-
 genter. men radix non est diuinæ charitatis, sed
 tantū impetus & feruor naturalis amoris.
 Quemadmodū videlicet homines multū
 cholericos, feruore multo quē illis submi-
 nistrat cholera ardentem magno nonnun-
 quam

quàm zelo videmus cōmoueri. Melan-
 lia graues, à multis quibus vtuntur cæte-
 ri, mirabiliter videmus abstinere: sangui-
 neos verò multa cōpassione subinde per-
 moueri, & libertatem magnam in distri-
 buendo ostēdere. Phlegmaticos item lon-
 ganimitatem & patientiā quandā natura-
 lem, etiam magnis in rebus, exhibere. In
 quibus tamen omnibus contingit peni-
 tus abesse radicem charitatis. Hinc Pau-
 lus Apostolus, de charitatis eminentia ver-
 ba faciens ait: Et si habuero prophetiam, *I. Cor. 13.*
 & nouerim mysteria omnia, & omnē sci-
 entiam, & si habuero omnem fidem, ita
 vt montes transferam, charitatem autem
 non habuero, nihil sum. Et si distribuero
 in cibos pauperū omnes facultates meas,
 & si tradidero corpus meū ita vt ardeam,
 charitatem autem non habuero, nihil mi-
 hi prodest. Quæ verba licet secundū hy-
 perbolen videantur intelligenda, tacitè
 tamē in eis videtur indicare voluisse Apo-
 stolus: ea etiā quæ hominibus permagna
 plurimūmque suspicienda videntur & in-
 credibilis sanctimonix signa, posse fieri
 absque vera dei charitate, & absque cæle-
 stis regni merito. Ex istiusmodi igitur ex-
 ternis operibus, quantūlibet hominū exi-
 stimationi magna videantur, non potest

homo certū accipere testimoniū, quòd a-
 more dignus sit. Quid enim maius inter
 externa possit videri, quàm in pauperum
 subuentionē vniuersas facultates impen-
 dere, quod perfectionis disciplinā inqui-
 renti dominus Iesus legitur respondisse:
Matt. 19. aut corpus ad flāmas tradere, in quo pluri-
 morū martyrū celebratur nobis gloria?
 Et tamē sine charitate possunt ista fieri, &
 facta amorē dei non promereri. Quæ igitur
 externa esse poterūt, è quibus firmum
 poterit sumi testimonium? Sed dices: Ea
 quæ deinde apud Apostolū sequūtur, cūm
1. Cor. 13. ait? Charitas patiens est, benigna est, non
 æmulatur, non agit perperā, non inflatur,
 non est ambitiosa, &c. hæc videntur esse
Obiectio- certa charitatis indicia. Quis verò poterit
nis propo- nosse, si hæc omnia in se ita vt oportet ha-
sita solu- beat? Esto enim in te sentias patientiā ali-
tio. quam: & benignitatis nō nihil, percipis te
 non ita multū ambitione inflari, non ira
 vexari aut inuidia torqueri: sic & de aliis
 quæ narrat Apostolus, esto tibi videaris
 secundū partem aliquā ea in te persenti-
 re: quī tamen scire poteris: an tanta sit in
 te horū bonorū mensura atque perfectio,
 quantā requirit charitas? Fortē enim mi-
 nus habes in horū aliquo, quàm charitas
 patiatur. Quis nosse potest, si patientiā in
 se

se tantam habeat, tantam benignitatem, tantam mansuetudinem, quantam requirit diuina charitas? Aut si ab æmulatione, irritatione, ambitione, aliisque malis abstineat, quantum illa deposcit. Maximè cum singula prædictorū homini possint inesse à natura, absque charitate. Vt potest homo ex naturali cõplexione exhibere patientiã magnã, & benignitatẽ multam ostendere, potest cauere ab ira, æmulatione, ambitione, aliisque malis, ne multum se prodant, in quo tamen non erit charitas. Cum igitur neque ex his quæ ut proprios effectus & peculiare proprietates assignat Aposto. certò possit colligi præsentia charitatis, manifestum est, nulla ex re posse certò sciri ab homine quantum bono, quo in statu uiuat, sic ut sciat, amore an odio dignus sit. Quòd si quis obiiciat illud Apostoli: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, &c. ac deinde: Certus sum enim,*

Obiectio altera.

Rom. 8.
quia neque mors, neque vita, neque angeli, &c. Neque creatura alia poterit nos separare à charitate dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro. In hoc enim verbo Paulus videtur ut certum asserere, se habere charitatem dei, in super & hoc, quòd non possit illam perdere, ac proinde certò

cognouisse videtur, quòd amore dignus esset, quoniã qui certus est se habere charitatem, hunc consequens est certò cognoscere, quòd amore dignus sit. Obiectioni huic responderi solet à quibusdam, Paulù ex reuelatione cognouisse, quòd charitatem haberet, ac proinde amore dignus esset. In proposito verò fit sermo de cognitione hominis, absq; reuelatione diuina.

Obiectio- nis resolu- tio prior. Veruntamen & aliter responderi potest, dicendo, Apostolum in prædictis verbis præcipuè voluisse commendare præcellentiam & fortitudinem charitatis. Dixerat enim paulo ante: Scimus, quòd diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. Quo verbo indicauerat, charitatem ita hominem in quo fuerit roborare, vt nullius creaturæ virtute possit superari, neq; per vllius creaturæ vim aut violentiam illa spoliari, id quod veritatem habet certissimam. Quemadmodum enim solus spiritus sanctus charitatem in cordibus electorum diffundit, nulla autem creatura potens est eam donare, sic idem ipse spiritus sanctus eam in nobis per se conseruat & custodit, donec per peccatum nos ipsos ea reddamus indignos, eamque velut expellamus ab anima. Nulla autem externa violentia nobis eam potest adimere.

Altera responsio.

Roma. 5

Atque

Atq; hoc est cuius declarationem sanctus
Apostolus multis verbis prosequitur, di-
cens: Si deus pro nobis, quis contra nos? &
cætera multa quæ deinde sequuntur. Vbi
manifestè vides ex ipsa ratione sermonis,
dicendo: si deus pro nobis: ipsum non de-
finitè asserere, quòd habeat charitatem,
sed hoc tantùm præsupponere, & loqui de
se vt charitatem habète. Ac deinde ex hac
suppositione adiungit, dicens: Quis ergo
nos separabit à charitate Christi? Quasi
dicat: Eo supposito quòd deus sit pro no-
bis, quòdque nobis ipse dederit suam cha-
ritatem, quid iam inueniri poterit tam
potens aut violentum quod nobis possit
auferre illam tam dignanter donatam à
deo? Et post pauca concludens, subiungit:
Certus sum enim, quia neq; mors neq; vi-
ta poterit nos separare à charitate. Secun-
dum quem verū & genuinū Pauli intelle-
ctum manifestū est aduersus prædicta ni-
hil cōcludi. Nos enim impresentiarū hoc
tantùm dicimus, neminē certò scire, an in
charitate vera existat. Apostolus verò non
aliud ibi indicat, nisi charitatem dei eos
quos repleuerit aduersus omnia oppugnā-
tia sufficienter munitos reddere, vt nihil
sit in eis damnationis qui eam habent, sed
vertantur eis in bonum omnia: quod no-

stro proposito nihil aduersatur. Relinquitur itaque secundū prius assignatam intelligentiā de amore præsentis meriti & odio præsentis demeriti, verum esse nostri concionatoris verbum: Nescit homo, vtrū odio an amore dignus sit: quoniam videlicet nemo certò nouit, an secundū præfens meritum dignus sit amari à deo. Vbi tamen aduertendum est amorem istum intelligi debere non generalem, sed specialem, quo deus suos amat amicos & filios. Amore nanque generali, digna est amore dei omnis ipsius factura, & amore isto amat omnia secundū bonitatē naturæ quam ipse condidit. Odio quoque huic amori opposito, nullā creaturā potest odire deus. Iuxta quod alibi dicitur: Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorū quæ fecisti: nec enim odiens aliquid cōstituisti aut fecisti. Et in principio Geneseos dicitur:

Amor dei generalis & peculiaris.

Sapient. II.

Gene. I.

I. Tim. 4.

Vidit deus cuncta quæ fecerat, & erāt valde bona. Paulus quoque ait: Omnis creatura dei bona est. Non potest autem non diligere deus omne quod bonitatem aliquam habet, quoniam ab ipso est omnis bonitas. Amor ergo iste intelligendus est amor specialis atque gratuitus, quo suos amicos & filios amat deus, tanquā vita æterna secundū eum statum in quo sunt dignos.

Alter intellectus verbi propositi de am-

gnos. Et odium intelligitur speciale il-
 lud, quo impios odire dicitur, tanquã re-
 probari dignos propter impietatem. Ha-
 bet item veritatem præsens Ecclesiastæ
 verbũ in sensu altero, de amore finalis ap-
 probationis, & odio finalis reprobationis.
 Nemo enim nouit, vtrum à deo sit præde-
 stinatus ad vitam, an præscitus ad mortẽ:
 vtrum finaliter sit assumẽdus ad gloriam,
 aut reprobãdus ad pœnam. Qui enim ho-
 die bonus est, & secundum præsens meri-
 tum amore dignus, fortè post diem vnã
 aut alteram secundum demeritum quo of-
 fendet, nõ permanebit amore dignus, sed
 efficietur dignus odio. Vnde licet ad tem-
 pus quis bonus sit, & secundum præsens
 meritum dignus amore, non tamen con-
 sequitur ipsum esse electum ad vitam aut
 dignum amore illo finalis approbatio-
 nis & beatæ remunerationis. Multi enim
 (iuxta verbum domini) sunt vocati, pauci
 verò electi. Hinc Paulus apostolus suos
 præmonet, dicens: Qui stat, videat ne ca-
 dat. Et alibi: Tu fide stas, noli altum sape-
 re: sed time. Et iterum aliis in locis, quã
 sollicitè suos admonet, viuere dignè voca-
 tione qua erant vocati, & dignè deo à quo
 vocati fuerant. Petrus quoq; vocatus hor-
 tatur satagere, vt per opera bona, voca-

*Mat. 22.**1. Cor. 10**Rom. 11.**Ephe. 4.**2. Pet. 1.*

tionem suam faciant. Contrà quoque, quĩ secundum præsens demeritum digni sunt odio, non est necesse, vt finali odio, siue odio reprobationis sint digni, quoniam qui nunc malus est, & odio dignus secundum præsens demeritũ, potest agere peccatorũ suorũ pœnitentiã & amore dignus fieri:

Mat. 1.

Iuxta quod ait Saluator noster in euangelio: Pœnitentiã agite & credite euãgelio: appropinquabit regnũ cœlorũ. Sunt autẽ vtriusque partis, tum in sacris historiis, tum in vita cõmuni, exẽpla plurima: quorum illa hominẽ quantũuis ornatũ virtu-

Prout. 28.

Iob. 9.

tibus, meritò semper debẽt (iuxta Sapientis verbũ) reddere pavidũ, vt cũ beato Iob vereatur omnia opera sua. Hæc vero peccatorem quantumlibet sordidum debent erigere ad spem consequendæ veniæ, ne computrescat & pereat quasi iumentum in stercore suo. Ob hoc enim potissimũ

Iob. 2.

Propter bonũ nostrũ voluit deus celatũ nobis si nẽ nostrũ.

videtur deus voluisse hominem celare huius rei cognitionem, ne qui prædestinatos se scirent & amore dignos vana securitate torperent à studio bonorum operum, aut qui reprobandos se ante tempus cognoscerent animo deiecto, & desperato ad quæuis sine freno vitia peragenda sese dederent. Nunc verò, dum & prædestinati & reprobandi æque ignorant quid de se sit

se sit agendū, inter spem metūmq; dubij,
 per spem quidem eriguntur qui cecide-
 rint vt resurgāt, per timorem verò sufful-
 ciuntur qui stant ne cadāt, & in bono ope-
 re firmantur ne otio torpeant. Qui enim
 in peccatis se esse cognouit, dum ignorat
 odio sit an amore finali dignus, confidens
 se posse fieri dignum amore, etiamsi nunc
 dignus sit odio, hinc sibi sumit fiduciam
 resurgendi à malitia virtutēque sectan-
 di, dicēs cū Propheta: *Quis scit, si conuer-* *Iohel. 2.*
tatur deus, & ignoscat, & relinquat post
se benedictionem? Contrā, qui in testimo-
nio bonæ conscientix opinatur se modò
in amore dei esse, quia ignorat vtrum fi-
nali odio vel amore sit dignus, sciens in
vita ista se non esse securum, sancto timo-
re compefcitur, ne in se inflatur superbia
aut contabescat acidia, sed magis vt vo-
cationem suam per bona opera certam fa-
ciat, bona sollicitudine indefesam curam
geret. Propter quod Paulus Apostolus ait:
Cū metu & tremore salutem vestrā ope- *Phil. 2.*
ramini. Et Psalmista: Seruite domino in *Psal. 2.*
timore, & exultate ei cum tremore. Et per
Sapientem dicitur: Qui sine timore est, *Eccle. 1.*
non poterit iustificari. Et iterum: Si non
in timore domini tenueris te instanter,
citò subuertetur domus tua.

Hoc

Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole fiunt, quia eadē cunctis eueniūt. Unde & corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita sua: & post hæc ad inferos deducuntur.

Quæstio Quomodo potest pessimum dicere vir
proponi- sapiens, quod ita Deus secundum suæ sa-
tur ex ver pientia occultum consilium vult fieri? An
bistextus. potest esse malum Dei propositum, qui to-
 tus est bonus & perfecte sapiens? Nonne
 itē diuina bonitas peculiari modo in hoc
 clarificatur quod ita bonis & malis in præ-
 senti tempore, æquē omnia eueniant? Sic
 enim in sacro euangelio filius hoc patris
 ascribit beneficentiæ & perfectioni, nos
 quoq; ad exempli illius imitationem inui-
 tans, dum ait: Diligite inimicos vestros,
Mat. 5. benefacite his qui oderūt vos, & orate pro
 persequentibus & calumniantibus vos, ut
 sitis filij patris vestri qui in cælis est, qui so-
 lem suū oriri facit super bonos & malos,
 & pluit super iustos & iniustos. Ac post
 pauca: Estote ergo vos perfecti, sicut pa-
 ter vester cælestis perfectus est. Et apud Lu-
Luc. 6. cam in eandem sententiā dicitur: Diligite
 inimicos vestros, &c. & eritis filij altissi-
 mi, quia ipse benignus est super ingratos
 & malos. Estote ergo misericordes, sicut
 & pater vester misericors est. Quomodo
 ergo

ergo potest hoc dici pessimum, quòd cun-
 ctis eadè eueniūt? Duplex potest quæstio- *Responso*
 ni adhiberi respōsio. Prior est, dicendo ver *ad quæ-*
 bum istud pronūtiari ex persona inspien *stionem*
 rium: quemadmodū & ad quæ paulò pōst *prior.*
 sequuntur ex ore stultorū videntur profer-
 ri. Homo nanque animalis qui non nouit
 quæ dei sunt, secundū suum humanū atq;
 mundanum iudicium pessimum hoc esse
 iudicabit æquè benefacere bonis atq; ma-
 lis: & non respiciēs ad retributionem pōst
 venturam, tantū attendens bona ac ma-
 la præsentia iudicabit hoc planè iniquum
 esse, vt non melius fiat bonis & bene me-
 ritis, quàm malis ac malè meritis. Natura
 enim docemur specialibus beneficiis affi-
 cere illos qui nobis priores benefecerūt,
 aut qui de bonis sunt bene meriti. Iudicat
 igitur animalis homo esse rationi cōtra-
 rium & naturali æquitati aduersum consi-
 lium Dei: & euenit illi quod dicit Apосто-
 lus: Animalis homo non percipit ea quæ *1. Cor. 2.*
 sunt spiritus Dei. Stultitia enim est illi, ip-
 sum videlicet quod est dei: & nō potest in-
 telligere, quia spiritualiter eximinatur. At
 verò spiritualis homo, qui secundū spiritū
 dei omnia scrutātem, etiam profunda dei,
 omnia iudicat, qui in futuram retributio-
 nem aspicit tam differētem, venturam su-
 per

per bonos & malos: hic lōgè optimum & sapientissimum iudicat esse consiliū Dei: sic ipsius liberalissimæ & patientissimæ bonitati consonum, vt tamen æquitati rectissimæ iustitiæ in nullo sit aduersum, aut rationi contrarium. Huius sententiæ est Olympiodorus in propositum locum ita scribens: Quòd autem malum vocauerit communionem illam, equalitatēque euentuum, ita intelligendum est, vt hæc verba proferantur ex persona prauè de rebus ipsis iudicantis. Altera est responsio, dicendo verbum istud ex persona sapientis pronuntiari: pessimum verò, non nisi secundum occasionem dici, eo quòd plurimorum videatur esse malorum occasio inter homines, quòd ita æqualiter bonis ac malis omnia eueniant. Cuius declaratio statim subiungitur: dum consequenter dicitur: Vnde & corda filiorum hominum implentur malitia & contemptu in vita sua: & post hæc ad inferos deducuntur. Si enim Deus in præsentī tempore malis non æqualiter sua præstaret beneficia vt bonis, sed malos duris tormentis & cruciatibus affligeret, bonos verò abundantia bonorū omnium satiaret, hac inæqualitate auocarentur homines à malitia & contemptu, quibus nunc in præsentī vita
impl

*Responsio
posterior.*

implentur. Nunc verò, dum impiis nihil ob suam malitiã obtingit mali, imò viuūt in impietate sua voluptuosius, iustis verò per suam iustitiã nihil accedit bonorum quæ videntur in hoc tempore, sed magis afflictiones & persecutiones sustinent in iustitia sua, iuxta illud Apostoli: Omnes 2. Ti. 3. qui piè volunt viuere, persecutionem patiuntur, occasionē hinc sibi impij sumunt peccandi liberius, & sine vlllo retinaculo adiiciendi peccata peccatis: ita vt impleantur corda eorū peccatis, ac tandem in contemptum veniant. Iuxta quod per Sapientem dicitur: Impius cum in profundum venerit, contemnit. Et per Apostolum de Prou. 18.
Eph. 4. iisdem dicitur: Qui desperātes siue (vt ex Græco rectius legendum putat Hieronymus) indolentes, tradiderunt semetipsos impudicitia, in operationē omnis immunditiæ, &c. Atque hoc modo patet, quòd non insipienter dixerit sapiens, secundum occasionem malum & pessimum hoc esse, quòd ita cunctis eadem eueniant: neque hoc dicendo, vllam diuinæ sapientiæ aut bonitati fieri iniuriam.

Nemo est qui semper viuat, & qui huius rei habeat fiduciam. Melior est canis viuus, leone mortuo. Viuentes enim sciunt se esse morituros. Mortui verò nihil nouerunt amplius, nec habent

bent ultra mercedem, quia obliuioni tradita est memoria eorum. Amor quoque & odium & inuidie simul perierunt: nec habent partem in hoc seculo & in opere quod sub sole geritur. Vade ergo & comede in letitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua. Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat. Perfruere vita cum vxore quam diligis, cunctis diebus vita instabilitatis tue qui dati sunt tibi sub sole, omni tempore vanitatis tue. Hæc est enim pars in vita & in labore tuo, quo laboras sub sole. Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.

Hæc omnia cum iis quæ sequuntur, tamen si accipi & exponi possint vt ex persona sapientis dicta: secundum mysticam intelligentiam (quemadmodum posterius explicabitur) videtur tamen magis consonū literæ, vt accipiãtur dicta in persona hominum voluptariorū atque insipientium. Quia enim statim dixerat pessimum esse quod sic eadē omnibus eueniãt, quòdque inde corda hominum impleantur malitia & contemptu, donec ad inferos perueniãt: iccirco nunc congruè subiung

Personã
hominū
stultorū
assumit
sapiens.

iungens modū exprimit, quo se homines
 illi mali ad abundantiam malitiæ exhortan-
 tur, & quomodo in contemptū illum ve-
 niant, vt peccata nihili æstiment & absq;
 vllō timore mala perpetrēt. Primò itaq;
 mortis hi sibi proponunt certitudinem,
 quam vident se nō posse effugere: deinde,
 quā miserā sit iuxta ipsorū falsam æsti-
 mationē conditio mortuorū, considerant,
 eo q̄ omnium expertes sint & ignari quæ
 sunt in seculo isto: ac deinde, ad perfruen-
 dū voluptatibus vitæ huius se cohortan-
 tur, vt saltē hoc tempus breue quo super
 terram conceditur viuere in voluptatibus
 suo iudicio fœliciter expendant. Est autē
 sermonis ipsorum exordiū rectum & ve-
 rum, sed malo tandē fine clauditur. Cū
 enim dicunt, mortis certitudinem cōside-
 rantes, Nemo est qui semper viuat, & qui
 huius rei habeat fiduciam, verè dicūt, ne-
 que verbum hoc est insipientiæ, intellectū
 de vita ista qua super terram viuatur. Hæc
 est enim lex super omnes filios Adam, ex
 generali decreto quo dixit dominus Adæ
 & vniuersis posteris eius: Puluis es & in
 puluerem reuerteris. Iuxta quod sanctus
 Apostol. ait: Statutū est hominibus semel
 mori, post hoc autem iudicium. In eo autē
 quod deinde adiiciunt: Melior est canis

Gene. 3.

Heb. 9.

*Sors viuo
rum præ-
ferēda vi-
detur sor-
ti mortuo-
rum.*

viuus leone mortuo, figurata loquutione significare volunt, conditionem vilissimā inter viuentes præferendam esse conditioni præstantissimi mortuorum, id est, inter eum qui inter viuentes vilis etiā est atque despectus (quemadmodū canis comparatione ad leonem despicitur) meliori statu & conditione esse, illo qui dum viueret magnus & honorabilis fuit (quomodo est leo inter cætera animalia præcipuè nobilis) nunc autem morte absumptus omni sua gloria priuatus iacet ignobilis. Cuius dicti declarationem statim adnectunt, rationem assignantes, quæ dixerint, sortē viuentium esse præferendam conditioni mortuorū, his verbis: Viuentes enim sciūt se esse morituros, mortui verò, nihil nouerunt amplius, nec habent ultra mercedem: quia obliuioni tradita est memoria eorum. Viuentes (inquit) saltem hoc sciunt, quod sint morituri. In quo verbo, paululū quid exprimentes, plura intelligunt. Perparam enim est viuenti, scire quod sit moriturus: sed qui hoc nouit, nondū mortuus est ille, & nouit adhuc quæ apud viuentes aguntur, olectationemq; habet in illis, & frui potest viuētium voluptatibus. Cui enim mors restat, hic morte nondum absumptus est: sed in vita degit, mortaliū
volup

voluptatibus adhuc valens perfrui. Mortui verò qui nō sciūt se morituros, quibus nō in futurum mors restat, sed in præterito iam morte absumpti sunt, hi nihil amplius nouerunt, insipientiū & carnalium iudicio ac proinde nullā vltra possunt habere oblectationē in re qualibet, non amplius quàm lapis aut truncus in quo non est intellectus. Existimant nanq; insipientes & voluptarij isti, quòd cum corpore simul intereat anima, quemadmodū brutis contingit: atque ideò sibi persuadent, post mortē nihil scire homines, nihil amplius quàm animalia bruta cum morte fuerint absorpta. Ad idē spectat quòd addūt: Nec habēt vltra mercedē, id est, nihil illis manet præmij post mortē, sicut animalibus brutis post mortem nihil mercedis relinquitur. Quia obliuioni tradita est memoria eorum, tam coram deo, quàm corā hominibus: quoniam iuxta illorū existimationem, non cogitat deus de mortuis vlla mercede remunerandis, neq; vllam de eis vltra curam gerit post quam mortui fuerint, quemadmodum neque brutorum. Dicitur enim memoria illius obliuioni tradita, cuius nō vltra cura geritur: quemadmodum econtrario dicimus cogitari de illo & illum esse in memoria, cuius ha-

betur cura sollicita. Apud homines verò
 quomodo mercedē nullam vltra habeant
 & quomodo obliuioni tradatur eorū me-
Memoria, ad oculū quotidie cernimus. *Qui*
ria mor- enim per mortē ex mundo discesserūt, ni-
tuorū pe- hil vltra ex mūdo consolationis vel gau-
rit homi- dij possunt percipere, & sicut nihil ipsi va-
nibus. lent secū deferre, dum emigrant, iuxta il-
Psal. 48. lud Psal. Diues cū interierit non sumet
 omnia, neq; descēdet cum eo in infernum
 gloria eius, ita post discessum nihil à su-
 perstitibus ad illos potest trāsmitti, quod
 eis ad vllam vsum vel consolationē possit
 proficere. Vnde fit, vt viuētes non vltra co-
 gitent aut sollicitudinē gerāt pro mortuis
 ad vlla obsequia vel beneficia præstāda iis
 quibus prodesse non possunt. Adiungunt
 deinde: Amor quoq; & odium & inuidiæ
 simul perierunt, nec habent partē in hoc
 seculo, & in opere quod sub sole geritur.
 Quod verbum intelligi potest de amore,
 odio & inuidia quibus mortui afficeren-
 tur erga viuētes, vel econtrario, quibus vi-
 uentes illis defunctis afficerentur sub il-
 lis tribus expressis affectibus alios quoq;
 subaudiendo, qui non exprimuntur. Vt fit
 sensus, neque mortuos vltra affectionibus
 moueri erga viuētes, quemadmodum so-
 lent cū viuerent, neque viuētes vltra
 erga

erga illos affici, quoniã obliuoni traduntur ab ipsis, sicque vtrique obliuiscuntur alterorum, & desinunt vtrique erga alteros affici, vt ostendantur omnino nihil commune habere mortui cum viuētibus, dum neque cognitio illis vlla neque affectio pristina relinqui dicitur. Quod clarius explicat clausula sermonis, qua dicitur: Nec habent partem in hoc seculo, & in opere quod sub sole geritur. His itaq; velut pro fundamento vanitatis suæ præmissis, pergunt insipientes suæ prauæ exhortationis ædificium superstruere, dicentes: Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia deo placent opera tua. Posteaquam (inquiunt) breue est vitæ præsentis tempus, & post modicum nihil futuri sumus, neq; quicquam tunc habituri consolatio nis aut gaudij, venite & fruamur bonis huius vitæ, quandiu nobis conceditur tempus vitæ præsentis, ne omnino priuemur sensu bonorum. Enumerant autem illa particulariter in quibus potissimum consistit voluptas corporis, nempe ciborū ac potuum delicias, vestium ornatum, odoramentorum suauitatem, rerum carnalium vsum, quæ per ordinem particulatim enarrant. Primum quidem, dum aiunt

*Sermo**stultorum**& volu-**ptariorū**hominum**ad volu-**ptates se**exhortans**tium.*

Vade ergo, & comede in lætitia panē tuū,
 & bibe cum gaudio vinum tuum. In quo
 potest intelligi quicquid solet deliciarum
 & gaudiorum in huiusmodi voluptariis
 conuiujs adhiberi. Vnde signāter dicunt:
 Comede in lætitia, & bibe cū gaudio. Or-
 natum autem vestium pulchrē notāt, cū
 aiunt: Omni tempore sūt vestimenta tua
 candida, id est, splendidis semper induere
 & ornatis vestibus, quibus fias omnibus
 cōspicius & habearis gloriosus. Candida
 nanq; vestimenta ad gloriam & magnifi-
 centiam pertinent. Propter quod, trium-
 phatores olim candidis solent indui vesti-
 bus. Et in euāgelio de superbis Scribis le-
 gimus, q̄ amabāt in stolis ambulare, quæ
 sunt vestimenta insigniter candida. Odo-
 ramētorum suauitatē consequenter indi-
 cant, cū adiungūt: Et oleū de capite tuo
 non deficiat. Sub oleo nanq; omnia pre-
 cioforum vnguentorū genera intelligun-
 tur, quoniam ex oleo cōficiuntur vnguen-
 ta. Vnguēta autē & oleum adhiberi solita
 ad delicias, est manifestū. Hinc enim per
 Psal. 103. Psal. dicitur: Vt exhilaret faciē in oleo. Et
 Judic. 10. de Iudith legimus, cum se pararet ad illi-
 ciendū atq; decipiendū Holofernē, vnxi-
 se se vnguēto optimo. Postremò, venerē
 rei oblectationem notant, dicentes: Per-
 fruere

fruere vita cum vxore quã diligis, cunctis diebus instabilitatis tuæ qui dati sunt tibi sub sole, omni tēpore vanitatis tuæ. Quod enim dicitur: Perfruere vita cum vxore quã diligis, honesta circumloquutione eã significat quæ est in coniugali cōmercio delectationē. Caterum, dies vitæ instabilitatis hominis & tempus vanitatis eius, dicitur totum tempus vitæ præsentis, eo quòd vita ista instabilitatē & vanitatē habeat, propter defectum & transitum: quoniam & ipsi transeunt, & nos in ipsis cōtinuò labimur, atq; ad finem tendimus. In hac autē exhortatione sua, insipientes isti mundo sapiētes, ad eam confirmandã, quo efficacius persuadeant, duo quædam intexunt, quæ ad persuadendū videntur efficacia: Prius est, quod in exhortationis principio dicitur: Quia deo placent opera tua. Quasi dicant, Fidenter letare & fruere iis quæ tibi conceduntur voluptatibus, in cibo potu ac reliquis. Neque est cur deum metuas aut propter ipsum ab huiusmodi abstineas, quum non possis scire an placeant an displiceant illi opera tua, imo cum magis appareat illum tua opera approbare dum nullam tibi vindictam infert, sed æquè tibi omnia eueniunt sicut aliis, qui ab huiusmodi voluptatibus

*Quare
deum non
metuant
mali.*

abstinent: in quo videtur ostēdere, sibi nō minus placere vitam huiusmodi voluptariam, quā aliorum qui ab illis abstinēt. Posterius quod exhortationi possit efficiā dare, ipsum est quod subiungitur. Hęc est enim pars in vita & in labore tuo, quo laboras sub sole. Quasi dicāt: Nihil aliud potest homo commodi aut boni accipere in mundo isto, nisi prædictarum fruitionē voluptatum: hæc est ipse in vita portio, hoc est optimum & præstantissimū quod ipsi possit contingere, neq; post mortē est expectandum bonū aliud. Cum igitur miserum sit, penitus bonis omnibus priuari, sitque præstātius aliquid quamuis modicum quā omnino nihil accipere, multū efficacix ex hac consideratione videtur habere præmissa insipiētium exhortatio. Vnde & continuò ad idem propositū subditur: Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus nec ratio, nec sapiētia, nec sciētia erunt apud inferos, quò tu properas. Cuius verbi hic est sensus: Interim donec in vita ista agis, in qua potens es bonis huius mundi perfrui, vtere omnibus quibus potes voluptatibus, fac audacter, fidenter & liberè, absque omni timore vel sollicitudine, quicquid potes facere, ad perfruitionē mūdānarum

narum voluptatū. Non enim diu tibi cōcedetur istis perfrui, quoniam ad inferos tu properas, id est, nō longè abes à morte post paululū de vita ista aufereris, & ad inferos siue in mortē ibis, ad sepulchrum & perditionē: vbi nulla tibi erit vitalis operatio, vbi nō poteris vltra operari aliquid vel facere, in quo te oblectes, vt modò facis dū viuis in præsenti tēpore neq; ratio vlla vel cogitatio tibi erit, nulla sapiētia, nullum consilium, & omnino nullius rei cognitio, ac proinde nulla tibi illic oblectatio, nulla voluptas esse poterit. Hactenus insipientiū verba perdurāt, quibus ex consideratione æqualitatis quæ in præsenti tēpore inter bonos & malos cernitur, & ex ignorantia futuræ retributionis, seinui cem cohortantur, ad perfruendum temporalibus voluptatibus. Quibus verbis penè per omnia consonant illa quæ in libro Sapientię ex eorundem insipientium persona proferuntur, aliquanto etiam apertius & liberius: In cuius libri cap. 2. ita legimus: *Sap. 2.* Dixerunt enim impij cogitantes apud se non rectè: Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est qui agnitus sit reuersus ab inferis: quia ex nihilo nati sumus, & post hæc erimus tanquàm

si non fuerimus, quoniam fumus & flatus est in naribus nostris, & sermo scintillæ ad commouendum cor nostrum. Quia extinctus cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tanquam mollis aer, & transibit vita nostra tanquam vestigiū nubis, & sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est à radiis solis & à calore illius aggrauata: & nomē nostrū obliuionem accipiet per tēpus, & nemo memoriā habebit operū nostrorū. Umbræ enim transitus est tēpus nostrum, & nō est reuersio finis nostri, quoniā consignata est, & nemo reuertitur. Venite ergo & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuetute celeriter: Vino p̄cioso & vnguentis nos impleamus, & nō prætereat nos flos tēporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescāt, nullum pratū sit quod nō pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrū exors sit luxuriæ nostræ, vbiq; relinquamus signa letitię, quoniā hæc est pars nostra, & hæc est fors nostra. Hactenus apud sapientē loquuntur insipientes & impij. Quæ omnia quam aptè conueniāt cū iis quæ in præsentī loco ex eorundē persona dicuntur, quilibet

*Altera
expositio
secundum*

attentè cōsiderans facilè perpendet. Possunt nihilominus prædicta omnia accipi, vt in persona sapientum prolata. Ac tunc quidem

quidem illa quæ in principio proponun *quã præ-*
 tur, de mortis inueuitabilitate, de que con *missa ex*
 ditione viuorũ præferẽda conditioni mor *persona sa*
 tuorũ, & cætera quæ ad exhortationẽ vsq; *pietũ licet*
 sequuntur, secundũ corpus ad vitã præsen. *accipere.*
 tem omnia debent intelligi, in hunc mo-
 dum, Nemo est qui possit secundũ corpus
 semper viuere, & qui habeat spem mortis
 corporalis effugiẽdæ. Canis viuus melior
 est leone mortuo. i. homo quamlibet vilis
 & despectus melioris cõditionis est adhuc
 vita corporis viuens, quàm superbus pec-
 cator in sua ferocitate aut superbia, aut
 malitia mortuus: quoniam videlicet vita
 corporis viuẽs est in statu merendi, in quo
 possit agere pœnitentiam peccati, & vi-
 tam æternam bonis operibus promereri.
 Qui autem iam mortuus est, huic tempus
 merendi & resipiscendi pertransiit, neque
 vnquãm ad ipsum redire poterit. Viuẽtes
 enim sciunt se esse morituros, ipsis adhuc
 mors restat subeunda, & mortem habẽtes
 ante oculos occasionẽ inde accipiunt re-
 sipiscẽdi à malitia. Mortui verò nihil am-
 plius nouerunt. i. non vltra tẽpus aut mo-
 dum sciunt quo se possint iuuare, vt à mi-
 seria sua liberentur, nihil est illis vltra cõ-
 filij sed desperate sunt res eorum. Nec ha-
 bent vltra mercedem, siue apud Deum, si-

ue apud homines. Apud Deum quidē mercedem bonam vltra non habent, non est quod expectent ab eo quicquā boni præmij: quoniā post mortem (iuxta verbum

- Gala. 6.* Apostoli) quæ seminauerit homo in corpore, hæc & metet: qui in carne seminauerit, de carne metet corruptionē: qui verò in spiritu seminauerit, de spiritu metet vitam æternā. Impiis ergo defunctis in impietate sua nō est vltra spes bonæ mercedis apud deum, cū in corpore agentes non seminauerint in spiritu, vt meterēt vitam æternam, sed in carne tantū vnde metāt corruptionē. Apud homines item non habent vltra mercedē, quoniam ab hominibus nihil cōmodi aut obsequij aut cōsolationis potest illis præberi. Tradita quoq; est obliuioni mortuorū illorū memoria. Apud deum quidem, quatenus de eis à dānatione eripiēdis non cogitat, sed in perditione æterna eos relinquit. Iuxta quod in Psalmo dicitur: Sicut vulnerati dormiētes in sepulchris, quorū nō es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sūt. Apud homines verò quoniam post paululū, vel apud nullos vel apud paucissimos viuentium, remanet mortuorum memoria, neque vltra quicquā de istis adiuuandis illi cogitant. De iustis verò dicit scriptura:

In memoria æterna erit iustus. Et alibi *Eccle. 44.*
 Corpora eorum in pace sepulta sunt, & no-
 men eorū viuet in generatione & genera-
 tionē. Amor quoq; & odiū & inuidiæ simul
 perierunt, quantum ad bona huius mūdi,
 quoniā non vltra erga res istas huius mū-
 di sic afficiūtur, quæ illis iam prodesse nō
 possunt, sicut olim his afficiebātur donec
 in vita essent: & omnino sunt expertes il-
 lorū quæ sunt in hoc seculo, quoniā nihil
 eorum possunt consequi, & ex nulla re hu-
 ius mūdi valēt vllam consolationē accipe-
 re, neq; quicquā habent cum viuentibus
 cōmercij. Nunc sequitur exhortatio, quæ
 secundū mysticam intelligentiā erit enar-
 randa, in hūc sensum: Quia igitur omnes
 mori, necesse est: & quia post mortē impiis
 tam est malè, postquā sine bono merito
 tēpus merendi perdiderint, iccirco dum tē-
 pus habemus operemur bonū, seminemus
 in spiritu, vt post mortē bonā messem in-
 ueniamus, vitā æternā. Vade ergo tu qui
 quis tibi vis prospicere in illū diem, & co-
 mede panē tuum ac bibe vinū tuum in læ-
 titia: panem. s. illum pro quo oramus quo-
 tidie, dicētes: Panem nostrū quotidianum
 vel supersubstantialem da nobis hodie, pa-
 nem illum qui de seipso dicit in Euang. *Mat. 6.*
 Ego sum panis viuus qui de cælo descēdi. *Ioan. 6.*

*Exhorta-
tio mora-
lis & mi-
styca.*

Pan

- Prov. 9.* Panem illum & vinum illud de quibus loquitur sapientia dicēs, Venite & comedite panem meum, & bibite vinū quod miscui vobis. Vel secundū meraphorā intelligitur fieri exhortatio ad curā bonę cōscientiæ, vt sit sensus: Vade & cura habere ante omnia cōscientiam bonam, quæ te oblectet in ea quæ ab ipsius securitate procedit lætitia, amplius quàm possit homo carnalis in cibo aut potu delectari. Iuxta illud Sapientis: Secura mens quasi iuge conuiuium. Et Apostolus ait: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Cui bene consonat quod sequitur: Quia Deo placent opera tua. Quod non secundum scientiæ certitudinem, sed secundum bonæ spei fiduciam debet accipi. Quamquàm enim non certò sciat homo an sint Deo accepta opera sua, debet tamen qui bonæ conscientiæ testimonium habet ita confidere, & cōfidendo existimare. Iuxta quod Paulus Apostolus ait: Confidimus, quia bonam conscientiam habemus, in omnibus bene volentes conseruari. Non ait: Certò cognouimus, vel pro indubitato asserimus, sed modestiori loquendi forma, confidimus, inquit. Quod autem sequitur: Omni tempore sint vestimenta tua candida, ad immaculatæ vitæ nos exhortatur
- custod

custodiam: Siquidem innocētia & vitæ pu-
 ritas, per vestimentorum candorem solet
 in scripturis significari. Propter quod, de
 iis qui innocentiā custodierunt, in Apoca. *Apoc. 3.*
 dicitur: Habes pauca nomina in Sardis,
 qui non inquinauerunt vestimenta sua &
 ambulabunt mecum in albis, quia digni
 sunt. Et in visione Ioānes vigintiquatuor *Apo. 9.*
 seniores vidit circumamictos stolis albis.
 Ac deinde turbam illam magnā ex omni- *Apo. 7.*
 bus gētibus, tribubus & linguis, quā ante
 thronum vidit, omnes conspexit amictos
 stolis albis, in quibus gloria puritatis &
 innocētiæ sanctorū monstratur. Propter *Oleū quid*
 quod, statim à baptismo solēt baptizati cā *significet.*
 didis indui vestibibus. Per oleū verò, de quo *1. Ioan. 1.*
 monemur vt nō deficiat de capite, intelli *Psal. 44.*
 gimus vnctionē spiritus sancti. Iuxta quod
 beatus Ioannes ait: Vnctionē quam acce-
 pistis à deo, maneat in vobis. Quo oleo si-
 cut absq; mēsurā vnctū est caput nostrum,
 dicente ad ipsum Psal. Vnxit te deus deus
 tuus oleo lætitiæ præ partibus tuis, ita
 & nos semper vnctionē istā debemus desi-
 derare, vt de capite nostro nunquā de-
 ficiat. Ad quod etiam pertinet secundum
 mysticam enarrationem, quod in Euan-
 gelio dominus ait: Tu autem cū ieiunas, &c. Vxor verò ista dilecta, cum qua
Mat. 6.
 mone

Vxor qd significet.
Pfal. 19. monemur vita perfrui omnibus diebus vi-
 te nostre, ipsa est lex diuina, de qua in Psal-
 mo dicitur: Lex domini immaculata, con-
 uertens animas. Quam debet homo ama-
 re omnibus diebus vitæ suæ, quasi dilectā
 coniugem, vt ei per amorem tota vita in-
 hæreat, & eam nūquā deserat. Vel intel-
 ligitur cælestis sapientia, de qua Sapientiæ
Sap. 8. octauo ait vir sapiens: Hanc amaui, & ex-
 quisisti eam à iuuetute mea, & quæsiui spō-
 sam eam mihi assumere, & amator factus
 sum formæ illius. Ac post pauca: Proposui
 ergo hanc adducere mihi ad conuiuandū,
 sciēs quoniam mecum, communicabit de
 bonis, & erit alloquutio cogitationis, & tē-
 dij mei. Et quomodo in gaudio cum hac
 vxore conuiuatur iterū ait: Intrans in do-
 mum meā conquiescā cum illa. Nō enim
 habet amaritudinē conuersatio illius, nec
 tēdium conuictus illius, sed læcitiā & gau-
 dium. De qua etiā sapientia videtur intel-
 ligendū, quod apud Psalmistā viro timētī
Pfal. 127 Deū dicitur: Vxor tua sicut vitis abundās,
 in lateribus domus tuæ. Iuxta quem in-
 tellectum nos quoque in commētariis li-
 bri Psalmorū locum illum enarrauimus.
 Quod autem sequitur: Hęc est enim pars
 in vita & in labore tuo, quo laboras sub
 sole, significat, scēlicitatē hanc esse maxi-
 mam

mam, ita secundum deum cum sapientia
 viuere, quæ in hac vita potest homini con-
 tingere, impiumque id esse, propter quod
 homo à deo est conditus atque in mundo
 sub tempore isto bene merendi constitu-
 tus, nimirum ut bene viuendo in hoc tēpore,
 dignus fiat vita æternitatis. Deniq; iuxta
 hunc processum id quod sequitur: Quod-
 cunque facere potest manus tua, instanter
 operare, exhortatio est ad sollicitè peragē *Operandū*
 dum opera deo placita, idq; potissimum, *nūc omni*
 ex temporis huius quod ad lucrū & meri- *solicitudi-*
 tum hominibus datū est, breuitate, & ce- *ne in ope-*
 leri nimirum successu temporis alterius, in *ribus bo-*
 quo non erit occasio boni operis quippiā *nūc.*
 ad meritū faciendi. Sic itaque ait: Interim
 dum tempus habes meriti, operare sedu-
 lo & sollicitè quicquid boni potes, vbicun-
 que occasionem nactus fueris boni ope-
 ris quicquàm peragendi, ne negligas, sed
 cum diligentia & feruore multo accepta
 occasione operare quod offertur boni, ad
 similitudinē negotiosorū hominū & aua-
 rorum huius seculi, qui omnē occasionem
 tēporalis lucri, quantumuis minimi, præ-
 terire non sinunt, semper solliciti occasio-
 ne oblata aliquid lucri colligere. Cui ex-
 hortationi Sapientis bene consonat ver-
 bum illud Apostoli Pauli: Dū tēpus habe- *Gala. 6.*

- mus operemur bonū, ad omnes. Et iterū:
 Bonū autē facientes non deficiamus, tem-
 pore enim suo metemus non deficientes.
 Cōcordat & illud quod suprā à Sapiēte no-
 stro audiuius: Bonū est te sustētare istū,
 sed & ab illo ne subtrahas manū tuā: quia
 qui timet deum nihil negligit. Merito ve-
 rō in hoc tempore instanter debent ope-
 rari bonum mortales, quoniam breue ni-
 mium est tempus præsens, & è vicino im-
 minet tempus alterum, tempus non con-
 quirendi meriti sed recipiendi præmij.
- Esa. 49.* Nunc enim tempus est acceptum, de quo
 ait Esaias: Tempore accepto exaudiui te,
 & in die salutis adiuui te. Et de quo Apo-
 stolus ait: Ecce nunc tempus acceptabile,
 ecce nunc dies salutis: quoniam videlicet
 accepta sunt nunc deo opera hominū, &
 operantibus deputantur ad meritū. Quod
 autem post hoc tempus succedet, non erit
 tempus acceptū, in quo exaudiri possint
 clamantes, aut dies salutis in quo adiuua-
 ri, sed tempus noctis erit & caliginis.
 Iuxta quod in Euangelio Dominus ait:
Ioan. 9. Operamini, dū dies est. Veniet enim nox,
 quando operari nemo poterit, id est tem-
 pus post vitam præsentem, quando non
 erit vltra facere opera vitæ æternæ meri-
 toria. Quod etiam in Apocalypsi, signatū
 est

est per vocem Angeli fortis, qui pedem dextrum ponens super mare, sinistrum autem super terram, iurauit per viuentem in secula seculorum, quia tempus non erit amplius. Atque hoc est quod modò post exhortationem præmissam, ad instanter bona operandum, subiungitur, his verbis: Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec sciëntia, erunt apud inferos, quò tu properas, id est, post tempus præsentis vitæ huius transactum, si vacuus tum inuentus fueris, ad inferos descendes, vbi sine vlla spe euasionis in æternum punieris, donec ad nouissimum vsque quadrantem (iuxta verbum Euangelicum) persoluas omne debitum. Vbi nõ erit opus aliquod, quo posses amplius quicquã mereri, neque vitam æternam neque mali euasionem, imo neque miserix alleviationem. Neque erit ratio, neque modus, neque sapientia, neque scientia, neque vllum consilium, ad recuperandum bona per omissionis negligentiam perditam, aut effugienda mala inuenta. Quod autem dicitur: Apud inferos, quò tu properas, potest hoc specialiter referri ad eos qui nunc propter desidia cessant ab operando bonum. Vt sit sensus: Ad *Diuersi-* quos inferos tu quantotius peruenies, at- *modè ad* que descendes, si non per cõtinuum boni *infernum*

properant operis exercitiū tibi dum tempus est pro-
homines. spicias, si nunc tempus istud acceptabile
 absque bonorum fructu pertransire sinas.
 otiosum, si tantā salutē negligas. Quēad-
 modum enim ad superos properat omnis
 qui instanter operatur bonū, quodcunque
 manus suā inuenerit, ita ad inferos con-
 trario itinere properat omnis qui nunc
 dum tempus habet à bene operādo cessat.
 Tuxta quod etiam sanctus ait Apostolus:
Hebr. 2. Quomodo nos effugiemus, si tantam ne-
 glexerimus salutem? Vel generaliter tam
 ad strenuos bonorū operadores, quā ad
 desidēs cessatores referatur sermo: vt pro-
 perare ad inferos, sit ad mortem tendere
 vel ad sepulchrum, quomodo ex Hebræo
 potest legi. Habetur nanque in Hebræo
 dictio, seol, significans foueam, id est, vel
 sepulchrū vel infernū. Ad foueā autem se-
 pulchri omnes tendimus, qui nunc viui-
 mus. Ad infernum quoque ante Christi
 aduentum omnes properabant, quoniam
 ad lymbum inferni omnibus erat quan-
 tumlibet iustis descendendum, donec ve-
 niret qui eos de lacu captiuitatis educe-
 ret. Simili modo loquēdi dolens Iacob
Gen. 42. pro abductione Ben-iāmin dixit filiis
 ad inferos.

Verti me ad aliud & vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus, casumque in omnibus.

Proponit Ecclesiastes aliam quam *Videntur* templans auertit sub sole vanitatem, *in rebus* nimirum quod in rebus humanis pleraque *humanis* videantur euenire à casu & fortuna, & *multa ca-* multa non secundum rectum ordinem *su eueni-* ordinatamque regulam per se fieri. Secun- *re.* dum nanque rectum ordinem videtur velocitas ad cursum maximè proficere, & ad obtinendum cursu brauium vel ad consequendum cursu salutem maxime videtur velocitas conferre. Videntur enim qui veloces sunt, magis dispositi ad consequendum brauium, vel ad se saluandū per cursum. At tamen videmus frequenter, velocium non esse cursum, id est, velociores non præuenire alios cursu. Sæpe enim qui minus velox est, citius pertingit ad terminum: quemadmodum frequenter videmus viatorem tardum, iter suum cōtinuò prosequentem, citius attingere terminum eo qui celer est & agilis, sed cursum subinde interrumpit, aut celeritate sua in principio itineris ita se exhaurit, vt tandem ante terminum deficiat. Interdum etiam propter impedimenta alia superuenien-

tia veloci, vt nihil ei proſit ſua velocitas: vel propter adiuuenta adueniētia illi qui nō ita eſt velox, quib^o promouetur ipſius tarditas. Atque ita fit vt non ſemper velocior in curſu præcellat: contingitque interdum velociorem à minus veloci ſuperari. Et ſi quis currendo velit aſſequi brauium, etiam ſi velocior ſit, contingit tamen ipſum non aſſequi. Et continget interdum eum qui curſu velit ſuæ vitæ conſulere, fugiendo ſcilicet hoſtem, non poſſe illum effugere manus minus velocis, nec velocitate ſua obtinere ſalutem. Sic

Non ſemper fortioribus contingit victoria. de fortitudine videtur, ipſam in bello eſſe præcipuam, & fortioribus videtur deberi pugnae victoria. Attamen frequēter videmus rem aliter euenire, videlicet vt minus fortis & imbecillis quiſpiā alium ſuperet longè ſe fortiorem. Quemadmodū non rarò contingit, viros robuſtiſſimos ab hominibus nullius penè roboris interfici. Vt Dauid paſtor ouium vnus lapilli ictu, immanem gigantem interfecit, & infirma mulier Iudith glorioſum illum in fortitudine ſua Holofernem Aſſyriorum militiae principem. Contingitque hoc interdum aſtutia infirmioris, interdum fortioris negligētia, ſæpius caſu aliquo & planè fortuito, quantū ad humanū iudi

iudiciū attinet. Quēadmodū mulieri illi
 contigit, quæ de altitudine turris lapidē *Judic. 9.*
 iaciens, caput Abimelech fortis pugnato-
 ris confregit. Ita videtur secundū rectum
 ordinē maximē conuenire, vt viri sapiētia
 præditi, necessariis rebus vitæ huius abun-
 dent, vt eis neque panis, neque aliquid eo-
 rum quæ ad vitam hanc transigendā sunt
 necessaria desit, sed magis abundēt in om-
 nibus: quoniam præ omnibus videntur
 dignissimi qui donis dei vtantur, & mini-
 mē, æquum videtur hos qui omnium ma-
 ximē digni sunt pati rerum necessariarū
 penuriam. Attamen hoc cernimus ad ocu-
 lum, viros sapientes subinde etiam rerum *Sapienti-*
 necessariarum pati defectum, cū stulti *b^o crebrò*
 & insipientes abundant in omnibus. Sic *& panis*
 item secundum rectum ordinem viris *desse vi-*
 scientia & doctrina præcellentibus, ma- *detur.*
 ximē videntur deberi diuitiarum orna- *Doctos*
 menta. Qui enim docti & scientes sunt, *fugiūt nō-*
 ita vt aliis docendis & dirigendis suffi- *nunquam*
 ciant, his videntur maximē deberi diui- *diuitiæ.*
 tiæ, quoniam id dare possunt homini, quo
 nihil est pretiosius. Si enim diuitias illi
 accumulāt sibi, qui merces terrenas &
 crassas diuendunt, quomodo non ma-
 gis illorum videntur fore diuitiæ, qui
 scientiam & consilium, infinito corporali-

Non semper maiores artifices gratiam habent apud homines.

bus illis mercibus potiora, aliis cōmunicare valent? Huius tamen contrariū, oculis cernimus, viros, scilicet, scientissimos, in multa plerunque paupertate vitam ducere, & quasi mendicato viuere, ex stultorum diuitū gratia, vel ex piorum sapientum liberali misericordia. Ita secundum rectum ordinem videtur eum qui in arte aliqua præcellit, debere apud omnes maiorem habere gratiā, id est, amplius placere in operibus artis suæ. Cū enim quisque rem suā fieri cupiat quā optimè consequens videtur, vt illis amplius faueatur artificibus, & plus adferatur lucri, qui sunt in arte sua periciores aliis. Contrariū tamen frequenter euenit, quoniam artifices verè expertos & peritissimos in arte sua videmus interdum negligi ab omnibus, & nullam habere gratiam, vixque requiri ab vilo eorum operam: cōtrā verò alios qui vix discipuli fuerunt, aut tenuiter admodum artem callent, illis expertissimis præferri videmus, & maiore habere apud omnes gratiam. In suprā narratis his omnibus, videntur casus & fortuna habere locum. Casus enim & fortuna est, quando effectus determinatus ad suam causam nō consequitur: sed effectus per accidens ab indeterminata causa procedit. Quemadmodum

modum in proposito, victoria in cursu dicitur non consequi velocitatem, quæ tamen videtur esse causa determinata, ad quam per se deberet consequi ille effectus. Victoria belli aut pugnae dicitur subinde non consequi fortitudinem, quæ tamen causa determinata videtur effectus illius, abundantia rerum necessariarum dicitur non consequi sapientiam, diuitiarum ornamentum dicitur non consequi scientiã atque prudentiam, gratia dicitur nõ consequi artem, quæ tamen videntur esse causæ per se ordinatæ & determinatæ ad eius modi effectuum consequutionem. Est autem hæc in rebus humanis vanitas, quòd ita inordinatè & inderminatè cuncta eueniant, stabilem ordinem & certam legem non seruantia. Instabilitas nanque hæc & incertitudo, vanitas est. Aduertendum tamen, quòd licet in rebus humanis inueniatur casus & tempus, id est, fortuna (nam tēpus, pro Fortuna, videtur posuisse) quantum ad causas inferiores attinet, respectu tamen dei omnino nihil est casuale vel fortuitum, cui nihil est indeterminatum & inordinatum: quoniam præter ipsius intentionem & ordinationem nihil potest euenire, neque aliter quàm ipse ordinavit, potest quicquam accidere.

De quo suo loco plenius diximus libro secundo, de con. rerum nat. cap. 23.

Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines tempore malo, cum eis extemplo superuenerit.

Incertitudo mortis Incertitudo vitæ nostræ & ignorantia termini eius, quod cum ita certa & ineuitabilis sit mors, vt nemini sit concessum semper viuere, mortis tamen tempus & modus ita nobis sunt incerta, vt nihil incertius, adeò vt plerunque tum adueniat, quando minimè expectabatur, frequenter etiam tali adueniat modo, & talem accipiat causam, qualem antè non fueramus præmeditati, ita vt quantum ad nos plerunque casu, aut fortuito mors nobis adueniat à causa indeterminata, & minimè præuisa. Aptè autem facit auium & pisciũ cum homine hac in re comparisonem. Quemadmodum enim aues nihil suspicantes mali, dum maximè securæ sunt, ludunt, volitant, cantillant, aguntque alia in quibus ipsorum consistit voluptas, subito per aucupis astutiã reti capiuntur in mortem: pisces autè nihil suspicantes mali, securi lusitantes in aquis, hamo capiuntur in mortem: ita per omnem modũ hominibus euenit

Cõparatio aptissima.

euenit, vt dū maximè securi sibi videntur,
 & nihil suspicantur mali, tum subito die
 mortis præoccupentur. Propter quod, in
 euangelio dominus diem istū mortis furi
 comparauit, dicens: Illud autem scitote,
 quoniam si sciret paterfa. qua hora fur ve- *Mat. 24.*
 niret, vigilaret vtique, & nō sineret perfo-
 di domū suam. Ideoque & vos estote para-
 ti, quia qua hora non putatis, filius homi-
 nis veniet. Et Paulus apostolus in eandem
 sententiā ait: Dies domini sicut fur in no- *1. Thes. 5.*
 cte, ita veniet. Cū enim dixerint, pax &
 securitas, tunc repentinus eis superueniet
 interitus, sicut dolor in vtero habentis, &
 nō effugient. Et iterum in Apocalypsi ait
 filius hominis: Si ergo nō vigilaueris, ve- *Apoc. 3.*
 niam ad te tanquam fur, & nescies qua
 hora veniam ad te. Tempus autem ma-
 lum appellat hīc Sapiens, tempus mortis:
 quod malum dicitur, iuxta hominum exi-
 stimationem, quemadmodum & pœnali-
 tates & aduersitates malæ dicuntur, cū
 tamen verè & simpliciter non sint malæ.
 Sic & in Psalmis Dauid ait: In die ma- *Psal. 40.*
 la liberabit eum dominus, in tēpore, scili-
 cet aduersitatis, infirmitatis aut mortis. Et
 iterū: Vt mitiges ei à diebus malis. Et de *Psal. 93.*
 diuitibus seculi agentibus in voluptate,
 dicit Amos Propheta: Qui separati estis *Amos 6.*
 in diem

in diem malum, videlicet vt tunc accipiat
 verum iudicium. Suprà quoq; monuit

Eccle. 7. Ecclesiastes: Præcauete diem malã, id est,
 in diem mortis & iudicij antequam adue-

Erratum niat habete intentos oculos. Quod autem
in codici- quidam libri hoc loco habent, exẽplo pro
bus vul- extemplo, id manifestũ est ex scriptorum
gatis. aut typographorum vel ignorãtia vel in-
 aduertentia euenisse. Extemplo enim le-
 gendum est, id est, subito, repentẽ, ex
 improviso.

Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, &
probauit maximam: Ciuitas parua, & pauci in
ea viri. Venit contra eam rex magnus, & val-
lauit eam, extruxitque munitiones per gyrũ, &
perfecta est obsidio. Inuentusque est in ea vir
pauper & sapiens, & liberauit urbem per sa-
pientiam suam, & nullus deinceps recordatus
est hominis illius pauperis. Et dicebam ego, me-
liorem esse sapientiam fortitudine. Quomodo
ergo sapientia pauperis contempta est, & verba
eius non sunt audita.

Ostendit hĩc Spiens vanitatem quan-
 dam insignem in eo quod vulgus homi-
 num ista paruifacit & nihili æstimat ea

Sapientia quæ probantur in vita esse vtilissima. Quẽ
nihil est admodum videlicet sapientia nihil est vti
hominib⁹ lius in rebus humanis, quæ tamen ab ho-
utilius, minibus paruipenditur, nec habetur in

pret

pretio vt dignum est, etiam apud illos qui *quod per*
 sapientiæ aliquando experti sunt vtilita- *exemplū*
 tem. Id ostendit Sapiens, assumpta parabo *ostēditur.*
 la de ciuitate obfessa, per sapientem libe-
 rata. Ciuitas (inquit) parua erat, & pauci
 in ea viri: propter quod, etiam à mediocri
 aliquo duce, aut comite poterat non ma-
 gno negotio expugnari. Quia enim par-
 ua, facillè potuit exercitu modico circun-
 dari: quia pauci in ea viri, facillè potuit ab
 oppugnantibus inuadi & capi. Contra hanc
 ciuitatū venit rex quidam magnus, re-
 gia scilicet, potentia & apparatu regio: vt
 intelligas ciuitatis salutem desperatam
 fuisse, in regis magni aduentu, quæ nec
 mediocris principis potuisset resistere po-
 tentiæ. Adueniens rex iste magnus statim
 circumdedit ciuitatem & iuxta expugna-
 tionis modum per circuitum ciuitatis mu-
 nitiones extruxit, ad sui exercitus defen-
 sionem atque impugnationem ciuitatis.
 Et consummata est obsidio, serio rex ille
 magnus aggressus est ciuitatē, nihil omit-
 tens eorum quæ ad deuincendam ciuita-
 tem etiam maximā solebant aut poterant
 adhiberi. His modis exaggeratur ciuitatis
 periculum, & desperata eius salus ostendi-
 tur, vt commēdatior fiat is qui tam despe-
 rato negotio succurrerit. Manifestum nā-
 que

que est, quãtò negotium fuerit magis desperatum, tantò; maiori commendatione & gratiarum actione dignũ esse eum qui succurrit periculo. Subdit itaq; , liberatorem designans: Inuentus est in ea vir pauper & sapiens, & liberauit urbem per sapientiam suam. Pauper erat homo iste, vt intelligas quòd non per diuitias aut vim egerit quod egit: sed quia sapiens, per sapientiã id potuit & perfecit, quod per vim aut fortitudinẽ fieri nequaquam poterat.

2. *Re. 20.* Huius exemplũ habemus in libris Reg. de muliere sapiente in Abela, quæ ciuitatem de manu Ioab & exercitus eius verbo sapientiæ suæ liberauit, ne destrueretur. Debeatur itaq; huic sapienti ciuitatis liberatori magna à ciuibus gratia, vtpote cuius solius beneficio salutem fuit consequuta ciuitas, & multa post hac erga illũ debebant affici reuerẽtia, ipsiũsque verba æstimare plurimi. Verumtamen longè alium euẽtum res habuit. Post peractã aliquamdiu ciuitatis liberationem, nemo beneficij est recordatus, neque salutis quam præstiterat sapientia pauperis. Non est sapientia pauperis, tametsi ita euidenter probata, debito honore glorificata: sed mansit pauper iste post sapientiæ suæ probationem despectus & vilis, vt ante fuerat. In
hoc

hoc certe vanitas maxima ostēditur, quòd rem tam vtilissimam adhuc despiciant homines ingrati, qui ipsius commoda senserant. Cuius rei indignitatē librans & apud se perpendēs noster Ecclesiastes, ait: Et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine, nimirum ostensum fuit in illa ciuitatis liberatione, hoc valere sapientiam quod fortitudo non potuit. Quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba eius non sunt audita? Quasi dicat: Res planè indignissima est, quòd neque post expertam tantam sapientiæ vtilitatem, debito eam honore affecerint, neque vltra illius verba habuerint in precio, quæ sibi tam vtilia fuisse probauerant.

Verba sapientum audiuntur in silentio, plus quàm clamor principis inter stultos.

Narrauerat Ecclesiastes cum admiratione vanitatem hominum, sapientiã rem multò vtilissimam ita à plerisq; nihili fieri. Nunc velut se consolatur atque sapientes alios, dicens: licet à vulgo hominū insipientium & iudicio recto carentium despiciatur sapientia, magni tamen æstimari apud sapientes & cordatos homines (quorum est perexiguus numerus, quoniam est infinitus stultorum) verba sapientiæ, quæ ab eis cum attentione multa in silentio

Vbi æstimetur pro dignitate verba sapientum.

Eccle. I.

silentio corporis & quiete cordis audiuntur, & in imo pectoris magna cum reuerentia suscipiuntur. Hoc sibi vult quod prosequitur Ecclesiastes, dicens: Verba sapientum audiuntur in silentio, plusquam clamor principis inter stultos. Princeps enim aut diues in medio multitudinis adulatorum & parasitorū, aut aliorum insipientium sibi similibus, ad horam quidem magna attētionē suscipitur loquens. Paupere verò inter illos ad loquendū os aperiente nemo illorum loquenti præbet auditum. Iuxta illud Ecclesiastici: Pauper loquutus est sensatè, & nō est datus ei locus. Diues loquutus est, & omnes tacuerūt, & verbum illius vsque ad nubes perducent. Pauper loquutus est, & dicunt ei: quis est hic? Et si offenderit, sabuertunt illum. Verum si quando illic vbi est auditus contingat inter cordatos & prudētes homines sapientem proferre sermonem, suscipietur ab illis cum longè maiori attentione, & verba sapientiæ eius auditores illi in profundo pectoris recondent nulla vnquam delenda memoria. Et licet videatur princeps aut diues in medio insipientum cum clamore loquens magis audiri, dum omnes aurem accommodantes ad cælum vsque extollunt quæ ille loquitur, manifest

nifestum est tamē secundum veritatē, au-
 ditum meliorē præberi sapiēti inter pau-
 cos, loco opportuno, submissa ac modesta
 voce (vt moris est sapientum) loquēti ver-
 ba sapientiæ. Illi enim auditores insipien-
 tes, frequenter cū ad complacendum,
 principi vel diuiti cuius gratiam quærūt
 se attendere simulant, alia cogitāt, illiūſ-
 que sermonibus minimē attendunt: appro-
 bant tamen & laudant quæ dicūtur, pror-
 sus ignorantes quid ille dixerit. Atq; etiā
 cū attentissimē audiunt, non diu tamen
 seruant in memoria verba illa in ventrum
 volantia: quemadmodum neq; memoria
 digna sunt nimirū in vanitate prolata. Cū
 verò à sapiente quopiam suo tēpore & lo-
 co, vbi est auditur, sermo profertur, totam
 animi attentionem adhibent cordati au-
 ditores, & cū silentio multo ac reuerentia
 magna ea quæ dicuntur suscipiunt, iuxta
 Sapiētis consiliū, quo sapientiā desideran-
 tes admonet, dicēs: Audi tacens, & pro re-
 uerentia accedet tibi bona gratia suscepta
 deinde intra cordis ima reponunt atq; re-
 condunt, intelligentes, beatos esse nō eos
 qui tātūm audiunt dei vel sapiētiæ verbū,
 sed qui audiunt pariter & custodiūt illud.
 Manifestum est itaque verba sapientum
 in silentio magis audiri, quā clamorem

Eccle. 32.

Luc. 11.

principis aut domini inter stultos.

Melior est sapientia, quam arma bellica.

Et qui in vno peccauerit, multa bona perdet.

*Sapientia
præstan
tior virtu
te bellica.*

Quomodo sapientia præstantior sit fortitudine, & præferenda virtuti militari, quæ per bellica arma significatur, iam supra in proposita parabola euidenter ostensum est: cum possit interdum etiam in temporalibus rebus sapientia quod non valent arma bellica. Insuper & in hoc excedit sapientia, quod per ipsam saluari potest & protegi anima, quod minimè possunt arma bellica. Vnde potest fieri inter ea talis cõparatio, qualis supra capite septimo posita est inter pecuniam & sapientiã, dicente Ecclesiaste: Vtilior est sapientia cū diuitiis, & magis prodest videntibus solẽ.

Eccle. 7.

Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. Hoc autem plus habet eruditio & sapientia, quæ vitam tribuunt possessori suo. Secundum hunc modum potest quoque fieri comparatio inter sapientiã ex parte vna, & arma bellica ex parte altera. Sicut enim protegit sapientia, sic & arma

Qui peccat in vno multa bona perdet.

bellica. Verùm in hoc superat sapientia, quod animam possessoris protegit, saluat & viuificat, quod nequaquam possunt arma bellica, quod autem in fine adiicitur. Et qui in vno peccauerit, multa bona perdet,

det, videretur adiectum esse ad ostendendū
 vtilitatem sapientiæ, quæ sola hominē po-
 test præseruare à damno maximo. Nemo
 enim peccat vel vno aliquo peccato ani-
 mam mortificante, quin detrimentū ma-
 gnum dānūmq; graue & multiplex inde
 accipiat, quoniam qui in vno peccato mor-
 tificante animā deiq; gratia ipsam priuā-
 te reus efficitur, simul perdit omniū bono-
 rum quæ habebat meritū: ita vt cætera o-
 mnia bona, quantūuis multa & magna, iā
 ei nihil profint ad cōsequendū præmium
 vitæ æternæ. Propter quod in vno offen-
 dens, rectè dicitur omnia perdere. Cui sen-
 tentiæ consonat quod diuus Iacobus ali-
 quantò obscurius ait: *Qui in vno offende-*
rit, factus est omnium reus. Cū igitur sa-
 pientia sola hoc præstet homini, vt ab o-
 mni caueat peccato, vt nec in vno peccet,
 bellica autem arma id nequaquā possint,
 manifestè consequens est meliorem esse
 sapientiam armis bellicis.

Iaco. 2.

ANNOTATIONES IN
 caput nonum.

Opera eorum in manu dei, &c. Alij
 pro operibus vertunt seruos, alij
 discipulos: vt sit sensus: iustos & sapien-
 tes atque illorum etiam sectatores esse
 in manu dei, id est, à deo protegi, & diri-

gi. Pro eo verò quod nostra lectio habet:
 Et tamen nescit homo, vtrum amore an
 odio dignus sit, sed omnia in futurũ seruã
 tur incerta, ex Hebræo ad verbum sic fo-
 ret legendum: Etiam dilectionem etiam
 odium non cognoscit homo quæ omnia
 sunt ante ipsos. Quod iuxta sententiã no-
 stræ lectionis ita exponitur. Quãuis iusti
 & sapientes ac simul eorum opera sint in
 manu dei, attamen non potest homo pro
 hoc statu certò scire, an diligatur vel odio
 habeatur à deo, vel an odio siue amore di-
 gnus sit, sed hæc omnia sunt ante ipsos, id
 est, elongata ab ipsis, vt modò nequeant
 videre: sunt tamen visuri postea. Ad hunc
 sensum interpretatur Hieronymus quod
 habet verus æditio: Dilectionẽ & odium
 nõ est homo qui sciat omnia ante faciem
 ipsorum. Hebræorum quidã sic interpre-
 tantur: Vulgus hominũ nescit disponere
 cor ad diligendum deũ, nesciunt etiam in
 quo odiant & omnia hæc sunt ante iustos
 & sapiẽtes, qui norũt diligere deũ & odio
 habere mala. Alij sic exponunt: Nemo no-
 uit, quos sit habiturus amicos vel inimi-
 cos. Omnia enim hæc latẽt hominẽ, & fu-
 giunt lōgẽ ab eo vt nõ possit scire. Aliter
 quoq; interpretatur iuxta Symmachũ O-
 lym. Verũ quod nostra lectio explicat pa-
 raphra

raphraſticè, plus pōderis & probabilitatis videtur continere. Vt periurus, ita & ille qui verū deierat. In Hebr. & in æditione veteri ſic legitur. Sic iurans, ſicut iuramentum timens. Vnde ſignanter hoc notat Olym. q̄ iurantē ſapiens inter peccatores cōputer. Et poſt hæc ad inferos deducuntur. Nemo eſt qui ſemper viuat, & huius rei habeat fiduciã. Antiqua æditio ſic habet: Et poſt hoc ad mortuos: **Quis enim cōmunicat ad omnes viuētes?** **Quod** iuxta noſtræ lectiōis ſenſum, ita exponit Olym piodorus: Poſt omnia, ad mortē deducuntur homines. Nemo enim eſt qui ſocietate habeat cum omnibus viuētibus ſed aliquando à viuētib; debet ſeparari, quiſquis tandē fuerit. Ac deinde ſequitur: Eſt ſpes vel confidentia, quia canis viuēs melior eſt leone mortuo. Cuius ſenſus eſt: ſpes eſt viuētib; ante mortē, quoniam, &c. Ex Hebræo autem alij ſic vertunt. Et poſt hæc ad mortuos. Illi enim qui ſociatur ad omnes viuētes, vel cuiſq; electo inter omnes viuētes eſt ſpes: quoniã melior eſt, &c. Amor quoq; & odium & inuidiã, &c. In Hebræo additur relatiuū, hoc modo: Etiam amore eorum & odium eorum & æmulatio, vel inuidia vel zelus eorum iam p̄ erit. Bibe cum gaudio vinū

tuum. In Hebræo est: Bibe in bono corde
 vel iucundo corde vinum tuum: Sic pro eo
 quod sequitur: Perfruere vita, in Hebræo
 est, vide vitam. Sententia prorsus est eadē.
 Quodcunq; facere potest manus tua instā
 ter, &c. In Hebræo ad verbum sic legitur.
 Quodcunq; inuenerit manus tua ad faciē
 dum, secundum vires tuas fac. Et vbi no-
 stra lectio habet: Nescit homo finē suū,
 in Hebræo est, tempus suum. Quātum ad
 sententiam, nihil est differentiæ. Extru-
 xitq; munitiones per gyrum, & perfecta
 est obsidio. In Hebræo tantū legitur: Ex-
 truxitque munitiones ad eam validas vel
 magnas. Quod superest adiectum videtur
 ad explicandū munitionum fortitudinē.
 Nullus deinceps recordatus est hominis
 illius pauperis: Sine, deinceps, legitur in
 Hebræo: Nullus recordatus est hominis
 illius pauperis. Quod aliqui ita intelli-
 gunt: Nullus antè de hoc paupere cogita-
 uerat, quòd talis in eo lateret sapientia.
 Nostra autē lectio, per adiectionē particu-
 læ, deinceps, aliā postulat intelligentiam,
 qua significetur ciuium ingratitude erga
 pauperem sapientem: quam veteres mani-
 festè insinuant, Græci atq; Latini. Qui pec-
 cat in vno, multa bona perdet. Vetus adi-
 tio sic habet: Peccator vnus, multa bona
 perdet:

perdet: hoc est: Vnus quispiā improbus & peccator, plurimis dāna infert. Quemadmodum (exempli gratia) Adam vnus erat peccans, & bona perdidit totius posteritatis suæ. Sic Achaz ille sub Iosue duce furatus de anathemate aureā regulam, populum vniversum à victoria impediuit consequenda. Potest tamen ex Hebræo (quæ admodū annotauit in cōmentario Hieronymus) etiā sic legi. Peccans vnum, perdet bonitatē multā: Hoc est: Peccās in vno, vel peccans vno peccato, multa bona perdet.



DECIMI CAPITIS

Commentarius.



Muscæ moriētes perduūt suauitatem vnguenti.

Muscæ dum se immergunt in vnguenta pigmēta riorum, & sibi nocent, dum vitam sibi adimunt, & vnguētis nihil proficiunt, imo nocent plurimum eo quod corruptionem quandam & fœtorem inducant, auferuntque suauem vnguento odorem. Muscæ istæ moriētes, siue (vt ex Hebræo

Quomodo muscæ moriētes perdant vnguenti suauitatem.

legimus) muscæ mortis , cogitationes & affectiones sunt peccatorū: quoniam sicut corpus muscæ circūuolitant, & molestare ipsum morsibúsq; impetere nō desinunt, & si insidere permittantur diutius, vehementer pungunt ac nocent: ita cogitationes affectionésq; malæ peccatorū, animā assiduè circūuolitant & infestant molestissimè, nunquàm cessantes à vexatione, semper paratæ aculeum infigere & sanguinem elicere, id est, ad consensum titillante delectatione pertrahere, sibiq; locū quietis parare, ut possint in anima se figere ipsiq; fixius hærerere. Quæ nisi continuo abigantur, nisi illis sedulo resistatur, si ad ullam moram permittantur insidere animæ, statim persenties vulnus, & nocumentum grande accipies. Muscæ istæ appellatur morientes, ab effectu potissimum, eo quod mortem efficiant: eadèmq; ratione muscæ mortis in Hebræo appellatur. Perdunt autem muscæ istæ suauitatē unguenti spiritualis quod est diuina sapientia. De cuius unguenti unctiōe beatus Ioannes loquitur, dicens: Unctiō eius docebit vos de omnibus. Quod unguentum à capite nostro Christo domino (de quo in Psal. legimus: Unxit te deus deus tuus oleo lætitiæ, præ participibus tuis) nobis defluxit: quem

Unguentum spirituale unctio spiritus sancti. 1. Ioan. 1.

quemadmodum Ioannes testatur, dicens: *Psal. 44.*
 Vidimus eum plenū gratiæ & veritatis, & *Ioan. 1.*
 de plenitudine eius nos oēs accepimus.
 Huius vnguēti suauitas in nobis perditur
 per peccata mortis: quoniam (iuxta sapien- *Sapien. 1.*
 tis verbum) sicut in maliuolam animam
 sapientia non intrat, ita nec habitare susti-
 net in corpore peccatis subdito. Suauitas
 autem vnguēti huius spiritualis, ille est
 bonus odor, de quo sanctus Apostolus ait: *2. Cor. 2.*
 Christi bonus odor sumus deo. Aptè verò
 proposito huic conuenit ista comparatio
 muscarum morientium. Quemadmodum
 enim illæ, licet parui æstimentur neq; ita
 multum obseruētur, eo q̄ animacula sint
 modica, magnum tamen damnū in rem
 preciosam inferunt: ita cogitationes &
 affectiones prauæ tametsi à multis parui-
 pendantur, neque vt oportet obseruentur
 ad abigendum atque repellendum, infe-
 runt tamen animæ damnū permaximū,
 quoniam eam re longè optima & præstan-
 tissima spoliānt, cœlesti videlicet sapien-
 tia, qua (vt Sapiens ait) nihil est vtilius in
 vita hominibus. Quidam verò, ex quibus
 est Olympidorus, muscas istas mystica
 intelligentia peruersos interpretātur Iu-
 dæos: qui suauitatem vnguēti morien-
 tes perdiderunt, vel certè perdere sunt

*Judai mu-
sca mor-
tis.* conati, quādo Christi benedictū nomē si-
cut oleum effusum suaue, & dulce super
mel & fauū, conati sunt extinguere, atque

Canti. 8. de terra perdere: suauissima quoq; præcla-
ræ illius doctrinæ eloquia subuerrere, iis-
que cōtradocere obstinatissimis animis, &
odio pessimo nō sunt reueriti. Quemad-
modum enim muscæ se immergentes in
vnguentum, morte se afficiunt: ita Iudæi
improbè se obiiciētes & irreuerenter in-
surgentes aduersus suauissimā Christi do-
ctrinam, mortis sibiipsis sunt facti autho-
res, vt bonus ille odor corā deo vnguenti
optimi ipsis culpa sua factus sit odor mor-
tis in mortē, cum aliis credētibus & reue-
rentia debita vnguenti odorē susipienti-
bus factus sit idem ille odor vitæ ad vitā.

*Demo-
nes mu-
sca mor-
tis.* Congruè item per muscas istas moriētes
siue muscas mortis dæmones malorū ten-
tatores licebit accipere, qui suauitatē vn-
guenti quod à deo est infusum cordibus
credentiū, semper nituntur perde: e. Mu-
scæ verò admodum propriè nominantur,
qui perpetuò in morem muscarū nos cir-
cunuolitant, & sordibus pascuntur pecca-
torum, sempërque mordere, vulnera infi-
gere, & sanguineum elicere desiderant.

Mat. 12. A' qua re non dissonat, quod in Euange-
lio princeps dæmoniorum Beelzebub ap-
pellat

pellatur, dicentibus Pharifæis de domino: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Siquidem Beelzebub, sonat deum aut virum muscarum. Bene autem muscarum vir, aut muscarum deus aut muscas habens dicitur princeps dæmonum, qui tales muscas sibi habet in malitia subditas. In hunc modum secundum mysticum sensum enarrant Hieronymus atque Salonius.

Pretiosior est sapientia & gloria parua ad tempus stultitia.

Varia est apud diversos huius loci lectio & enarratio. Ex textu Hebraico, manifestè patet, nomina illa, sapientia & gloria, accipienda esse in casu ablatiuo, nomē autem, stultitia in casu nominatiuo; item adiectiuum nomē, parua, debere cōiungi nō cum gloria neq; cum sapientia, sed cū stultitia. Quod inspicienti Hebræum textū, patebit manifestissimè. Videtur itaq; hic assignandus esse sensus. Parua ad tempus stultitia, melior est quàm sapientia & gloria. In quo sensu videtur argui superba & apparens sapientia, commendari verò humilis & mediocris sapientia, quæ videtur esse stultitia. Hæc enim parua stultitia videtur illa esse, de qua Apostolus loquitur apud Corinthios, dicēs: Si quis vult
inter

Varia lectio & enarratio.

I. Cor. 3.

inter vos sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens. Hæc enim stultitia parua est, quoniam tantum coram hominibus reputatur stultitia. Illa autem stultitia quæ coram deo stultitia est, ipsa verè magna stultitia est. Est quoque diuina sapientia tantum ad tempus stultitia & ad tempus tantum parua atque ingloria, donec videlicet in hoc mundo latet abscondita. In futuro tamen quando omnia reuelabuntur, palam fiet pretium & gloria eius: quando e contrario illa sapientia superba, quæ nunc est cum honore & gloria, id est, sapientia mundi huius, despecta videbitur: quando coram oculis videbitur impletum quod in Euan-

Luc. 16. gelio ait dominus: Quod altum est hominibus, abominatio est apud Deum. Iuxta

Sapient. 5. quod graphicè admodum in Sapientiæ libro depictum legimus, prolixa narratione verborum, ubi de bonorum gloria confusi dicunt impij: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios dei, & inter sanctos fors illorum est. Quidam verò textum præsentis loci ordine verborum inuerso, ita legunt: Melior est sapientia paruaque, gloria

ria ad tempus stultitiæ: Cuius lectionis hunc sensum assignant: Melior est sapientia etiã modica, quàm magna gloria stultitiæ, quæ tãtùm ad tempus perdurat. Melius est habere parum sapientiæ, quàm magnam stultitię gloriam. Qui sensus ab Olympiodoro Græco expressus est, maiorémque eo qui suprã est assignatus habet facilitatem, sed originali lectioni Hebraicæ non est consonus, vti suprã ostendimus. Cùm æditione autem Græca consentit, quæ hoc loco sic habet. *τίμον ὀλίγον σοφίας ὑπὲρ δόξαν ἀφροσύνης μεγάλης.* Hoc est: Preciosius est modicum sapientiæ, super gloriam stultitiæ magnam: Illud autem quod beatus Hieronymus secũdum æditionem antiquam legit: Pretiosa est super sapientiam & gloriam stultitia parua, priori lectioni ex Hebræo & sensui prius assignato magis cõuenit. Illud quoque notandum, particulam istam, ad tempus, quæ in vulgatis Latinorum codicibus habetur, neque in Hebræis neque in Græcis inueniri, neque à veteribus commentatoribus enarrari. Nam neque Hieronymus particulã illam legisse videtur, neque Olympiodorus: Sed neque sententiæ multũ quadrat, maximè illi genuinæ quam ex Hebræo assignauimus, tametsi

*Alia le-
ctio.*

commodè satis illi quadret, quæ secundum Græcos est posita.

Cor sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra illius. Sed & in via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.

De corde materiali eiusque locali situ, manifestum est non hîc fieri sermonem: quoniam quidem stultis nō alio loco cor situm est, quàm sapiētibus, neque hinc est vlla inter ipsos diuersitas. Spiritualiter ergo quod dicitur accipiendum est mētem

*Cor sapiē- & affectū sapiētis ad bona respicere, quæ
tis in dex- per dexteram partem significantur, insi-
tera, stul- pientis verò animum in mala intendere
ti in sini- quæ per sinistrā signantur. Quoniā enim
stra.* dextera est natura dignior atq; præstātor
sinistra, hinc fit, vt per ea quæ ad dexte-
ram sunt bona signentur, per ea autē quæ
sunt ad sinistram mala. Sic enim & alibi di-
citur. Vias quæ à dextris sunt nouit domi-
nus, id est, vias bonas & rectas de quibus

Psal. 1. in I. Psal. dicitur: Nouit dominus viam iu-
storum. Hinc & vulgo sinistrū vocamus,
quod malum & iniquum est, vt suspitio-
nem sinistram, oculum sinistrū, sinistram
iudicium, & huiusmodi. Vnde etiam ad si-
nistram reprobi, ad dexteram electi, in E-

Mat. 25. uangelio dicuntur à iudice constituen-
di. Vel per dexteram intelliguntur bona
atq;

æterna & superna, quæ sola sunt verè bona, per sinistram verò, bona inferna & tēporalia, quæ propriè bona non sunt, eo quòd stabilitatē suæ bonitatis non habēt, sūntque comparatione ad bona æterna minus bona, & velut ex parte mala. In quem sensum enarrari solet, quod de sapientia *Prouer. 3.* in Pro. dicitur: Longitudo dierum in dextra eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria. Ut indicetur, sapientiam pro dono præcipuo & summo dare possessori æternitatem beatam & spiritu alia bona, pro dono verò viliori & quasi adiectitio etiam temporales diuitias & gloriam, quemadmodum de Salomone Reg. sacra narrat historia. In hunc autem sensum, cor sapientis dicitur esse in dextra eius: cōtrà stulti in sinistra, quoniam sapientis animus ad superna & præcipua bona aspirat, iuxta id quod Apосто. ait: Non contemplantibus *2. Cor. 4.* nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna. Stultus verò non nisi ad tēporalia & terrena mentem affectumque nouit intendere, his totum apponit animū, in his omnem locat fiduciā. Huiusmodi erat ille in Euang. diues, qui in abundantia temporalium facultatum quietum volens constituere cor suum,

Lnc. 12. suum, dicebat: Anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos. Requiesce, comede, bibe, epulare. Sic illius in sinistra cor erat: propter quod voce diuina stultus ipse asseritur, dicente ad eum domino: Sultè, hac nocte à te repetent animam tuam, & quæ parasti cuius erunt? Generali quoque cōclusionē finiens adiungit sermo domini: Sic est omnis qui sibi thesaurizat, & non est in deum diues. i. qui neglectis iis quæ dei sunt (quæ per dexteram signantur) solis inhæret terrenis, quæ signantur per sinistram. Quod deinde adiungitur. Sed &

*Stulti sibi
placentes
ceteros de
spiciunt.*

in via stultus ambulans cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat, stultorum significat iniquum iudicium, quo præ se omnes contemnant, sibi mirè placētes & apud se inaniter gloriātes tanquam sapientes, ceteros verò sui dissimiles omnes ut stultos despiciunt. Id manifestum est cernere in sapientibus atque prudentibus huius seculi: qui cum verè sint insipientes, intus tamen turgidi sunt atque inflati, persuasione magnæ sapientiæ quam sibi tribuunt. Viros autem probos solos verè sapientes, in quibus latet humilis illa & quæ secundum deum est sapientia, tanquam stultos despiciunt ac nihili faciunt. Atque ita sensus erit: Stultus ambulans in via sua illa mala & sinistra quem-
admo

admodum in sinistra cor suum habet, cæteros omnes, eos maximè qui sui sunt dissimiles, æstimat stultos, cū ipse sit verè insipiens. Vel intellige stultos ex se æstimare alios, quemadmodum ferè euenire videmus, vt qui mali sunt mala cogitent. Iuxta enim quod ipsi se affectos in corde sentiunt, ex leui suspitione aut minima occasione alios temerè iudicant. De sapientibus verò, iuxta vtrūque sensum per contrariū nobis liceat dicere, quòd in via sua recta, sicut cor habet in dextera, ambulantes, neminem iudicant, neminem despiciunt, sed potius seipso abiiciunt, & in suis oculis tanquam insipientes se reputant. Præstat enim hoc humilitas veræ coniuncta sapientiæ, vt is quem possederit non se superbè aliis quāsi solus habens sapientiam præferat, non item alios vt insipientes despiciat, sed ipsum potius sibi facit tanquam insipientem & peccatorem vilescere, cū verè sit sapiens: cæteros autem eos etiam qui verè insipientes sunt, tanquam multa præditos sapientia venerari, nisi contrarium ostendat rei euentia. Deinde, sapientes ex se alios metientes, cū ipsi sibi sint bene conscij, de aliis quoque bonam habent opinionem, nec suspicantur vanè, aut temerè iudicant.

*Sapientes
de se hu-
militer, de
aliis ma-
gnificè sen-
tiunt.*

Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, quia curatio cessare faciet peccata maxima.

Spiritus significat iram vel impetum. Secundum sensum literæ maximè congruentem, spiritus habentis potestatem intelligitur impetus aut vis, aut ira potentis. Non est enim inusitatum scripturis sacris, per spiritum intelligere, iram, vim, siue imperum. Veluti cùm in cantico

Exod. 15. victoriæ canit sanctus Moyses: Misisti iram tuam quæ deuorauit eos sicut stipulam, & in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ. Ac rursus: Flauit spiritus tuus, &

Psal. 47. operuit eos mare. Et in *Psal.* dicitur, In spiritu vehementi cõteres naues Tharsis. In

Prou. 1. Prouerbiis quoque indignans aduersum contemptores loquitur sapientia. En proferam vobis spiritum meum, id est, iram meam ostendam vobis, eam nimirum quam statim subiunxit, dicens: Ego quoque in interitu vestro ridebo, &c. Dicitur autem hic spiritus potentis ascendere super eum, aduersus quem illum contingit iram suam, & vim exercere. Monemur ergo, si potes quispiam per vim aut violentiam aduersum nos velit agere, si nos persequatur po-

Locum tuum ne deseras tentior, ne locum nostrum deseramus, id est, per impatiẽtiam & desperationẽ corruamus in peccatũ, aut veritatem siue do-

ctrix

ſtrinæ ſiue vitæ in qua ſteterimus deſera-
 mus: ſed per patientiam ſtabiles perſeue-
 remus, in nullo fracti aut diſſoluti alienæ
 potentia impetu. Rationem verò adiun-
 git, dicēs: Quia curatio ceſſare faciet pec-
 cata maxima. Vbi curatio accipi poteſt
 pro correptione, quæ per aduerſitatem fit.
 Per aduerſa nanque, quæ à potentium vi
 homo perpetitur, contra mala remedium
 accipit, dum per patientiam pro Dei at-
 que virtutis amore feruntur patienter
 illata. Cedit enim hoc ad purgationem
 peccatorum præteritorum, & à futuris
 cuſtodit: quoniam minorem occaſionem
 peccandi homo habet in aduerſis, quàm
 in proſperis. Atque ad hunc modum iſta
 curatio ſiue correptione & emendatio ceſ-
 ſare faciet peccata maxima: quoniam &
 vetera purgat & à nouis præſeruat. Vel
 curatio intelligitur ipſa cura & ſtadium
 obtinendi locum præiorem, in hunc ſen-
 ſum: Quia ſi curaueris, ſtudiúmque ha-
 bueris, etiam aſcendente contra te ſpiri-
 tu potentis, non deſerere locum tuum, ſed
 permanere in ſtabilitate virtutis, curatio
 iſta & ſtadium iſtud te præſeruabit à pec-
 catis maximis, in quæ deuenires, ſi tuum
 locum deſereris, ſi impatiētia fractus, ve-
 ritatem vitæ aut doctrinæ derelinqueres.

*Correptione
 utilis.*

Curatio pro sanitate. Potest etiam per curationem intelligi sanitas, quemadmodum ex Hebræo vertunt nonnulli interpretes. Sanitas autem ista accipi potest stabilitas ipsa virtutis, quæ est animæ sanitas, & cessare facit peccata maxima, in quæ ruunt instabiles. Mysticè verò, per spiritum hunc habentis potestatem intelligunt diabolum principem tenebrarum, de cuius potestate scriptum legimus apud beatum Iob, dicentem: Non est potestas super terram, quæ comparetur illi. Hic si super nos ascenderit, id est, si aduersum nos tentationibus suis agat, cupiâtque dominari nostri, monemur ne cedamus tentamentis illius, neque (vt ait *Eph. 4.* Apostolus) locum demus illi, sed stabiles permaneamus in loco nostro, id est, in nostro proposito ac statu bono in quo constiterimus. Curatio enim, id est, castigatio ista quam dominus ad nostram eruditionem ita super nos venire permittit, cessare faciet peccata maxima, quoniam à peccatis præteritis mundabimur, & cōtra futura, vbi fideles sic fuerimus comprobati, stabiliemur in augmento diuinæ gratiæ. Item cura illa & studium sic resistendi diabolo cessare faciet peccata maxima, quoniam licet homo facilè tētamētis diaboli coinquinetur veniali offensa, quæ peccata

cata minora appellantur, si tamen curam
 habuerit resistendi diabolo & prauis eius
 suggestionibus, effugiet, peccata mortis,
 quæ, eo quòd animam penitus interficiunt,
 meritò peccata maxima dicuntur. Cui be-
 nè consonat id quod in Psal. Prophe. ait:
 Delicta (minora videlicet quæ venialia
 appellatur, & quotidie etiam à iustis com-
 mittuntur) quis intelligit? Ab occultis *Psal. 18.*
 meis munda me, & ab alienis parce seruo
 tuo. Si mei non fuerint dominati, siue do-
 minata, tunc immaculatus ero, & emun-
 dabor à delicto maximo. Hoc est, donec
 ego meum locum non dimiserò, donec
 per plenum consensum meipsum non sub-
 iecero peccato aut diabolo peccati sug-
 gestori, tamdiu ero apud te immaculatus,
 & innocens ero à peccato mortis, quod
 merito appellatur peccatum maximum.
 Denique, si pro sanitate accipiatur ista cu-
 ratio, hic habebitur sensus: Agente con-
 tra te diabolo, ne cesseris illi, sed viriliter
 obiste: vt custodias innocentiam atque iu-
 stitiam tuam. Non enim sine magno tuo
 lucro erit hæc pugna, neque erit absque
 præmio victoria: quoniam si illæsus per-
 manseris ab oppugnatione inimici, si
 mortale vulnus tibi non inflixerint tela
 tentationum illius, inque tua sanitate sic

permāseris, viriliter obluſtādo maligno, ſanitas & integritas iſta ceſſare faciet peccata maxima: quoniā & præteritorū merebitur plenā purgationē, & cōtra futura ſtabilimentū. Contra verò, dicere licebit de iis qui aſcēdente cōtra ſe ſpiritu potentis ſuū locū dimiſerint, quod per ſuā illā infirmitatē, per vulnus mortiferū quod accipiunt à potente, cui nō validè ſatis obluſtantur, item per negligentia ſuā qua non curant vel deberent obſiſtere, incidunt in peccata maxima: quia qui in vno conſentit vitio, pronus mox efficitur ad alia.

Est malum quod videt sub sole, quasi per errorem egrediens à facie principis, positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum. Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram, quasi seruos.

Apud principes, frequenter indigni eleuantur, digni ſupprimuntur.

Secundum literam ita frequenter in rebus humanis euenire videmus, vt homines pleni inſipientia & ſtultitia apud principes huius mundi ſummo loco habeantur: alij verò etiam diuites & probi, in nullo habeantur pretio apud principes. Ita contingit interdum, eos qui conditione ſeruiles & infimi ſunt, ſic apud principes exaltari, vt in ſublimibus caballis vehantur glorioſi. Contrà verò, eos qui præclaro ſunt ſtemmate nati & genere illuſtres,

contin

contingit ita nullo esse loco apud principes, vt cogantur ipsi obambulare pedites. Imo contingit non raro, vt ignobiles stulti in sublimibus caballis tanquam principes, cursores habeant atque ministros homines multò se & genere illustriores & virtute probiores. Hanc autè tantà inæqualitatem, & (vt videtur) iniquitatè promotionis, Sapiens appellat malum, id est, vanitatem. Profecto enim vanitas est, ita honore indignos honorari, dignis verò debitū honorem minimè præstari. Dicit quoque malum istud quasi per errorè à facie principis egredi. Procedit enim hæc inæqualitas siue potius iniquitas promotionis atq; honoratiōis, ex errore & ignorantia principū: qui plerunque & ipsi sunt stulti, propter quod, stultis gloriosis scientibus adulari & Thrasonem agere, oblectantur magis quàm sapientibus qui humiles sunt & recta norunt consulere. Unde fit, vt sæpe per principum stultitiam & errorem gloriosi Thrasones, & improbi parasti, aut alterius generis homines facinorosi, in summa fastigia subleuentur, sapientes verò & modesti, tametsi nobiliores stemmate, negligantur & in infimis relinquuntur conditionibus. Aliter quoque vanitas ista à facie principis per

errorem egreditur, quoniam frequenter errant principes in iudicio, putantes honore dignos, qui eo indigni sunt, atque econtrario indignos qui verè sunt dignissimi. Potest quoque prædictus locus ex-

*Moralis
enarratio.*

poni moraliter, per diuites intelligendo eos qui virtutibus sunt diuites, per seruos eos qui peccatis & diabolo seruiunt, per principes, homines dominantes suis affectibus. Atque ita sensus est: Vidi stultum positum in sublimi dignitate terrena, eos autem qui sunt virtutibus diuites vidi in humili conditione positos, tanquam despectos & incognitos. Atque in eandem sententiam sequitur aliis verbis: Vidi homines stultos seruientes peccatis, in magna pompa seculi: sapientes autem qui peccatis non seruiunt, & verè sunt liberi, vt pote à veritate (iuxta Euangelicum verbum) liberi facti, absque omni honore viuere, ita vt stultis in equis residenti- bus cum gloria, ipsi in humilitate obambulant pedites. Quomodo autem hoc malum fit, & quomodo à facie principis per errorem, egrediatur, eodè modo quo supra potest intelligi. Quidam tamen per

Ioan. 8.

*Principè
deū quidā
intelligūt.*

principem, dum dicitur: A facie principis, intelligunt Deum qui est princeps magnus super omnes. Dicunt enim, malum istud

istud egredi quasi per errorē à facie principis, quoniā humano iudicio videri posset deus ignorare res hominum, eorūq; merita & demerita ignorare. Quēadmodum animales homines ex cōsideratione illius inæqualitatis inducuntur vt credāt deum nō attendere ad res humanas. Iuxta quod in Psalmo dicitur: Dixit insipiens in corde suo non est deus. Ex quorū persona in libro Iob dicitur: Circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat. Et iterum in Psalmo, ex eorundem persona: Quomodo scit deus, & si est sciētia in excelso? Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo, obtinuerunt diuitias, & cætera multa quæ secundum prædictam considerationem sequuntur. Ideoque signanter dictum putant, non simpliciter: per errorem egrediens, sed quasi per errorem egrediens, à facie principis, id est perinde ac si deus erraret & ignorantia deciperetur, in hac inæqualitate. Alij verò ecōtrario per hunc principem intelligūt diabolum, cuius procuratione nō raro fit, vt stulti & pestiferi homines exaltentur ad summa honoris fastigia, boni verò pessundentur & sint ignobiles. Maximū enim lucrum sibi nouit diabolus omnis author malitiæ, ex malorū exaltatione prouenire, quemad-

*Psal. 13.**Iob. 22.*

*Principē
diabolum
aliq; acci-
piunt.*

modum e contrario per bonorū exaltationem ipsis decedit plurimum, cum hi semper præ sint ad ædificationem & salutem, illi semper ad destructionem & perditionem. In quem sensum exponit Gregorius Næocæsa. Episco. in sua metaphrasi, cuius hæc sunt verba: Opera autē tyranni & patris omnis malitiæ, hæc sunt: Insipientem in excelsum sublimari, diuitem sensu humiliari: seruos peccatorum in equis ferri, & viros sanctos humiliter obambulare, videréque coram se impios superbientes.

Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber. Qui transfert lapides affligetur in eis: & qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis.

Sibi nocet Manifestum est, hoc secundum moralem intellectum esse accipiendū, vt indinocere parat, quod nocere sibi perat, quod riculum & malum asciscere. Qui fodit foueam (inquit) id est, qui alteri struit insidias, & alterum quærit in laqueum inducere, ipse in eam quā alteri parauerat incidet, id est, in malum incidet quod præparauit proximo suo. Iuxta quod in Psalmo de huiusmodi dicitur, Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descen

Psal. 7.

Eccle. 27.

Morde-

mo de huiusmodi dicitur, Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descen

descendet. Et in Ecclesiastico dicitur in *tur à coz-*
 eandem sententiam: Qui laqueum alij po *lubro qui*
 nit peribit in eo. Deinde subiungit: Et qui *dissipat*
 dissipat sepem, mordebit eum coluber, id *sepem.*
 est qui proximo suo cupit nocere in re mi
 nori, grauius ipse patietur nocumentum.
 Qui enim sepe diruit proximi sui, dānum
 infert proximo, dū quę ipsius sunt in hor
 to aut vinea, diruta iam sepe, direptioni
 fiunt exposita quę prius erant sepe muni
 ta. Damnū itaque infert proximo, sed dā
 num tantū in rebus externis, quę sunt
 bonorum temporalium vltima: ipse verò
 damnum longē grauius accipiet interim,
 dum proximo sic nocere quærīt. Continget
 enim illum à serpente morderi, qui in
 sepe habitabat, vt solent circa sepes maxi
 mē vetustas sibi nidos constituere. Mor
 sus autem serpentis, vitę adfert pericu
 lum: & nisi quantotius adhibeatur reme
 dium, mortem certā operatur: quod dam
 num longe est supradiçto grauius, quia
 damnum est vitę, quę inter temporalia
 omnia bona primum locum obtinet. Per
 quod significatur, eum qui proximo in re
 bus minoribus vtpote in rebus tempora
 riis nocere cupit, primū sibi multò gra
 uius nocere, quoniam suam animam mor
 te afficit. Rursum, idem hoc videtur signi
 ficare

*Affligitur q̄ maceriam di-
ruit.* ficare in eo quod sequitur: Qui transfert lapides, affligetur in eis. Vel, vt alij habēt. Qui subtrahit siue extrahit lapides. Vide-
tur enim sermo fieri de eo qui maceriam conatur diruere. Is enim lapides de suo loco effodit, vel extrahit vel transfert, quod non sine labore fit, neque periculo maceriam diruētis. Primū enim, in lapidibus illis tantum auferendis & suo loco mouendis, est afflictio. Deinde, non raro contingit, vt cadens de aceruo lapis aliquis subito lapsu manū vel pedem extrahentis dolore aut etiā vulnere affligat. Sic item qui ad faciēdum damnū proximo ligna ipsius abscindit, vel vt furto noceat, vel vt in fructibus inferat damnū (fructum enim arboris tollit, qui præscindit arborem) nonnūquam ab eis vulneratur, nisi admodum sollicitè sibi caueat atq; prospiciat. Interdum enim ipse corruit ab arbore qui superne cædit. Interdum super ipsum cædentem arbor aut ramus quispiā corruit. Interdum ramus inflexus ad præcisionem, per viriditatem & rigiditatē se subito erigens aduersus trahentem, oculum aut faciem aut aliud membrum lædit, aliāque huiusmodi incommoda inde possunt consequi. Quibus omnibus indicatur, neminem sine suo detrimēto aut incommodo alteri

alteri

alteri posse detrimenti quippiam adferre.
 Hæc autem secundum sensum literalē ita
 sunt dicta, quem paucis verbis lucidè ex-
 pressit supra citatus Gregorius Næocæ. *Gregorij*
 his verbis: Qui alteri insidiatur, nescit *Næocæ.*
 quòd sibi ipsi primùm & soli insidias pa- *pulchra*
 rat. Qui securū alterius demolitur præsi- *paraphra*
 dium, in serpentis morsus passim incidet. *sis.*
 Sed & qui lapides extrahet, laborē suffe-
 ret non parvū. Similiter & qui ligna scin-
 det, in armis suis periclitabitur, id est, ab
 instrumētis quibus ligna cædit: quoniam
 videlicet nō raro securi se vulnerāt ligna
 cædentes, cæterū expositiones mysticas po- *Varie ex-*
 nunt varias. Beatus Hiero. sepē interpre- *positiones*
 tatur Ecclesiastica dogmata, & institutio- *mysticæ.*
 nem ab Apostolis Prophetis que fundatā.
 Quam sepē dissipat, qui illa euertere quæ
 à patribus fundata sunt annititur. Hunc
 verò serpens mordebit diabolus, ille vide- *Amos 6.*
 licet de quo apud Amos dicitur: Si descen-
 derit in infernum, ibi mandabo serpenti,
 & mordebit eum. Lapidēs idem interpre- *Lapides*
 tatur homines, qui in ædificio ecclesiæ tā *fideles.*
 quàm lapides viui cœdificati sunt, & con-
 paginati, per glutinum spiritus sancti, de
 quibus lapidibus Pet. Apo. loquitur. dicēs: *1. Pet. 2.*
 Tanquàm lapides viui superædificamini.
 Et in Apoca. Nobile illud cœdificium quod *Apoc. 25.*
 in

in spiritu vidit Ioannes ex lapidibus hisce ædificabatur. Hos lapides trāsfert vel extrahit aut subtrahit, de edificio, qui per hereticam fraudē vel scandalum malum fideles à veritate aut virtute abstrahit. Quod qui facit, proculdubio affligetur in eis, id est, cruciabitur propter eos in secula. Iuxta verbū Saluatoris, dicentis: Væ illi per quem scandalum venit: Expedi enim ei, vt suspēdatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundū maris. Per ligna verò intelligit hæreticos, qui ligna sunt infructuosa, sapidum & vtilem fructum non ferentia. Hos qui præscindere voluerit, aduersum hos qui disputatione certare voluerit, nisi admodū sit eruditus & cautus, in periculo erit, ne fortè vulneretur & nocumētum accipiat ab illis. Qui enim non benefirmatum aut nō multum exercitatum habet intellectum in fidei sacra dogmatibus, hic citius ab hæretico, si cum eo velit disputatione misceri, vulnerabitur aut subuertetur, quàm ipse illum sit suo alloquio sanaturus, aut conuersurus ad agnitionem veritatis. Aliter prædicta omnia exponit Olymp. Sepem interpretatur legem dei & sanctum timorem. quoniam lex dei & sanctus timor domini animam munit, & bona animæ custodit,

Matt. 18.

Ligna hæretici.

Olymp. mystice interpretaciones.

quem

quemadmodū sepes materialis locum mu-
 nit, & quæ in eo sunt conseruat. Vnde qui
 legem dei abiicit & sine timore est, simi-
 lis est horto cuius sepes est dissipata. Iu-
 xta quod in Ecclesiastico dicitur: Vbi non *Eccle. 36.*
 est sepes, diripietur possessio. Lapidēs au-
 tem extrahit aut trāsfert, iuxta illius enar-
 rationem, qui virtutes & opera virtutum
 (quæ sunt velut lapides ædificij spiritua-
 lis) per negligentiam & torporē perire
 finit, qui per socordiā vel vanā elationem
 demolitur ac soluit prius extructa. Atque
 hic ita lapides extraneus & ædificium dis-
 soluens, vtique affligetur in eis: quoniam
 propter hanc dissolutionē spiritualis ædi-
 ficij, in æternitate cruciabitur. Quēadmo-
 dum econtrario lapides congregat is qui
 virtutibus ac virtutum operibus spiritua-
 le ædificium cōstruere laborat. Aliter per *Zach. 9.*
 lapides intelligit homines sanctos de qui-
 bus apud Zacha. dicitur: Lapidēs sancti e-
 lenabūtur super terram eius. Hos lapides
 extrahit, qui sanctos interficit aut perse-
 quitur, quemadmodū Ioannem Herodes
 interfecit: quod quisquis fecerit proculdu-
 bio afflictionem æternam inueniet. Per li-
 gna scindentem, intelligit eum qui sua do-
 ctina fretus, quasi ferro quodam vtens,
 scindere & cōminuere audet diuinas scri-
 ptur

pturas, quæ sunt quasi ligna quædam bene olentia, eas, non secundum spiritum sancti intentionem, sed secundum proprium spiritum, peruersè interpretâdo. Hic autè malè succidēs ligna ista, vulnerabitur ab eis: quoniã in periculosos hæresum errores incidet, ex scripturis illis sic peruersè intellectis, & tã sibi quàm auditorib⁹ mortè inueniet. Alij insuper alias adferunt mysticas præsentis loci enarrationes, quas vitæ nimie prolixitatis gratia prætereo.

Si retusum fuerit ferrū, & hoc nõ vt prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur: & post industriam sequetur sapientia.

Quomodo paranda vel reparanda sapientia. Docetur hic per corporalium similitudinem quomodo homini qui perdidit sapientiã aut ea est imminutus, sit paranda vel reparanda sapientia. Comparat autem hominis animū ferro, ac dicit, quæ admodum si ferrum obtusum fuerit acutiẽmq; suã perdiderit, & non ita vt prius erat fuerit bene acurū, ad restituendū ferro illi suã acutiẽ, opus est labore multo: per laborem tamen potest ferrū reduci ad primitiã, imo maiorem acutiẽ: sic & de hominis animo est dicendum, cum fortè sapientia fuerit imminutus, cecideritque à perfectione sapientiæ in qua aliquando fuerat, non omnino esse rem desperatam, quin

quin saltem labore ac studio redire possit ad gradum pristinum, atq; etiam altiorē. Attramen labore multo opus est illi qui velit recuperare quod perdidit. Nam id ferè in omnibus rebus vsuuenit, vt quod prius voluntariè, per nostram incuriam, vel negligentiam aut torporem perdidimus, difficilè ad hoc ipsum redeamus, neque nisi labore multo & sollicitudine illud contingat assequi. Id considerare possumus, tam in vniuerso hominum genere, quàm in particularibus indiuiduis. Si quidem humani generis in primi parentis conditione vniuersitatem considerādo manifestè cernimus, quomodo ferrum nostri intellectus quod prius bene acutum erat. i. ad capiendā sapientiā optimè dispositū, per primi parētis inobedientiā obtusum atq; hebes sit redditū. Propter quod, modò pro hoc statu opus est labore multo iis qui ferrum suū ad debitā acutiē voluerint reducere. Sapientiā enim quā primus homo ex dei dono in se habuit, cæteri quoq; eius posteris sine labore copiosius erāt accepturi, quāntis nunc laboribus & sudoribus vix tandem pauculam & exiguā nimis assequimur? Sic & in particularibus cōsideramus, eum qui sapiētia imminutus fuerit, si redire velit ad eum gra-

dum quem deseruit, labore & studio debere ad ipsum pertingere. Labor aut̄ iste varius est, partim in assidua postulatiōe pro dei sapientia. Illis nāq; qui sapientia sunt imminuti & ad priorem gradū redire cupiunt, necessariū est super omnia, assiduū orationis studiū. Quemadmodū sanctus

Iacobus. Apo. ait : Si quis aut̄ indiget sapientia, postulet à deo qui dat omnibus affluēter &

Mat. 29. non improperat. Postulet autē in fide, nihil hæsistans. Habet autē assiduum orationis studiū, non modicum laborē, quantū ad corpus attinet : quoniam spiritus licet

Eccle. 12. prōptus sit, est tamen caro infirma, aggrauatq; animā corpus semper quod corrūpitur. Meditatione quoq; frequenti, quæ (iuxta Sapiē.) carnis est afflictio, opus est ad acquirendā sapientiā. Tum & acri certamine aduersus vitia, quæ pugnant cum dei sapientia, & negotioso virtutū exercitio, quas illa diligit. Hæc autē omnia, profecto laborem habent non minimum.

Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.

Serpenti sicut serpens occultè mordet inaduertentem, mordensq; venenum in illum effundit : sic qui in occulto detrahit proximo, quasi morsum venenatū infigit, virus suæ malitiæ

malitiæ aduersus illum sibilante lingua euomens. Vnde quemadmodum serpente omnes abominantur, sic & detractor est omnibus bonis execrabilis. Quemadmodum Dauid sanctus aiebat: Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequer. *Psa. 100.*
 Et Iacob⁹ ait: Nolite detrahere alterutrū, *Iaco. 4.*
 fratres mei. Ac rursum apud Sapiētem dicitur: Labia detrahentia sint procul à te. *Prou. 4.*
 Hinc & Paulus ait: Quod si inuicem mor detis & comeditis, videte ne abinuicem consummami. Alibi quoq; detractioē cum dei odio cōiungit, dicens: Detractores deo odibiles. Sciendū tamen q̄ translatio septuaginta Interpretū hoc loco aliquantulū secus habet, quàm nostra vulgata vel Hebræa. Sic enim habet: Si mordeat serpens in silentio, nihil est amplius, excantanti vel incantanti. Quod verbum de cōfessione pro catholici dogmatis cōfirmatione pulchrè exponunt authores vetusti, Græci atq; Latini. Olympi. nanque *De cōfessione hūc locū Græci atq; Latini sunt interpretati.*
 Græcus præsentem locū enarrat, his verbis. Si peccati serpens mordeat in silēcio, hoc est, ita vt peccator admissum scelus nolit confiteri, nullam salutem ei poterit præstare is qui sancta incantatione eū curandum susceperit, donec sua peccata confiteri noluerit. Cui videtur cōsonare quod

in sua metaphraſi habet diuus Gregor. Næocæſa. Occultum (inquiens) ſerpentis morſum, incantatores non medicabuntur. Occultus enim morſus ſerpentis eſt, peccatum à peccatore celatum qui morſus ab incantatoribus, quantumuis prudentibus, id eſt, viris ſpiritualibus & ſacerdotibus, nō poterit curari, donec per cōfeſſionem in palā veniat. His apertè ſubſcribit Hieronymus, in hunc habens modum. Si quē ſerpens diabolus occultè momorderit, & nullo conſcio peccati veneno eum infece- rit, ſi tacuerit qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fra- tri & magiſtro voluerit cōfiteri, magiſter & frater qui linguam habet ad curādum, facile ei prodeſſe non poterunt. Si enim ægrotus vulnus medico nolit confiteri, quod ignorat, medicina non curat.

Verba oris ſapiētis, gratia: & labia inſipientis precipitabunt eum. Initium verborum eius ſtultitia, & nouiſſimum oris illius error peſſimus. Stultus verba multiplicat.

Verba ſa- Verba quæ ex ore ſapiētis procedunt,
piētū at- gratiam habent, id eſt grata ſunt & amabi-
que ſulto lia, vtpote vtilitatem veram adferentia.
riū multi Iuxta id quod Paulus diſcipulos ſuos quos
diuerſa. eſſe voluit ſapiētes admonuit, dicens: Ser-
Colo. 4. mo veſter ſemper in gratia ſit ſale condi-
 tus,

tus, vt det gratiam audiētibus. Labia autem stulti præcipitabunt eum, nempe stultum: quoniam ex verbis stultitiæ & prauitatis suæ, stultus in mortem & condemnationem præcipitabitur. Sic enim in Euangelio ait dominus: Ex verbis tuis cōdemnaberis, & ex verbis tuis iustificaberis. Et item: De ore tuo te iudico, serue nequam. Præcipitatio autem ista est, de qua in Psalmo dicitur, Præcipita domine, diuide linguas eorū, &c. Vel aliter intellige, in hūc sensum: Labia stulti præcipitabunt ipsum sapientem: vt relatio fiat ad sapientem, de quo in priori parte fit sermo. Stulti enim libenter solent sapientibus contradicere, atq; aduersum illos pugnare: ppter quod, dicuntur præcipitare sapiētes, id est conari ad cōfundendū & deuincendū eos. Quælia autē sint ista stulti verba, quibus vel se in mortē præcipitat, vel sapientē conatur deuincere, subsequenter indicat, dicēs: Initium verborū eius stultitia, & nouissimū oris illius error pessimus. In quo significatur profectus malitiæ, dum peiora fiunt nouissima prioribus. Siquidē à stultitia sermonis sui sumunt exordium & in errores pessimos tandem finis procedit sermonis. Impudēs enim & effrenis lingua, quæ de malo thesauro malī cordis verba pro-

*Mat. 12.**Luc. 19.**Psal. 54.**Matt. 12.*

Psal. II.

fert, continuo roboratur in malo: vt dicat
 tandē quicquid libet, & quicquid in buc-
 cam venerit aufit pronūciare. Iuxta illud
 Psalmi. Labia nostra à nobis sunt, quis
 noster dominus est? Huius rei manifesta
 exempla nostra hac tempestate plurimo-
 rum stultorū nobis labia demonstrarunt:
 quæ à stultitia (vt videri poterat) medio-
 cri, sumētia sermonis exordiū, tandē in er-
 rores pessimos eosdēmq; plurimos perue-
 nerunt. Verissimū est autē, quod de stulto

*Stultus
 verba
 multipli-
 cat.*

mox adiungitur. Stultus verba multipli-
 cat. Ita enim solēt qui parui sunt & paupe-
 res sensu, verba libēter multiplicare: quē-
 admodū e contrario, qui sapientia & sen-
 su sunt diuites, parci verborū esse compro-
 bātur. Nam (vt suprā dictū est) tempus &
 responsionē cor sapientis intelligit, id est,
 temporis oportunitatē considerat, & quid
 responderi possit, antequām eloquatur,
 præcogitat sapiens, cū stultus interim
 absq; præmeditatione aliqua quicquid in
 buccam venerit effutiat. Propter quod &
 vulgo, ex multiloquio stultus deprehendi
 solet, quemadmodū ex maturo silētio sa-
 piens. Dicitur autē stultus verba multipli-
 care, nō solūm ea ratione quia verba insi-
 pientia multa proloquitur, sed etiā cū
 verba sapiētia atq; virtutis loquitur, ver-

ba dici

ba dicitur multiplicare: Nam etiamſi de virtute & bonis loquatur, cū neque cor neq; vita verbis respondeant, tantū verba inania ille effundit, de illis loquēs quę ipſe non nouit neq; probauit, quod eſt nugatorum & fabulatorū, loqui ſcilicet aliter quā intus ſint affecti, & de iis quę ipſi nō probauerunt ſermonē multum facere: Similes enim hi ſunt garriētibus picis, aut loquacibus graculis: qui cū labiis aſſiduē garriant, multāque eloqui videantur, cor tamen omnino eſt vacuum, neq; quid garriant aut fabulentur intelligunt. Hinc de inſipiente iſto apud Sapiētem dicitur: Homo acharis (id eſt, ſine gratia, cuius ſermo gratiam non habet) quaſi fabula vana, ſupple eſt, in ſermone ſuo, & in ore indiſciplinatum aſſidua erit. Ex ore fatui reprobabitur parabola, nō enim illam dicit in tempore ſuo.

Eccl. 20.

Ignorat homo quid ante ſe fuerit, & quid poſt ſe futurum ſit, quis ei poterit indicare?

Videtur hoc aptē ad id quod ſtatim preceſſit cōiungi. Dixerat enim, ſtultos multiplicare verba, quibus frequenter de iis quę præterita ſunt multa garrire ſolent, atq; etiam futura curioſa perueſtigatione nimiū ſolicitē inquirūt, & prædicere audent, cū pauciſſima ſint quę certō ſciat

homo de præteritis, & de futuris penè nulla habeatur certa cognitio: propter quod, omnino vanū videtur, super huiuscemodi incertis & incognitis (quod faciunt insipientes) multiplicare sermones.

Labor stultorum affliget eos qui nesciunt in urbem pergere.

Ciuitas ec Ciuitas ista accipi potest, vel illa quæ hic
clesi.a. in terris agit sancta & militās Ecclesia, quæ
1. Tim. 3. apud Apostolū domus dei appellatur: vel
Apo. 21. altera illa in sublimibus triumphans, quæ
Heb. 11. in Apocalypsi prolixè describitur, ab eodē quoq; Apostolo ciuitas futura, ciuitas manens & fundamēta habens, id est, æternitatis stabilitate perduratura asseritur. Qui in priorē urbem pergere nesciūt, illi sunt qui vel nō sciunt vel non volunt Ecclesiæ sanctæ definitionibus stare, qui nō se intra Ecclesiasticā vnitatem & firmitatē cōtinere & cōcludere satagūt, vt sint (iuxta Psal. *Psal. 67.* *Psal. 121.* vocem) in domo dei vnanimēs, & cum fratribus in vnum habitēt: sed diuidunt se & separant, iuxta proprij sensus ambulantes itinera. De quibus ait Iudas Apostolus: Hi sunt qui segregāt semetipsos, animales homines, spiritū non habentes. Huiusmodi autē homines qui nesciunt pergere ad ciuitatem istam, qui nesciunt suum intellectum captiuare intra ciuitatis vnitatem,

rem, id est submittere nolunt suū iudiciū
 Ecclesiæ iudicio, huiusmodi (inquam) ho-
 mines stultorū labor affliget, quoniā im-
 probus stultorū conatus illis præualebit,
 ad seductionē & perditionē animarū sua-
 rum. His enim solis valēt stulti stulta lo-
 quētes nocere, nō iis autē qui (iuxta Pau-
 li consiliū) in vno permanēt sensu eadē-
 que sententia fidei, per omnia Ecclesię in-
 sequētes iudicium. In ciuitatē verò super-
 nam nesciunt pergere, qui ad futurā illic
 retributionē modò nō attollunt oculos,
 qui nō modò in mente habent illa vētura
 æternæ beatitudinis præmia, qui (contra
 Apostoli verbū) putantes hic se manentē
 habere ciuitatē, futuram inquirere nō sa-
 tagunt: qui in casulis istis & tabernaculis
 habitantes, ciuitatem fundamenta haben-
 tem non expectant, cuius artifex & condi-
 tor deus. Eos verò qui eiusmodi sunt pro-
 culdubio affliget labor impiorū: quoniā
 facilè à peruersis seducuntur blandis sua-
 sionibus & exemplis pessimis, qui nesciūt
 ad cælestia mentem attollere, & spe eorū
 quæ expectantur in cælis præsentia quæ
 cernuntur oculis spernere. Qui verò no-
 runt in illam subinde urbem pergere, his
 nihil stultorum labor nocere poterit. Po-
 test quoque præsentis loci hic sensus assi-

I. Cor. I.

Heb. 13.

Heb. 12.

Pfal. 139. gnari: Labor stultorum affliget ipsosmet stultos, iuxta illud *Pfalmit*, Labor labiorum ipsorum operiet eos, nempe in damnatione abscondet æterna: vt deinde quod sequitur, qui nesciunt in urbem pergere, sit causam reddens, quare labor stultorum ipsos affliget, nimirum quia nesciunt pergere in urbem Quia enim nesciunt ad cælestia animum erigere, ideo omnis eorum labor est irritus, & tandem post omnia ad interitum deuenient.

Væ tibi terra, cuius rex puer est, & cuius principes mane comedunt. Beata terra, cuius rex nobilis est, & cuius principes refcuntur ad reficiendum in tempore suo & non ad luxuriã.

Huius loci sensus literalis per se patens ac facilis est. Profecto enim malè agitur cum terra illa cuius rex puer est, id est puerorum habet mores, etiamsi ætate non sit iunior: qui scilicet instabilitate ducitur concupiscentiæ & non solido iudicio regitur, principes quoque sunt huius similes, qui voluptatē querant, summo videlicet mane antequam ad regni negotia tractanda accedant cibis se ingurgitantes ac potibus. Non enim per huiusmodi voluptati deditos, rectè possunt regni administrari negotia. Sed illi terræ bene erit, quæ regem habet verè ingenuis moribus, nec minus virtute quam

quàm stēmate nobile, principes quoq; habet minimè deditos voluptatibus, sed pudicos & sobrios, qui primo mane sobrij atque ieiuni regni negotia, vigente sensu propter sobrietatem, pertractant, summam gerentes sollicitudinem, quomodo pro regni profectu quàm commodissimè disponant omnia: hīsq; peractis, suo tempore ad cibum cum timore dei sumendū accedunt, ita vt videantur ad corporis refectionem & naturæ necessitatem, non ad carnis voluptatem, cibum potūmq; sumere. Concordat autem cum hoc verbo Sapientiae, quod per prophetam dominus in pœnam cōminatur Israelitico populo, dicens: Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis. Secundum mysticum verò intellectum, alij ad mentem accōmodant aut rationē, bene imperantē in regno animæ aut malè. Vbi enim ratio puerilis est, i. à cōcupiscētia se abduci permittit, & vbi affectiones rationales animæ (quæ sunt quasi principes & rectores eius) mane comedūt: id est delicias & voluptates, quærunt, illic pessimè agitur. Vbi verò est nobilis ratio, strēnuè pro virtute agens, & affectiones sunt regulatæ, in terra cordis illius optimè agitur. Alij ad Ecclesiam accommodant, & synago

Esa. 3.
Mystica
exposit.

synagogā diaboli. Infœlix enim & misera est diaboli synagoga, cuius rex est diabolus, puer sapiētia & iudicio vacuus, qui & principes habet similes sui: inuisibiles quidem, & si ipsi non utātur voluptatibus mundi, ad eas tamen homines sollicitē inducentes: visibiles autē homines, terrenis voluptatibus deditos. Beata autem terra sancta Ecclesia, cuius rex est nobilis Christus, dei patris & virginis matris filius, & cuius principes nēpe sancti angeli sanctique Apostoli & prælati, diligentissimē inuigilant animam salutis promouendæ, ab omnibus fœdis voluptatibus alieni.

In pigritia humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus. In risu faciunt panem & vinum, ut epulentur bibentes: & pecunia obediunt omnia.

Potest istud commodè annecti præcedentibus ut exprimatur, quare vā dixerit terræ illi cuius rex puer est, & principes voluptuarij, & quamobrem terra illa sit malè habitura: Quoniam videlicet vbi talis rex est & tales sunt principes, ibi pigritia regnat & torpor in bono, ibi difficilē aliquid boni tractatur vel agitur vel instituitur, ibi nō est malorum correctio, non est bonorum promotio. Ac proinde omnia perire necesse est, quæ ad bonum regni

gni statum pertinent. Hoc autem indicat *Pigritia*
 sub generali parabola, dū ait: In pigritiis *dāna mul*
 humiliabitur contignatio, & in infirmitate *ta facit.*
 manuum perstillabit domus. Contigna
 tio nanque, id est trabium coniunctio in
 summo domus fastigio, paulatim dissolui
 tur, ac tādē penitus corrui in terram, si
 is qui domū inhabitat piger fuerit & ne
 gligens illi prospicere, debitāque repa
 rationē impēdere. Idem sibi vult sub aliis
 verbis, quod de domo perstillante in ma
 num infirmitate dicitur: infirmas enim
 ad operandum manus habet piger, atque
 ob hoc, dum negligit tēpestiuē reparare
 quam inhabitat domū, dissoluitur tectū,
 stillātque in domū illam pluuia. Quibus
 parabolis manifestum est, non aliud indi
 cari quā damnum quod ex pigritiē pro
 uenit negligentia. Per contrariū verō, de
 strenuitate ac diligētia in agendis curan
 disque rebus necessariis, dicēdum est, per
 eam non solū cōseruari quæ bona sunt,
 verum etiam quæ colapsa fuerant & disso
 luta coniungi: id est, mala multa corrigi,
 atque ad statū bonum restitui: quē admo
 dum illic fieri cernitur, vbi sunt boni ad
 ministratores reipublicæ. Propter quod,
 merito terra illa beata dicitur, cuius rex
 est nobilis, & principes sobrij atque in re
 bus

bus gerendis strenui. Quod autem ita de regno interpretati sumus, potest suo modo ad vniuscuiusque hominis spiritualem domū id est animā, pulchrè exponi: indicando, per pigritiam homini magnū damnum obtingere, utpote, virtutum bonam compaginationē, quæ in summo charitatis fastigio sunt cōditæ, paulatim dissolui & integritatem illam quam supernè habet disiungi, ut malarum concupiscentiarum aquæ in domum cordis possint per consensum malum, quasi per apertam rimam aut patulum foramem ingredi, sicut e contrario, per diligentiam atque strenuitatem in operibus bonis, utilitas magna in anima procedit, per quā quod dissolutum est cōpaginatur, si quid diuisum, reunitur aut obstruitur. Hinc Paulus Apo-

Heb. 12. stulus nos admonet dicens: Remissas manus & soluta genua erigite. Vbi pulchrè nobis commendatur actionis strenuitas.

In vituperationem autem pigritiæ, per Sapientem alibi dicitur: Qui mollis & dissolutus est in opere suo frater est sua opera dissipantis. Illud quoque quod sequitur: In risu faciunt panem & vinum, ut epulētur bibentes, & pecuniæ obediunt omnia, iuxta prædictā continuationem ad principes illos malos ac terræ dissipatores con-

uenie

uenienter potest accommodari. Ipsi enim *Cōmessatio-
negligentes regni negotia, comedatio-
nibus vacāt, & iis quæ consequuntur impu-
cates malis
dicitis. Iuxta quod de huiusmodi ait Pe-
admi-
trus Apostolus: Delitiis affluentes in cōui-
stratores
uiis suis, luxuriātes. Et iterū Iacobus Apo-
rerum.
stolus ait: Epulati estis super terram, & in
2. Pet. 2.
luxuriis enutristis corda vestra. Per Esaiā
Iacob. 5.
quoque dominus vā terribile aduersum
Esaiā 5.
huiusmodi intonat, dicens: Vā qui confur-
gitis mane ad ebrietatē sectandā, & potan-
dum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis.
Cythara & lyra & tympanum & tibia in-
conuiuuiis vestris, & opus domini non re-
spicitis. Ex hac autē vita voluptaria, cū
in principibus regnat, alterum malū con-
sequitur, quod perturbat omnia, nēpe ne-
glectus iustitiæ. Vbi enim deficit sapiētia,
deficit & iustitia: quoniā sapientia necessa-
ria est ad rectē iudicandū & gubernādum
populos, iuxta quod in Prouer. ipsa sapien-
tia loquitur, dicēs: Per me reges regnant,
Prou. 8.
& legum conditores iusta decernūt. Non
potest autem in huiusmodi hominibus
esse sapientia, qui ita se voluptati atque
impuditiæ tradunt. In maliuolam nan-
que animam (vt ait Sapiens) non introi-
bit sapientia, nec habitabit in corpore
peccatis subdito. Et in Prouerbi. dicitur: *Sap. 1.
Prou. 20**

Luxu

Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas: quique his delectatur non erit sapiens. Deinde & auaritia cupiditasque; munerum ex voluptaria vita nascitur, atque; hinc subuersio iustitiae, propter acceptationem munerum. Quod consequenter indicat textus, dicens: Et pecuniae obediunt omnia. Apud illos namque; omnia aguntur muneribus & pecunia. Cum enim sapientiam non habeant, & ad satisfaciendum suis voluptatibus plurima desiderent, hinc fit, ut pro muneribus & pecunia ipsi venum exponant iudicium. Quod autem hic dicitur: Pecuniae obediunt omnia, ipsum est quod Hieremias aliis verbis ita enunciauit: A minimo usque ad maximum, omnes auaritiam sequuntur. Et iterum, A minore usque ad maiorem omnes auaritiae student. Et in eandem sententiam Esa. ait: Unusquisque ad auaritiam suam declinauit, a summo usque ad nouissimum. Et alibi, Omnes sequuntur munera, diligunt retributiones. Quibus & illud consonat, quod ethnicus Poeta tribus verbulis dixit: Regina pecuniarum rerum. Caeterum, hanc malorum adinuicem connexionem, & vitiorum quasi funiculum, nempe voluptatis, dilectionis munerum, & subuersionis iustitiae, attentius considerantes, inueniemus in verbis

Pecuniae obediunt omnia.

Hiere. 8.

Esaia 56

Esaiæ

Esaia prophetæ pulchrè & apertè satis indicatam, dum ait: Væ qui potentes estis ad bibendū vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem, qui iustificatis impiū pro muneribus & iustitiā iusti aufertis ab eo. Vbi dum ait: potentes estis ad bibendū vinum, &c. primo loco voluptatis studiū indicat. Dū autē consequenter adiungit, qui iustificatis impiū pro muneribus, &c. duo posteriora exprimit, postremū quidē, nempe iustitiæ subuersionē, dum ait, iustificatis impium & aufertis iustitiam iusti. Hæc enim est manifesta iustitiæ subuersio. Alterum verò, nempe munerū dilectionē, cū ait, pro muneribus. In quo etiā dilectionē munerū tanquā causam assignat subuersionis iudicij, eo quòd propter munera dicat eos iudiciū subuertere. Primam ergo mali radicē indicat esse voluptatis studiū, ex qua deinde procedit munerū dilectio, vnde pullulat fructus ille mortis pessimus, iustitiæ subuersio. Eundē hūc ordinē quantū ad posteriora duo idē alibi exprimit, vbi de principibus populi loquēs ait: Omnes sequuntur munera, diligūt retributiones. Pupillo nō iudicant, & causa viduæ nō ingreditur ad illos. Prius notat dilectionē munerū, posteriùs neglectū iudicij, quod etiā est subuertere iudiciū. Non

solūm enim qui iustificat impiū subuertit iudiciū, sed ille etiā qui iustitiā ei cui debita est administrare recusat. In eandem quoque sententiā Hieremias loquitur, dicens: Magnificati sunt & ditati, incrassati sunt & impinguati, & præterierūt sermones meos pessimè. Causam viduæ nō iudicauerunt, causam pupilli nō direxerūt, & iudicium pauperum non iudicauerunt.

Hiere. 5.

In cogitatione tua regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti: quia aues cali portabunt vocem tuam, & qui habēt pennas annuntiabunt sententiam.

Hoc verbo secundū literā videtur dari vtilis monitio subditis, ne ad detrahendū aut maledicendū aliis potentioribus aut superioribus sint faciles. Quod bene cum prædictis cohæret, vbi de malis principibus fecit sermonē. Quasi dicat, Etiam si talis rex obtigerit terræ, qualem diximus, nempe puer & stultus & principes quales descripsimus, voluptarij, terræ imperēt: tu tamen qui subditus es, caue ne impatiēter feras, ne maledicas aut detrahas iis sub quorū es potestate cōstitutus, & nō solūm verbo, verum etiam cogitatione & ex animo illos reueraris, cum patientia & humilitate tanquam domino, non tanquam homini seruiens. Quemadmodū ait Pet.

*Nō detra
hediū præ-
positus.*

Apost

Apostolus, Serui subditi estote in omni timore dominis. Non tātūm bonis & modestis, sed etiā dyscolis. Et Paulus scribēs Ephesis ait: Serui, obedite dominis carnalibus, cū timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum seruientes quasi hominibus placētes, sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cū bona voluntate seruientes, sicut domino & nō hominibus: scientes, quoniam vnusquisq; quod fecerit bonum, hoc recipiet à domino, siue seruus siue liber. Aliis quoque in locis idem Apostolus similia tradit humilitatis & obedientiæ documenta. Adicit autē & rationē, quare sit abstinēdū à maledictionibus aut detractionibus huiuscemodi, etiā in loco quantū videtur secretissimo. Quia, inquit, aues cœli portabūt vocē tuā: & qui habent pennas, annuntiabunt sententiā, illā videlicet tuā vocem, qua maledixisti principi, & illam sententiam qua in corde tuo regi detraxisti. Quod verbū iuxta literalē intellectū, secundū hyperbolen est accipiendum ea loquendi ratione qua dicere solemus de eo quod putamus nō posse manere occultū. Neesse est id venire in palam, etiamsi per aues cœli proferri debeat. Vel ad hunc modū. Potius ipsi parietes aut la-

*Non sine
periculo
de superioribus
malis loquuntur
subditi.*

pides hoc reuelabunt, quàm vt occultum
permaneat. Cui consonat quod communi
prouerbio dicitur, etiam montes & syluas
habere aures & oculos. Atq; ita iuxta hunc
intellectum, etiã ex temporali periculo deter-
remur à maledictione & detractione prin-
cipum, ne vel in corde aduersum illos quid
loquamur, quod ipsis presentibus nolimus
dictum. Frequenter enim vsuuenit, vt ea que
de superioribus in secretissimo (vt nobis
videtur) angulo dicimus, ad illos celeriter
nimum referatur, ab iis de quibus minimè
suspiciabamur. Quantò enim magis mul-
ti semper magnorum ambiunt gratiam, tantò
plures habent delatores, qui vbi quid vel
per tenuem auram audierint, statim audita
perferant. Et contingit nonnunquam, vt ea
que amicissimis solitarij intra sinum effun-
dimus, tandem propalantur: interdum casu ta-
li, vt mirum videatur & illi qui dixit, & illi
qui audiuit, qua via secretum illud prodire
potuerit, cum nec is qui proloquutus est se
recordetur alteri eadem dixisse, præterquam
illi amicissimo, neque is qui audiuit ami-
cus recordetur cum vllò hominum super ea
se miscuisse sermonem. Sed & cogitatio
facile latere non potest. Quod enim assiduè
vel frequenter in corde versatur, non
potest non aliquando, vel per verba male-
dicentium

dicentia: vel per signa auersionis ac displicentia, se prodere. Siquidem ex abundantia cordis (vt est vox domini) os loquitur, *Matt. 12.* Atque ita iuxta literam, præceptum istud licet simplex, diligenter tamen obseruatum maximam habet vtilitatem, & cordi humili maximam præbet requiem: quemadmodum econtrario neglectoribus non raro periculum magnum ex neglectu euenit & turbata in multis conscientia. Semper enim in timore & inquietudine viuit, qui consuetudinem habet de maioribus loquendi malè, & mox vbi sermonem effuderit, timore anxiatur, ne palàm fiat quod in occulto susurravit, & pro malo verbo pœnas luat. Spirituali verò intellectu, per aues cæli & eos qui habent alas, accipiunt alij angelos bonos, alij angelos malos, per quos ad regem summum & primum omnium iudicem deferentur nostra maledicta quæ modò loquimur, aduersus ipsum ac sanctos ipsius, siue alios qui ipsius locum tenent inter homines. Quam intelligentiam breuibus lucidè satis exprimit in sua Metaphrasi diuus Gregorius Næocæsa. Timendum (inquit) ne *Grego.* si quid etiam solus dixeris, manifestetur *Næoca.* aliquando. Magno enim & diuiti & vnico regi, angeli veloces & alati, spirituali si-

mul & rationali fungentes ministerio,
deferent omnia.

ANNOTATIONES IN

caput decimum.



Viscæ morientes, &c. In Hebræo est: Muscæ mortuæ corrumpunt siue turgescere vel foetere faciunt oleum pigmentarij. Aeditio septuaginta interpretum habet. Muscæ morientes siue morituræ corrumpunt apparatus olei suavitatem vel putrefaciunt oleum compositionis. In sententia non est à nostra lectione differentia. Sed & in via stultus ambulās, &c. Hebræa lectio ambigua est. Potest enim sic verti: Quinetiam in via cū stultus ambulat: cor eius deficit, & dicit cuilibet, stultus est. Quem sensum nostra lectio apertè explicat. Similiter & Symmachi translatio, quæ sic habet: Sed & in via stultus ambulans, ipse insipiens opinatur de omnibus quòd stulti sint. Potest & sic verti ex Hebræo: Sed & in via stultus cū ambulat, cor eius deficit, & dicit cuilibet, stultus est. Quæ lectione significatur, peccatores sua stultitia passim occurrèntè facilè prodi. Septuaginta verò interpretes aliū sensum faciunt, legentes in hunc modū: in via stultus cū ambulat, cor eius

eius deficit vel minuitur aut posteri⁹ erit, id est, nō assequetur finē vltimū, & omnia quæ dicit siue cogitat stultitia sunt. Quam lectionē sequuntur Olympiodorus, atque Gregorius: Si retusum fuerit ferrū, & hoc nō vt prius, &c. Variè locus iste vertitur & exponitur. Quidā sic legūt: Si retusum fuerit ferrū, ipsūque non fuerit in faciebus limatum, tamen exercituum agmina roborabit: sed multò plus disponit sapientia. Quod ita interpretantur: Licet gladius fuerit obtusus, & non bene acutus ex ambabus partibus, tamen in bello conducet præstabitque victoriam: sed longè amplius sapientia prodest homini, ad obtinendam in bello tam spirituali quàm corporali victoriam. Alij ex Hebreo hunc accipiunt sensum: Si retusum fuerit ferrū, & in acie sua non politum, vires maiores adhibere debet is qui scindere eo vulerit: & in hoc excellit sapientia, quod etiam res alioqui difficiles faciles reddat. Olympio. ita legit, continuando sententiam cum præcedentibus. Ligna cædens periclitabitur in eis, si exciderit ferrum, & ipse facie conturbatus est, & vires corroborabit, & amplius est robusti sapientia. Cuius lectionis expositionem, sicut & versiones plures aliorum, omitto, pro-

lixitatis vitandæ gratia. Hierony. verò in Cōmen. sentētiam exponit nostræ lectio- nis: Si mordeat serpēs in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit. Ex Hæbræo ad verbū sic legitur: Si mordeat serpens non in murmure, & nihil amplius est habenti linguā. Per habentē linguam, alij intelligūt detractionis authorē, iuxta sen- sum nostræ lectionis, quē & Hiero. expref- se ponit in Cōmē. Alij incātatorē, qui lin- guā habet eruditā ad cohibēdum venena serpentū. Atq; ita sensus hic est: Serpens si antè sibilat quā mordeat, potest incāta- tor linguā habēs tempestiuē compescere, ne virus effundat ac noceat. Cū verò in silentio momorderit nō præmissō sibilo, nulla est vtilitas incantatoris, quāuis lin- guā habeat scientē incātare, eo quòd non potuit præcauere morsum. Vel sic: Si mor- deat aliquem serpēs, & morsus ille fileat, non protinus exclamet pro auxilio, nihil prodesse illi poterit incantator ad medē- dum. Quem sensum mysticè Olympi. At- que Hiero. ad cōfessionem accōmodant, sicut in prioribus annotationibus dixi- mus. Ad reficiendum, & non ad luxuriam. In Hebræo: Propter fortitudinem, & non propter potationē, id est propter viriū re- stauracionem & nō propter voluptatem.

Pecuniæ obediunt omnia. In Hebræo: Argentum humiliat omnia. Quod eadem habet cum nostra lectione sententiam. Alij sic vertunt: Argentum iuuat omnia.



VNDECIMI CAPITIS
Commentarius.



*Itte panem tuum super trans-
eunt aquas, quia post tempo-
ra multa inuenies illum.*

Exhortatur hîc Sapiens *Ad opera*
ad opera misericordiæ pro- *miserico-*
ximis affatim impendenda, proponens *diæ exhor-*
eam quæ pro hisce nos in futuro manet *tatur.*
æternam retributionem. Mitte, inquit, pa-
nem tuum super transeunt aquas. Hoc
est, de iis quæ tu habes communica atque
distribue pauperibus proximis tuis, qui
sunt velut aquæ transeunt, iuxta illud
mulieris sapientis verbum: Omnes mori-
mur, & quasi aquæ dilabimur in terram, *2. Re. 14.*
quæ non reuertuntur. Vbi primò nota
quod dicitur, mitte panem, quasi proiice
liberaliter & ex animo da hilari corde, vt
non extortum videatur quod donatur, sed

2. Cor. 9. voluntarium. Iuxta quod suos Corinthios
 hortatur Apostolus dicens: Vnusquisque
 prout destinavit in corde suo, non ex tri-
 stitia aut ex necessitate. Hilarē enim da-
 torem diligit Deus. Deinde nota, quod di-
 citur, panem tuum. Nam quæ de rapina
 aut de alieno fit eleemosyna, Deo grata
 esse nequit aut facienti meritoria. Iuxta
 Eccl. 34. quod in Ecclesi. scribitur: Qui offert sacri-
 ficiū de substantia pauperis, quasi qui vi-
 ctimat filium in conspectu patris. Sub pa-
 ne autem, qui inter alia est maximē homi-
 ni ad sustentationem necessarius, intelli-
 guntur cætera: valētque tantundē, panem
 mittere, & eleemosynam præstare. Super
Aqs trās aquas verò transeuntes, dum dicit, condi-
euntibus tionem nostræ mortalitatis atque defecti-
cōparatur bilitatis insinuat: ex qua procedit, vt misere-
homo. reri sibi homo pauper indigeat. Si enim
 esset homo solida crystallus, id est, naturæ
 impassibilis & indissolubilis, nō opus es-
 set præstari illi hæc corporalia misericor-
 diæ opera. Nūc verò, quia nō solida est cry-
 stallus, sed fluida & trantiens aqua, nullā
 habens solidæ stabilitatis perpetuitatem,
 idcirco misericordiæ opera sibi præstari
 ipsius hæc cōditio postulat. Quidam autē
 transeuntes aquas specialiter intelligunt
 peregrinos, eo quòd isti nullam habeant
 certæ

certæ mansionis stabilitatem, sed incertis
 sedibus vagantur instabiles, de loco tran-
 eunt ad locum, quomodo de Patriarchis
 sanctis legimus. Et pertransierūt de gēte *Psa. 104.*
 in gentem, & de regno ad populū alterū.
 Atque his peculiariter præcipit eleemosy-
 nam præstari per Esaiam dominus, dicēs:
 Frange esurienti panem tuum, & egenos *Esa. 58.*
 vagōsque induc in domū tuam. Et in lege
 districtè præcepit dominus Israelitis, hu-
 manitatem præstare auenis, dicens: Aduen-
 nam non contristabis neq; affliges eum.
 Aduenæ enim & ipsi fuistis in terra Aegy- *Exo. 22.*
 pti. Ioannes quoq; dilectus discipulus pe-
 culariter Gaium cōmendat, de beneficio
 in peregrinos præstato, dicēs: Charissime,
 fideliter facis, quicquid operaris in fra-
 tres, & hoc in peregrinos, qui testimoniū
 reddiderūt charitati tuæ in conspectu ec-
 clesiæ, quos benefacies deducens digne
 deo. Pro nomine enim domini profecti
 sunt, nihil accipientes à gentibus. Nos er-
 go debemus suscipere huiusmodi, vt coo-
 peratores simus veritatis. Quidā verò con-
 structionē aliā putāt accipiendā, qua accu- *Alia con-*
 satius, aquas, regatur à participio trāseū- *structio et*
 tes, in hunc sensum: Mitte panem tuū su- *intelligen-*
 per eos qui transeunt aquas, intelligentes *tia.*
 per aquas tribulationes. Quas qui trāseūt
 id est,

id est, qui in afflictionibus positi sunt, super hos iubemur panem nostrum mittere, id est, consolari eos per misericordiae opera. Iuxta id quod sanctus Iacobus ait:

Iacob. 1. Religio sancta & immaculata apud deum & patrem hæc est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, &c. Verum hæc constructio non videtur consonare Hebraico textui, ubi tantum dicitur: Mitte panem tuum super faciem aquarum. Sensus tamen bene conveniens est, neque multum à priore supraposito diversus. Lectionem verò illam Hebræam quæ de transitu mentionem non facit, sed tantum dicit, super faciem aquarum, variis modis exponunt. Grego. Neocesæ. ita enarrat: Iustum

Varia enarratio. est, panem ac cætera vitæ huius necessaria communicare hominibus, tametsi periturum videatur beneficium, ac si quis in aquam proiciat panem. Hebræorum quidam ita intelligunt: Misericordiam præsta pauperum lachrymis, id est, pauperum flentium miserere, & propter aquas siue lachrymas eorum quas effundunt in magnitudine animæ, fac illis ex compassione misericordiam. Alij aquas istas siue lacrymas intelligunt eius esse qui eleemosynam præstat, in hunc sensum: Super faciem aquarum vel lachrymarum, mitte panem tuum, id

id est, non solum affectu compatere, nec
 lachrymas tantum effunde aut gemitus
 super pauperum indigentia, sed etiam ef-
 fectu succurre & opere ostēde eam quam
 intus habes misericordiam. Videlicet ut
 illud significetur quod Ioānes Apostolus *1. Ioan. 3:*
 hac de re monuit, dicēs: Filioli diligamus
 inuicem, non lingua tantum aut verbo, sed
 opere & veritate. Et quod Iacobus ait: *Iacob. 2.*
 Si frater aut soror nudi sunt, & indigeant vi-
 ctu quotidiano, dicat autem aliquis ex vo-
 bis illis: *Ite in pace, calefacimini & satura-*
 mini, non dederit autem eis quæ necessa-
 ria sunt corpori, quid proderit? Possunt
 autem hæ intelligentiæ variæ quas assi-
 gnauimus hebraicæ lectioni, ad nostram
 quoque vulgatam non minus rectè accom-
 modari: si tantum posterioribus duabus,
 per aquas trāseuntes intelligamus lachry-
 mas effluentes per oculos vel pauperum
 lugentium, vel ipsorum qui ex compāssio-
 ne dant pauperibus. In hoc autem omnes
 hæcenus expositæ tam variæ enarrationes
 conueniunt, quod de præstanda miseris
 misericordia æquè loquantur. Ad quod ut *Cōuenien-*
 inducat (quoniam homini secundum na- *tia supra-*
 turam ad auaritiā pronō difficile est elar- *positarum-*
 giri propria alienis) præmiū subiungit *intelligen-*
 pro misericordiæ operibus, suo tempore *tiarum.*
 alsig

assignandum dicens: Quia post tempora multa inuenies illum. q. d. Da liberaliter, & cōfidenter fac eleemosynam: quoniam nō tibi perit quod ita dederis, sed vel maximē tibi manet & fœneratur, tutissimāque seruatum custodia tandem aliquando tibi proferetur & palām reddetur, quod ad tempus apud vsurarium optimum & quæstuosissimum deum, quasi absens, depositum fuit. Quo rum prolato cum exultatione redeunti domino fidenter poteris

Mat. 25. dicere: Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Ac deinde in cordis iubilo illum tibi vicissim audies dicentem: Euge serue bone & fidelis, intra in gaudiū domini tui. Illud autem quod hīc dicitur post multa tempora inueniendum panem illum qui super aquas missus fuerit, rectissimē per omnia cum illo Christiano Christianissimi doctoris conuenit verbo: Sola misericordia comes est defunctorum.

Da partem septem, nec non & octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram.

Septem & octo, casus sunt datiui, quem admodum ex heb. liquet vbi vtrique additur lamed signum casus datiui atq; etiam ex græco, vbi articulus τοῖς datiui casus similiter vtrique præponitur. Est que huius

orat

orationis sensus : Da partem ipsis septem
 atque etiã ipsis octo, siue septenis & octo-
 nis, id est, distribue & disperge quæ habes *Benefaciẽ
 dũ multis.*
 in omnes quotquot tibi occurrãt siue sep-
 tem sint siue octo, quotcunque & quibus-
 cũque poteris benefacito. In quo nos vult
 erudire sapiens, vt iuxta nostrã facultatem
 beneficiamus in misericordiã operibus,
 non solum vni aut alteri, neq; hoc nobis
 putemus sufficere sed vt proximus quot-
 quot prodesse poterimus. In quam senten-
 tiam videtur tendere illud quoq; quod su-
 præ dixerat, Bonũ est te sustentare istũ, &c. *Eccle. 7.*
 Atque huic etiam consonat quod Aposto-
 lus ait: Dum tempus habemus operemur *Gala. 6.*
 bonum ad omnes. Et in Euangelio domi-
 nus ait: Omni petenti te tribue. Quid au-
 tem nos debeat inducere ad erogandum *Luc. 6.*
 in omnes liberaliter, mox subiungit, di-
 cens: Ignoras quid futurum sit mali super
 terrã. Quod vel de terra ista præsentis vi-
 tæ, vel de terra illa inferna, terra morien-
 tiũ, terra obliuionis, potest intelligi. *1. Cor. 2.*
 Nescit enim homo, quãtũ malũ sit ea quæ
 est in inferno miseria, quoniã sicut oculus *Esa. 64.*
 non vidit neque auris audiuit neq; in cor
 hominis ascendere potest, quæ præpara-
 uit Deus se diligentibus, ita neque potest
 homo in hac vita plenẽ cognoscere &
 persent

persentire illam quæ dānatos manet miseriam. Hanc tamen omnes debemus metuere, qui vita ista viuimus: quoniam ignoramus, odio an amore digni simus inueniēdi in nouissimo. Deinde, nemo nouit, ad quam miseriam etiā super terrā istam adhuc agens sit peruenturus in quæ incidet olim pericula, quātis adhuc sit inuoluentus malis. Vtraque autem ratione ista.

- Ad quæ valeat eleemosy.* bonū est abundanter eleemosynam facere, quoniam per eleemosynam euadit homo futura mala atque presentia, & securā reddit animā. Propter quod Saluator in
- Luc. 11.* Euang. ait: Date eleemosynam, & omnia munda erūt vobis. Et in Ecclesiastico scribitur: Cōclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa pro te orabit, & liberabit ab omni malo. Lucidissimè verò hoc ipsum nobis illud præfulgidū misericordiæ exemplum sanctus Tobias filiū instruēs, declarat dicens: Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiduciā magna erit coram summo deo eleemosyna, omnibus facientibus eā. Et iterū Angelus Raphael Tobiaē curator, in eandem sententiā ait: Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quā thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa,

ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam. Sed & ſi in tēporales neceſſitates aut pericula vitæ præſentis incidere cōtigerit viros miſericordiæ, faciet dominus, vt fiat illis nūc ſecundū corpus factis miſeris, quomodo ipſi ſolēt aliis cū in proſperitate eſſēt, benefacere. Miſericordiā nanq; (iuxta vocē domini) conſequētur, qui fecerint miſericordiā: quod partim etiam in præſenti tempore habet veritatē, iuxta illud alterū eiſdem domini verbum: In qua meſura mēſi fueritis, remetietur vobis. Et ſanctus Tobias loco ſupra citato ait: Ex ſubſtātia tua fac eleemoſynam, & noli auertere faciē tuam ab vlllo paupere: ita enim fiet vt nec à te auertatur faciēs domini. Relinquitur itaq; aduerſum pericula omnia ſiue quæ in præſenti, ſiue quæ in futuro poſſunt homini obtingere, optimum munimentū certiffimāmq; prouiſionē eſſe liberalem & abundantem pro facultate eleemoſynam.

Si repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent. Si ceciderit lignum ad auſtrum aut ad aquilonem in quocunq; loco ceciderit, ibi erit.

Duo proponit ad præcedētis ſermonis propoſitū, exempla ſenſibilia, quibus ad eleemoſynam vult inducere eos qui pote-

Exemplū naturale.

statem habēt. Prius est, de nubibus, quæ si aquis repletæ fuerint, si sint nubes pluuio-
sæ & aqueæ, non apud se cōtinent quod si-
bi datum est, sed liberaliter effundunt in
multa abundātia, totāmq; terram hume-
ctant & irrigant. Quæ autē steriles sunt
nubes aquam non habentes, ab his nō ex-
pectatur irrigatio pluuie. Sic quibus à deo
stata est rerum temporalium abundantia,
non eam apud sese debent concludere, sed
liberaliter effundere & misericorditer
proximis cōmunicare. Neq; vni tantum
aut alteri, quemadmodū nubes super vnū
aliquem tantum locum suum effundunt
aquam: sed quotquot potuerint beneface-
re, iuxta sibi datā à deo facultatem. Iuxta
quod sanctus Tobias filiū instruit, dicens:
Tobi. 4. Quomodo potueris, ita esto misericors: si
multum tibi fuerit, abundanter tribue: si
autē exiguum tibi fuerit, etiā exiguum li-
benter impartiri stude. Atq; ita videmus
nubeculas paruas nō longè suas aquas di-
spargere, maiores autē & ditiores aquis,
imbrē copiosorem latius diffundere vsq;
quo pertingit aquositas. A' nube autem
sterili, nemo expectat pluuia. Sic cui nihil
fuerit quod tribuat, huic non imputatur si
Lignum eleemosynam externam nō dederit. Ne-
ubi cecide quit enim dare quod nō habet. Quod au-
tem

tem secundo loco de ligno apponit, cadē- rit, sibi ma-
 te ad austrū, vel aquilonē, finis nostri con- net.
 ditionem inevitabilem sub huiusmodi si-
 militudine proponit ob oculos. Quemad-
 modum enim lignum nullum potest per-
 petuò in suo virore consistere, sed aliquan-
 do debet cōcidere, vel antiquitate putre-
 factum, vel impulsu ventorum eradicatū,
 vel hominū manu præcisum, aut quomo-
 dolibet aliter id fiat: atq; vbi semel ceci-
 derit, in parte illa ad quam ceciderit illic
 remanet, nec transferre se volet ad partē,
 alteram: sic & de homine, certum est eum,
 non posse perpetuò vitam istam seruare,
 sed velit nolit tandem aliquando concide-
 re ipsum necesse erit in puluerem, iuxta *Gene. 3.*
 illam vlticem domini vocem: Puluis es
 & in puluerem reuertēris: siue casus iste
 eueniat ex defectibilitate naturalis senij,
 siue ex violentia morbi subitanei, siue ex
 alia qualibet occasione vel causa mors
 adueniat. Cū autem cadit homo, in al-
 teram tantū partē cadat necesse est, nem-
 pe vel ad partem aquilonarem vel ad par-
 tem austrālē. Ad austrum cadunt, qui per *Ad au-*
 mortem ad æternam vitam perueniunt. *strū cade-*
 Ad aquilonem verò, qui in damnationem *re vel a-*
 æternam. Est enim scripturis vñtatum, a- *quilonē,*
 quilonem in malum accipere, velut cū *quid sit.*

- Hiere. 1.* apud prophetam dicitur: Ab aquilone pan-
Esa. 14. detur omne malum. Diabolus quoque o-
Psal. 47. mnis malitiæ parens, & caput damnatio-
 nis per principem siue regem Babylonis
 figuratur, & in lateribus aquilonis sessurū
 se gloriatur. In Psal. quoq; gentium popu-
 li latera aquilonis appellātur, ratione fri-
 goris malitiæ & infidelitatis, in quo ante
 Christi aduentum sub principe aquilonis
 federant, quemadmodum in Commenta-
 riis Psalmorum plenius id suo loco expli-
 cauimus. Auster verò siue meridies, econ-
 trario in bonū sumitur. Veluti cū apud
Abac. 3. Prophetā dicitur: Deus ab austro veniet.
Canti. 3. Et in Canticis dicitur: Surge aquilo (id est
 abi aquilo, & surge vt abscedas) & veni au-
 ster: perfla hortum meum, & fluent aroma-
Psa. 125. ta illius. Sic in Psal. dicitur: Cōuertere do-
 mine captiuitatem nostram, sicut torrens
 in austro. Aequè igitur cadūt boni & ma-
 li, electi & reprobi, quoniam statutum est
Heb. 9. hominibus omnibus semel mori, & hæc
 est lex super omnes filios Adam. Sed non
 omnes in eandē partem cadunt, quoniam
 illi ad austrum, isti ad aquilonem illi ad
 æternam, vitam, isti transeunt ad mortem
 nulla vnquā duratione finiendā. Quam
 æternitatis in altero horum terminorum
 māsionem significat, quod absolutè dici-
 tur,

tur, ibi erit, quasi sine vlla spe vel metu trā-
fitus de extremo ad extremum alterum.

*Qui obseruat ventum non seminat, & qui
considerat nubes nunquàm metet.*

Vix vnquam tam est tranquillus aer,
quin aliquid venti in aere percipiatur, ma-
ximè in campis aruísq; patentibus. Atque
etiam si ad tempus modicum nulla forsitã
vel minimi venti percipiatur commotio,
non diu durat tanta illa tranquillitas. Sic *Nota com-*
item vix vnquàm cernitur aer tam sere- *paratio-*
nus, vt prorsus nullæ in eo videantur nu- *nes natu-*
beculæ. *Qui* igitur seminaturus semen *raliũ ad*
suum, differret seminationem vsque dum *moralia.*
auram haberet omnino trāquillissimam,
absque omni impedimento venti, nun-
quàm seminaret: item qui messurus aurã
obseruaret prorsus omni nube carentem,
nunquàm ad messem manum admoueret.
Debet verò seminaturus non ita exactè
obseruare ventum, & messurus non ita su-
perfluè metuere nubes. Verùm vterque
cum tempus nactus fuerit commodũ suo
operi, confidenter se ad illud debet accin-
gere, sua industriã & arte quantum pote-
rit ventorum ac nubium impedimenta re-
mouens, simul & bona confidentia deo ne
gotium suum committens. Ex hac simili-
tudi ne significat nobis Ecclesiastes, iuxta

Applicatio ad propositum. sententiã eorũ quæ supradicta sunt, debere nos nõ quibuslibet occasionibus cessare à bono opere, nec impedimētis quãtũlibet minimis reuocari à bene agendo. Qui enim leui etiam occasione & minimo impedimento à bene agendo retrahitur, nunquã boni aliquid acturus est: quoniam semper occurrunt homini auocamenta aliqua, sæpè plura, interdũ & plurima, partim à carne, partim à mundo, partim à diabolo. Sed donec tẽpus habemus vitæ huius, nullis impedimentis obstantibus, nullis occasionibus impediẽtibus, viriliter semper ad opera dei manus nostras extendamus. Mundus, caro, diabolus, concitẽt aduersum nos ventos, nubes & pluias, fulgura & tempestates: nos interim *Psal. 30.* (iuxta *Psalmistæ* doctrinam) agamus viriliter, & *Paulinæ* exhortationis semper mores, bonum faciẽtes nunquã deficiamus. Si enim torpore accidat à nobis excusso, in confidentia diuini auxiliij manus nostras miserimus ad fortia, nihil nobis in opere nostro oberunt quæcunq; ab aduersariis potestatibus fuerint tempestates exuscitatae: sed nostra prudenti industria & virili longanimitate, potissimum verò *Nota diligenter.* spe diuini semper nobis parati auxiliij, per omnia sine damno pertransibimus. Denique,

que, quemadmodū ventus non solum non
 obest, verum etiā prodest seminanti, si mo-
 do industrius & rei rusticæ peritus fuerit,
 vt sciat ad ventum se debite vertere: sic no-
 bis omnes malæ tentationes & suggestio-
 nes, venti utiq; pessimi, nō modò non dā-
 num inferent bene operantibus, sed mul-
 tomagis cōmodum adferēt, si nouerimus
 à vētis illis faciem auertere, atq; ad ipsos
 dorsa conuertere, id est si nouerimus pra-
 uis illis suggestionibus nō cōsentire, sed
 penitus eas respuere, & execrari. Tunc
 enim quasi in faciem ventos suscipimus,
 quando malis suggestionibus cōsensum
 damus. Tunc verò faciem auertimus &
 tergum præbimus, quando malis sugge-
 stionibus nequaquam assentimur. Vnde
 in Psal. vir iustus qui consensum non da-
 bat malignorū suasionibus, dicebat, supra
 dorsum suū fabricasse peccatores, illicque
 prolongasse iniquitatem suam, siue (vt in
 Hebræo legitur) arasse sulcum suū. In il-
 lis nanq; qui peccatis consentiunt, dicun-
 tur peccati authores diaboli fabricare su-
 pra cor aut pectus aut faciē. In illis verò
 qui tentantur quidē sed non consentiunt,
 fabricāt peccati authores dæmones supra
 dorsum. Iterum, quemadmodū nubes plu-
 uiosæ iis qui in merendo occupantur sti-

Quidam
ventos tē-
tationum
in faciē,
aliq; à ter-
go, susci-
piunt.

Psal. 123.

Tentatio-

num peri- mulos præbent & incitamentū ad virilius
cula vr- operandū, ne fortè si remissiores fuerint,
gent iustū periculum incurrant fructuū suorum : ita
ad agen- cum aduersus virū spiritualem nubes spi-
dum for- ritales à dæmone excitantur, videns sibi
tius. periculum imminere, vires suas fortius
 exerit, ne bonorū operum suorum fructū
 perdat. Imminens nanq; periculum, dum
 à longè aduenire cernitur, laborantem ad
 accelerandum impellit vt iacturam effu-
 giat. Homini autem spirituali tunc quasi
 nubibus cælum obuoluitur, quando mēs
 eius cogitationibus & affectionibus ad
 malum sollicitātibus conturbatur. Quo sa-
 nè tempore, vir spiritualis magis strenuè
 agit, ne succumbat periculo, clamátq; ad
 deum auxiliatorem suum eo fortius, quo
 sibi periculum videt adesse grauius. Bea-
 tus verò Hieronymus præsentem locū ita
 interpretatur, Qui considerat cui benefa-
 ciat, & non omni petenti se tribuit, sæpè
 præterit eum qui meretur accipere. Olym-
 pio. vtrunque tangit.

Hiero.
sententia.

*Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, & quæ ratione cōpingantur ossa in ventre prægnā-
 tis, sic nescis opera dei, qui fabricator est omniū.*

Triplex Quod dicitur de via spiritus, potest in-
spiritus cu telligi de triplici spiritu. Primò de spiritu
ius vimi- humano. i. anima rationali. Nemo enim
 homi

hominum nouit, quæ sit via spiritus, id est *gnorat ho*
 quomodo anima humana in corpus huma *mo.*
 num veniat, vt cum eo vnum quid, nempe
 hominē viuentem, componat. Solus enim
 deus id nouit, qui per semetipsum sine ad-
 iutorio cuiuscunq; causæ secundæ, animā
 in corpore infundendo creat & creando
 infundit. Secundò de flatu venti. Nemo
 enim determinare nouit de vēto, quæ sit
 eius via, vnde veniat, & quò vadat. Tertiò,
 de spiritu sancto, cuius viam, id est, modū
 operandi nemo potest certò cognoscere.
 Operatur enim in iis in quibus vult, &
 quomodo vult, & quādo vult, inuisibiliter
 & insensibiliter: ita vt nō facile sit homini
 discernere, imo impossibile sit hominē ex
 seipso certò cognoscere, vbi operetur vel
 quid operetur ipse spiritus. Propter quod
 dicit Apostolus: Quæ dei sunt, nemo no- *1. Cor. 2.*
 uit nisi ipse spiritus dei. Et in Euangelio *Ioan. 3.*
 ipse dominus ait: Spiritus vbi vult spirat,
 & vocem eius audis, & nescis vnde veniat
 aut quo vadat. Quod tā de sensibili vento
 quā intelligibili spiritu sancto, eque ex-
 ponitur. Dux autē priores intelligentiæ
 magis proposito cōueniunt, secundū sim-
 plicem literæ enarrationem. Sic itaq; præ-
 sentem locū intellige. Quemadmodū ne
 mo hominū potest intelligere quo modo

anima rationalis in corpus veniat, aut quo modo venti producatur de thesauris dei, sicut itē nemo intelligit modū compositionis ofsiū in vêtre mulieris prægnātis, quomodo in vtero materno membra embryonis coalescāt & distinctè formentur, vnūquodq; in suā habitudinē, ita multò amplius nemo cognoscere potest modum diuinorū operum, & dispositionē illā admirabilē qua disponit omnia. Quod quidē de operibus externis certā habet veritatem, quæ tam admiranda sunt vt nemo ea sufficiat indagare: de illis verò quæ de^o operatur in humano spiritu, nimis certā. Operatur enim deus in animabus hominum admodum occultè, ita vt nec ipse in quo fit illa operatio certus sit, deum in se operari. Vnde contingit frequentissimè, nos falli in iudicio, tam quo ad nos ipsos quàm quo ad alios. Quoad nos ipsos, dum arbitramur deum in nobis operari quod ille non operatur, sed caro, diabolus, mundus, aut sola natura sine gratificante gratia: interdum & existimamus metuendo, ne forte sit aliunde, quod verè à deo proficiscitur. Quo ad alios verò, dum sanctos illos reputamus in operibus, qui opera habent diaboli, aut malos illos iudicamus qui verè habent opera dei. Aptè autem istud

Nescit homo opera dei.

Connexio literæ.

Istud ad præcedētia potest applicari. Quia enim dixerat, liberaliter & plurimis esse benefaciendum, ac deinde non esse cunctandum, neque occasionem vllam acceptandam que nos à continuè bene operando impendiat, nunc subiungit horū rationem. Quasi dicat: Vbiq; & omnibus stude benefacere, tam in corporalibus quàm spiritualibus bonis, neq; vllō tēpore vlla occasione à benefaciēdo desistas: quoniā impossibile tibi est scire opera dei omnīū cōditoris, nescis in quo aut quando tua velit opera uti, & te habere cooperatorem in opere quod ipse decreuit. Neq; debemus personas curiosè nimium scrutari, dignæ sint an nō quibus beneficiamus, neq; itē temporū occasiones & impedimēta sollicitè metuere in quibus beneficiamus: quoniā frequenter in iis qui nobis minimè digni videntur beneficiis, deus vel maximè operatur, eosq; habet acceptissimos & dignū omnino est, vt his beneficiamus. Itē contingit interdum, tempus nobis videri maximè incommodū operationi propter multa quæ videntur occurere impedimenta, quando tamen deus maximè vult nos operari, & quando maximum habebit nostra operatio utilitatem. Hanc connexionem Hierony. & Olympio. indicant.

*Mane semina semē tuum: & vespere ne ces-
set manus tua: quia nescis quid magis oriatur,
hoc aut illud. Et si vtrunque simul, melius erit.*

Manifestum est, Ecclesiasten non loqui
de eo qui semen corporale, vt puta granū
triticici vel hordei, in terrā mittit sulcis ara-
tā, sed de illa loquitur seminatione, cuius
alicubi facit Apostolus mētionem, dicēs:
*Seminan- Galat. 6. Quæ enim seminauerit homo, hæc & me-
dū spiri- tualiter. ter. Qui seminat in carne, de carne metet
Galat. 6. corruptionē. Qui autē seminat in spiritu,
1. Cor. 9. de spiritu metet vitā æternā. Et alibi: Qui
parcē seminat, parcē & metet, & qui semi-
nat in benedictionib⁹, de benedictionibus
Psal. 25. & metet. Item & sanctus Dauid ait: Eūtes
ibāt & flebāt mittētes semina sua. Veniē-
tes autē veniēt cum exultatione, portātes
manipulos suos. Videlicet seminatores
spiritus sanctus designat, operatores in præ-
senti vita. Sūt enim qui semināt semē bo-
num, ij qui modò bona agūt. Sunt ecōtra-
rio qui semināt semē malū, qui modò ope-
rātur mala. Iccirco autē operari nostrum
Nostrum in hac vita præsentī, seminare dicitur, &
operari di- opera nostra dicūtur semina, quoniā sicut
citur semi- ex semine seminato fructus expectatur,
ware. post nō multū tēporis manifestādus atq;
metendus: ita ex operibus modò per nos
operatis, fructum expectamus suo tempo-
re*

re manifestandum, ex bonis quidem seminibus fructum bonum. i. ex operibus bonis, bonam & beatam retributionem, ex malis autem seminibus malos fructus, id est, ex operibus malis, mala præmia æternæque supplicia. Secundū hunc igitur sensum, monet nos Sapiens, dum tempus habemus istud acceptabile, in quo per opera deo digna bonam mercedem pro seculo venturo promereri valemus, vt assidui simus in operando bonum atque in hoc studio strenui infatigabilésq; simus. Quam assiduitatem & infatigabilitatem indicat, dum & mane iubet seminare, & vespere non cessare. Vbi apertè nimis illo- *Cōtra de-*
rum percutitur desidia, qui vbi modi- *fides in o-*
cum quid fecerint, tanquàm suo officio e- *pere bono.*
gregiè functi, statim ad otium redeunt: quasi mane ad opus exiisse sufficiat, & non potius ad vesperam vsque debeant in opere perseverantes inueniri. Juxta quod in Psal. *Psal. 103*
dicitur: Exhibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam. Non tantum mane exhibit, inquit, sed ad vesperam vsq; demorabitur in opere, qui secundū deum laborabit. Vnde & in Euan *Mat. 20.*
gelica parabola, nõ iubet dominus nisi ad vesperam operariis reddi mercedem. Possset *Mane, a-*
verò aliter, per mane intelligi tēpus ado- *dolescen-*
lescens

*tia: vespere,
re, senectus
significatur.*

lescentiæ, quando videlicet incipit in nobis emicare lumē rationis, sicut mane diē incipit apparere lumen solis in mūdo. Per vespere autē, tēpus senectutis: quādo ad occasum homo declinat, sicut vespere dies & sol ad occasum propinquat. Ac secundum hunc sensum monemur, ab initio vsus rationis ad decrepitā vsque ætatē donec superūt vires in bonis operibus assiduē versari, vt ne satis quisquā sibi putet, quod benè cœperit, nisi continuato cursu ad finem

*Mat. 10.
Senes pigri arguuntur.*

bonū benè cœpta perducatur. Nā voce domini, nō qui cœperit, sed qui perseuerauerit vsque in finē, saluāus prædicatur. Feriuntur autem hac sententiā, qui postquam in ætate validiori non nihil egerunt operum bonorū, quibus & sibi & aliis commodarunt in senectutis & defectiois tempore totos se tradunt otio, neq; ad aliud vacant nisi ad superuacaneē carnē curandam, præter necessitatem ab omni actione bonā cessantes. Tamen si enim senibus corporis exercitia meritò sint minuenda, propter imbecillitatē: animi tamē officia, nequaquam sunt illis adimenda: imò (si fides est

Tull. de senectute.

habenda Tullio in dialogo de senectute super huiusmodi suauissimè differenti) etiam augenda. Denique etiam tempora aduersitatis & prosperitatis, non ineptè poss

possent per tempus matutinū & tempus
 vespertinum significari. In utroque enim
 horum, æquē debemus que recta sunt ope-
 rari. Cum verò subsequēter adiūgit, quasi
 pro ratione præmissæ exhortationis, quia
 nescis quid magis oriatur, &c. Illud vult
 significare, nobis incertū esse & incogni-
 tum de operibus nostris, quæ placeant deo
 aut quæ non placeant. Nemo enim (sicut *Nescimus*
 supra diximus latēque deduximus) nouit *que ope-*
 utrum amore an odio dignus sit, & nemo *ra nostra*
 de ullo suorum operū potest certò scire, *deo sint*
 an deo placeat. Vnde & fit nō raro, ut quæ *magis gra-*
 nos magni æstimamus opera nostra, deus *ta.*
 minimi æstimet, imo prorsus despiciat: *Luc. 18.*
 quemadmodum Phariseo illi accidit E-
 uangelico, non Euāgelicè humilē Publi-
 canum præ se contēnenti. Cōtrā verò con-
 tingit nonnulla operum nostrorum à deo
 quàm maximè probari, quæ nobis vidētur
 nulla digna remuneratione, sed potius ne
 iudicio sint digna veremur. Quoniam igitur
 non possumus certò scire, quæ potissi-
 mum nostrorū operū deo placeāt, ob hoc
 assiduè sine intermissione omni tempo-
 re operari debemus bona, per omnē ata-
 tem & secundum omnem occasionem, ut
 si fortè illa non placeant quæ hactenus
 egimus, vel illa valeant placere quæ post
 hac

hac sumus acturi: vt si fortè ad senectutē vsque nihil dignū quis egerit deo, ex tūc saltē deo placere cōtēdat. Id vult sibi quod dicit: Nescis quid magis oriatur, id est, quid maiorem tibi coram deo fructū proferat, vel quid magis deo placeat, aut te deo magis commendet. Et si vtrunq; gratum deo fuerit, tātò tibi melius erit, quoniam (vt Paulus ait) qui in benedictionibus copiosè seminatur, copiosè & metet.

Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem. Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus letus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.

Dulce lumen oculis. Iucunda quidem res est, videre lumen diei, & admodum est oculis delectabile videre solem suo splendore orbē vniuersum perfundentē. Propter quod Tobias senior luminis fruitione & solis aspectu per cecitatis malū orbatus, angelo sibi amica salutatione gaudiū imprecanti, querula voce respondit: Quale gaudiū mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cæli non video? Dulce itaq; est & iucundū lumen & admodū delectabile est oculis corporalibus videre solē corporeū. Verūtamen non sic in horū præsentium aspectu debet homo quiescere, vt nouissima desinat considerare.

Quin

Quinimo, si multos vite annos habeat ho-
 mo, bona corporis valitudine præditus, ha-
 beátq; in quibus lætari secūdu corpus at-
 que etiã secūdu animã possit, neq; triste *Tēpus fu-*
 aliquid habeat præfens quod molestiã ani *turum an*
 mo suo adferat, debet tamen ad mentem *te oculos*
 dducere & corã oculis sibi proponere tē- *debet ha-*
 pus venturi seculi, quod tēpus meritò di- *beri.*
 citur tenebrosū ea ratione qua à salua-
 tore in Euāgelio nox appellatur, dicente:
 Veniet nox, quādo operari nemo poterit, *Ioan. 9.*
 opus videlicet meritoriū aliquod, quod si-
 bi possit ad salutē assequendā vel iudiciū
 effugiendū proficere. Idē quoq; tēpus ap-
 pellatur dierū multorū, quoniã finē nō ha-
 bet, Sic enim solet scriptura distinguere,
 inter tēpus istud vitæ præsentis & tēpus vi-
 tæ futuræ. Tēpus enim istud dicitur, dies
 breues & dies mensurabiles. Vt in Psal. di-
 citur: Ecce mēsurabiles posuisti dies meos *Psal. 38.*
 pro quo ex Hebræo alij vertunt, breues,
 alij, quasi quatuor digitorū. Et in Iob di-
 citur: Breues dies hominis sunt, numerus
 mensiū eius apud te est. Propter quod etiã
 frequenter cōparatur vmbra prætereunti, *Psal. 101.*
 diei vni, diei hesternæ præteritæ, custodiæ *Psal. 89.*
 nocturnæ aliisque huiusmodi Tēpus autē
 futuri seculi, dies multū appellantur aut
 dies longi, aut lōditudo dierū. *Quemad-*
modum

modū in Psalmo de æternitate beatōrum dicitur: Longitudine dierū replebo eum. Et de æternitate dei: Domū tuam domine decet sanctitudo, in lōgitudinē dierū. Huius ergo venturi tēporis debet esse memor homo, donec sanus est, bene robusto corpore ac leto animo, vt eius recordatione seipsum discat refrænare, atque à vitiis custodire, in quæ labi facile solent qui in sanitate & prosperitate agentes, non student (iuxta sapientis consiliū) memorari nouissima sua, quique in die presentīū bonorū prorsus immemores sunt instantiū malorū. Qui verò ante oculos diligenter posuerit tēpus illud noctis breui venturū, omni studio sibi modò à peccatis cauebit. Post enim vitā istam transactā, post finitos dies istos breuissimos vmbrae vitæ huius, ad iudicium statim deducetur anima: quemadmodū sanctus Apostolus ait: Statutū est hominibus mori, post hoc autem iudicium. Ac tunc quidē de præteritis vitæ actionibus, seuerum & iustum feretur iudicium, arguenturque opera peccatorū vanitatis, quoniam illic manifestè demonstrabit peccatoribus, testimonium perhibente etiam propria ipsorum cōscientia, quòd vana, inutilia & noxia fuerint, quibus se in vita ista occuparunt: pròque vanitate

*Eccle. 7.**Hebr. 9.**Rom. 2.*

nitate transacta in his diebus pauculis,
pœnæ adiudicabuntur æternæ, per annos
æternos finem nunquam accepturæ.

*Letare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in
bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tue, &
ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorū
tuorum: & scito quia pro his omnibus adducet
te deus in iudicium.*

Potest istud quasi per amaram & seue- *Ironica lo*
ram quandam ironiam legi & exponi, *cutio.*
continuè ad præcedentia in hunc mo-
dum: Postquam constat, post huius vi-
tæ terminum tempus aliud miserabile
venturum esse, in quo præterita omnia
peccatorum acta ad iudicium deducen-
tur, & vanitatis arguentur, nunc igitur
videte ò adolescentes, qui soletis liben-
ter carni obsecundare, & mundi huius
voluptatibus sine freno, propter carnis
lasciuiam, totos vos dedicare: vos ipsi (in-
quam) videritis, num vobis expediat ita
lasciuire, & mortis venturique post illam
iudicij memoria postposita in sordibus
concupiscentiarum volutari, vt semper
gaudium & lætitiā ineptam quærat
cor vestrum, vt omnibus cordis vestri de-
sideriis obsequamini, vt quocunque vos
oculi aut sensus reliqui serant sequami-
ni: maximè cum certissimum hoc sit, post


*Alia e-
narratio
absque i-
ronia.*

mortem pro his omnibus vos redituros esse districtam rationem, apud seuerum iusti iudicis tribunal, qui non solum de iis exquiret quæ in ætate nouissima per homines gesta fuerint, sed de omnibus omnino quæcunq; operatus est homo in corpore, ab eo momento quo humana opera cœpit operari, id est ab initio vsus rationis, vsque ad momentū vitæ nouissimū. Posset verò vt sermō prolatus accipi totus hic sermo, in hunc sensum: Sic tu ò adolescens, qui bene sano es corpore, & lætitiæ modò occasiones multas habes, sic tu, inquã, modò lætare in tēpore hoc adolescentiæ tuæ, ita sit in gaudio honesto & moderato cor tuum, sic ambula in desideriis animæ tuæ, sic & in intuitu oculorū tuorū ambula cū moderamine debito, vt tamen semper memineris, tibi pro omnibus quæcunque egeris reddendā esse rationem: vt hac consideratione tua adolescentia, alioqui ad excessum nimium prona, cōpescatur, ne limites honestatis excedat, quasi dicat, Nolo tibi ò adolescens, omnino prohibere lætitiã, nolo tam esse morosus præceptor, vt nihil tibi concedã voluptatis, ne castæ quidē & honestæ, sed hoc exigo, vt admixta nouissimorū memoria modū te doceat in omnibus. Est nanque (vt Poeta ait)

ait) modus in rebus, sunt certi denique fines, quos vltra citraque nequit consistere rectum. Intra quos fines vt homo contineat, nihil æque conducit, ac iuris venturi iudicij recordatio. Olympiodorus verò *Olym. & Næo. sententia.* hæc intelligit de lætitia spirituali, & adolescentia item spirituali, quæ secundum spiritum promptû & fortem in bono consideratur. Gregorius autem Næocæsariensis priori sententiæ magis fauet.

Aufer iram tuam à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua. Adolescentia enim & voluptas vana sunt.

Ostendit hoc verbo, in mox præcedentibus se voluisse adolescentes non adhortari ad inutilem lætitiã, sed omnino dehortari & auocare ab ea. Nûc enim docet, sollicitè non debere omnes passiones malas cõpescere, quæ in nobis possint exurgere. Sub ira nanque cordis & malitia carnis, cõprehendi voluit generatim omnes animi corporisque malas passiones. Ait *ne passiones animi* igitur: Noli ò iuuenis pluriû mala exempli insequens, passionibus tuis obsecundare, sed eas magis refrenare stude, per timorem Dei & considerationem iudiciorum eius: vt si tuum animum subito ira inuasêrit, non statim illam accipres aut foueas, sed prorsus illam à te remoue, ne



in corde tuo locū inueniat, ne ibi quæta
 resideat, aut diutius quàm est æquum per-
 maneat. Itē si carnis malitia aliqua, id est,
 malus quilibet motus concupiscentiæ in
 carne inhabitantis te sollicitauerit, ne ac-
 quiescas ei, vt regnet in corpore tuo & do-
 minetur animo tuo: sed per spiritū, per vo-
 luntatis liberum arbitrium, rationisque
 imperium, fortiter contraire stude, & car-
 nis illam innatam malitiam spiritus stu-
 dio a bonitate calcare atque suppressere.
 Non enim debes ò adolescens, tibi nimiū
 indulgere, nō debes tuæ adolescētis im-
 petuosis motib⁹ obsequi, vt voluptatibus
 ad quæ semper stimulat adolescētis lasciu-
 ia, te immoderatē dedas. Adolescentia
 enim & voluptas vana sunt, id est, scire de-
 bes ætatē iuuenilem periculosam esse, &
 mala plerūq; suggerere: propter quod au-
 dienda nō est, neq; illi suasionibus acquie-
 scendū. Vanā quoq; nosse debes volupta-
 tem, cuius nouissimū mors atq; interitus,
 propter quod ab illa studiosē est cauendū,
 quantūlibet iuuenilis lasciuia eā suadeat
 atq; cōmēdet. Ac proinde, ò adolescēs præ-
 monitus adolescentiā & voluptatē ambo
 vana esse, noli eis acquiescere: illi ne cre-
 das hanc proponēti, huic ne cedas ab illa
 propositē. Stude autē virtute animi corpo-
 ris

*Adolescē-
 tia & vo-
 luptas va-
 na sunt.*

vis ætatē trāscendere, vt cōtra carnis malitiam virū te prębeas, in passionibus tam irascibilis quā concupiscibilis edomādis, rationisq̄ iusto imperio subigendis.

ANNOTATIONES IN

caput vndecimum.



Itte panem tuū, &c. In Hebr. ad verbū sic legitur: Mitte panem tuum super faciē aquarū, quia in multitudine dierū inuenies illū. Nostra lectio sententiā, eandē exprimit clarius: Da partem septem, necnon & octo. Caue sic legas: Da partes septem, & da partes octo, quasi septem & octo coniungi debeant vt adiectiua, illi substantiuo, partes. Est enim sensus verus. Da partē ipsis septem, & ipsis octo, quemadmodum in Commentario suprā ostendimus ex lectione Hebræa simul & Græca. Vnde quidam paraphrasticè sic vertit: Da partem panis septem indigentibus, atque etiā octo. Nescis quid magis oriatur, hoc an illud. Alij vertunt: Nescis quid magis congruat aut quid magis rectum vel bonum sit vel magis opportunum. Meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum, &c. Ex Hebræo ad verbum sic legendum, Meminerit dierum caliginis, quia multi erunt. Omne quod venit, vanitas est.

In eundem modū legit vetus æditio. No-
stra verò lectio claritatē maiorem habet.



DVODECIMI CAPITIS

Commentarius.



*Emento creatoris tui in diebus
iuuentutis tue, antequam ve-
niat tempus afflictionis tue, &
appropinquent anni de quibus
dicas, non mihi placent.*

*Ab adole-
scētia deo
seruicēdū.*

Monemur, dum tempus habemus ad
seruiendum deo opportunissimum, fide-
lem ei præstare famulatum. Qua profecto
admonitione vehementer opus est plerif-
que adolescētū, qui dei timore postposito,
totos se dedūt mūdo, carni, dæmoni malo
æstimantes ætati deum id cōdonaturum,
quòd in adolescentia malè viuunt: melio-
rem autem vitam proponunt vel somniāt
verius se acturos, cū ad ætatem venerint
prouectiorem. Modò, inquit, dum vi-
gent in nobis sensus & vires, dū sapit ad-
huc mundum, voluptatibus fruamur obla-
tis: postea verò quàm ad senectutem per-
uenerimus tum demum agemus pœniten-
tiam, voluptatibúsque & mūdo abiuratis
deo

deo vacabimus. Quasi verò ipsi in manu sua habeant cursum vitæ suæ, quasi promisso aut iureiurando certos illos reddiderit deus, quòd ad senectutē sint peruerturi, aut quasi post omnē vitā in voluptatibus sine deo transactā, tandem in senectute vetera omnia in quibus consenuerunt facillè sint abiecturi ex animo, ac deo tū demū, quod nunquā didicerūt, perfecte vacaturi. Hos proinde sollicitè monendos censuit noster Ecclesiastes, iam concionis suæ finē adornans vt non vsque in senectutē differant seruire deo: sed iam inde ab adolescentia, statim vbi rationis vsum fuerint adepti, sagāt in cōspectu illius ambulare. Memēto, inquit, ò adolescēs creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, id est, deū ante oculos semper habeto, & corā illo vias tuas omnes dirigit. Et vt efficacior sit exhortatio rationem explicat quæ meritò nos debeat ad omnē vitā diuinæ seruituti mancipandam inducere, ipsam videlicet nostrā creationē cū ait: Memēto creatoris tui. Dignū enim & omnimodis iustū est, qui nos totos tanti quāti sumus condidit, qui nobis totius nostri esse author est, & qui nō esse quodlibet, sed esse tam nobile, tā deo proximū nobis cōtulit, illi vt nō tantum vitæ partē aliquā, eāque prorsus ineptā & mise-

*Memēto
creatoris
tui.*

ram, sed totā potius ipsam, etiā si duratio-
ne milies esset protēfior, dedicemus: po-
tissimū verò eius viuidū florē, qui est tem-
pus adolescētiæ. Siquidē opera bona qui-
bus in adolescētia studemus placere deo,

*Primitiis
deus oble-
tatur.*

primitiæ sunt vitæ nostræ. Primitiis autē
eximie semper oblectatū esse deū, eāsque
ab ipso districtè semper exactas, apertissi-
mè pluribus in locis sacræ literæ, veteris

I. Cor. 10.

(iuxta Aposto.) omnia in figura contige-
runt illis antiquis, facta sunt autē ad eru-
ditionē nostrā, arbitrandū est, ob hoc à ve-
teribus legis literæ seruientibus tā distri-
ctè exactas fuisse primitias, tā fructuū quā
animaliū, vt nos doceremur filij gratiæ &
primitias vitæ nostræ actionūq; nostrarū
à nobis deus requirat. Quapropter, nun-

*Damnan-
da senten-
tia eorum
qui nihil
referre pu-
tant, quo-
modo atas
pœnitētia
transiga-
tur.*

quam satis execrari possumus illā quorun-
dam improborū hominū sentētiā, qui vel
nullā vel perexiguam purāt esse culpā, si
adolescētes videant vitiis deditos aut etiā
voluptatibus insaniētes. Qui hoc sibi stul-
ti stultissimè persuasum habent (id quod
& in ore non raro iactitant) necessarium
esse, vt quilibet hominū semel in vita insa-
niat, iuxta vulgatū illud hemistichiū: Se-
mel insaniuimus omnes. Atq; ita boni cō-
sulunt, si adolescentes viderint in ætate il-

la florida perditè viuentes quasi necessitas fit ineuitabilis, partē vitæ malè trāfigere. Ex qua stultissima persuasione eo quoque vesanię processum est, vt vulgato etiam iactetur versiculo, pedibus quidem in amœno, sed sentētia longè corruptissimo eum qui in ætate minori immaculatam duxerit vitam, ætate ingrauescente angelicam diabolica commutare. Ita inquit belli illi pronuntiatores, corruptissimi iudices. Angelicus iuuenis senibus satanizat in annis. Qua sententia quid magis insanum possit à Christiano proferri? quid magis virtuti aduersum & toti Christianæ reipub. noxium? quid magis scripturæ omni sacræ atque etiam morali doctrinæ contrariū possit cogitari? Nam (vt sacras literas omittamus) nemini non est nota celebris illa Aristotelis, atque adeo cæterorum omnium philosophorum qui de moribus præceperūt sententia, nō parum referre: iuuenem à teneris annis sic aut sic assuesieri. At vero, si id persuasum fuerit hominibus, vt necesse sit semel insanire hominem, vel in senectute vel in adolescentia, quis nos magis consulendū putabit adolescentibus, vt viuant improbè quàm probè, voluptariè quàm religiosè, infremitè quàm timoratè. Si enim semel

Aristot.
laudata
sententia.

mel insanandum est, præstat vtique in iu-
uētute quàm in senectute insanire. In iu-
uētute enim qui viuit malè, spem videtur
habere senectutis bene transigendæ. Qui
verò iuuentutem sanctam duxerit, iuxta
horum persuasione, expectet necesse est
aliam ætatem maiorē, quam det insanix.

Eccl. II. Cùm igitur lignum vbi ceciderit, ibi erit,
sitque in eo statu quis iudicandus in quo
moriens fuerit deprehensus, quis non (iu-
xta illorum persuasione) iuuenem vi-
dēs sanctè viuente exhorrebit, quasi illum
ob hoc senectus mala, ac proinde & mors
mala maneat quòd in adolescentia sanctè
pièque viuat? Contrà verò, adolescentes
cùm improbè vitam ducere cōspexerint,
bene de illis sperabūt, quòd senectutem
bonam sint habituri. Abeant verò in ma-
lam crucem huiusmodi perditores iuue-
num, peruersi iudices, consiliarij insipien-
tes, innocentis ætatis perditissimi corru-
ptores: supēdatur iis qui scandalosa ita do-
cent mola asinaria ad collum, & in profun-
dum maris submersi pereāt. Nam id expe-
dire malis saluator docuit, quàm vt pufil-
li scandalizentur in eis. Procedat verò no-
ster concionator dei sapientia instructus,
& de pulpito quod conscendit, priusquàm
concionem dimittat, fidenter intonet ad
iuue

iuuenes vniuersos, vnde ineptas illorum garrulationes & fabulas plusquam aniles reiiciat, dicens: Memento creatoris tui, in diebus iuuentutis tuæ. Et huic sapiēter vti litérque cōsulenti iustum est adolēcentes omnes aurē præbere, magis quàm insipientibus illis insipienter garrulantibus, de iis quæ non nouerūt, id est, de morū disciplina loquētibus, quā penitus ignorant. Subiungit verò post prædicta Sapiens: Antequàm veniat tēpus afflictionis tuæ, & appropinquēt anni de quibus dicas, nō mihi placent. Hoc tempus & hi anni senectutis sunt, in quibus naturæ vigore paulatim depereūte, & mēbris omnibus à pristino præteritæ iuuetutis virore deficientibus, multis homo repletur miseriis & afflictionibus: ita vt tempus istud senectutis, considerās humanæ conditionis miseriā. Propheta, appellauerit laborē & dolorem. Et vulgo quoq; iactatur, senectutē ipsam per se morbū esse. Meritò autē ante hoc tēpus afflictionis & dies istos ingratos debemus diuinæ seruituti vacare, quoniam senectutis tempus hominem ad omnia ineptum facit, maximè ad noua aliqua prius intentata, ac prorsus ad omnia tardum & torpidum efficit. Deus verò hilarem datorem (vt ait Apostolus) diligit, & alacriter sibi vult

*De tēpo-
re senectus
tis iniucit
do, & in-
amano.*

Psal. 89.

2. Cor. 9. vult seruire, non ex metu seruili, sed ex filiali affectu. Qui autem ætate robustiori malè trāfacta, in ætate vltima ad seruiendum deo se transferre tentauerit, quomodo, promptè alacritérque id agere poterit quod antè nunquam didicerit, imò ad cuius contrarium longissima consuetudine & altissimè iam radicato habitu malo fuerit assuefactus? Deniq; si qui in ætate illa vltima videntur nonnihil virtuti studere, & nõnulla deo obsequia facere, perquã facile est videre, illa non tam ex amore dei quàm ex timore mortis (quã ex signis præuiis imminere præsentiant) ab ipsis sic fieri, quam seruitutè deus acceptam non habet. Cõsultum igitur fuerit, imò pene necessarium illi qui senectutem suam certò velit deo consecrare, vt statim ab adolescentia ad id se præparare incipiat: ætatem nanque priorem qui bene agit, hoc apud deum promeretur, vt & ad subsequentes annos rectè transigēdos, ac tandem bono fine vitam claudendam, copiosum diuinæ gratiæ accipiat auxilium. Quẽadmodum econtrario qui sua lasciuiam malè consumit florem adolescētiam, iusto dei iudicio hoc demeretur, vt cùm ad gelidam senectam peruenerit, supernæ gratiæ munus ei denegetur. Quemadmodum enim liberalem

Nota a-
tentè.

dator

datorem ad plura dandū inuitat, qui prius
 acceptis bene vsum se monstrauit: ita ad
 negandum prouocat, qui prius liberaliter
 donatis malè vsus deprehēditur. Vnde qui
 in adolescentia oblatam dei gratiam, imò
 in infantia collatam, ingrati abiecerint,
 meritò illis in ætate grandiori eadē dene-
 gatur, etiamsi timore aliquo postulare vi-
 deantur. Juxta quod per Sapientem ex ore *Pro. 1.*
 domini dicitur: Tunc clamabunt, & non
 exaudiam. Quomodo verò qui ætate ro-
 bustiori dei timorem contemnit in ætate
 illa infirma se deo seruiturum præsumat,
 quando Dauid à pueritia sua diligentis-
 simè deum obseruans, & in virili robore
 diligenter in eodem statu perseuerans,
 tempus illud afflictionis formidat, ac pro *Psal. 70.*
 eo, ne tum derelinquatur, adhuc robu- *Nostra*
 stus obsecrat, dicens: Ne derelinquas *presum-*
 me domine in tempore senectutis meæ: *tionis cõ-*
 cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas *fusio.*
 me. Nos quidem (si diis placet) cùm in
 ætate robusta omnia deo aduersa licentis-
 simè peragimus, confidimus tamen aut
 verius præsumimus, in tempore senectu-
 tis nos ab illo assumendos. Ille verò cùm
 ab infantia timuisset deum, & per om-
 nem vitam sollicitissimè illius perfecisset
 voluntatem (exceptis paucis, in quæ pro-
 pter

pter exemplum posteriorū, illum labi per-
 misit diuina sapientia) metuebat tamen
 cum aduc sanus esset, senilis tēporis tardi-
 tatē: & quasi præcauēs ea quæ sibi imposte-
 rum euenire poterāt, oratione præuenien-
 do satagebat, ætatis illius declinare peri-
 culum, ne postquā totam vitā in dei serui-
 tute alacriter hilaritēque trāsēgisset, in
 illa tandē ætate nouissima proiiceretur à
 cōspectu ei⁹: in quo sicut inceperat, ita &
 finire vitę cursū summopere desiderabat.

*Antequam tenebrescant sol & lumen. stel-
 la & luna, & reuertantur nubes post pluuiam.
 Quando commouebuntur custodes domus, &
 nutabunt viri fortissimi, & ociose erunt mo-
 lentes in minuto numero, & tenebrescent viden-
 tes per foramina, & claudent ostia in platea,
 in humilitate vocis molentis, & consurgent ad
 vocem volucris, & obsurdescent omnes filia car-
 minis. Excelsa quoque timebunt & formida-
 bunt in via Florebit amygdalus, impinguabi-
 tur locusta, & dissipabitur capparitis. Quoniam
 ibit homo in domum æternitatis suæ, & circui-
 bunt in platea plangentes.*

Huius loci tam varias à diuersis as-
 gnatas fuisse interpretationes Hiero. te-
 statur, vt tot penè fuisse dicat sententias,
 Diuersa nimis loci presentis quot homines. Quod si Hiero. tempore
 verum fuit, multò magis nostra hac æta-
 te

te id credibile videri debet : cū post il-
 lum non pauci neque tardo ingenio aut
 mediocri eruditione homines , in eodem
 explicādo plurimū desudauerint. Omniū
 igitur opiniones à nobis recenseri nō fa-
 cile fuerit, vt neq; admodum vtile. Sigi-
 latim tamen vnamquaque partium ora-
 tionis huius pertractātes, nonnullas assi-
 gnabimus probabiliore diuersorū inter-
 pretum enarrationes. Et primū quidem
 illud occurrit admonendum , q̄ nonnulli
 tam veterū quā recentiorum locū præ-
 sentē de signis exponunt vltimā seculi cō-
 summationem antecedentibus, de calami-
 tatibus, quæ (sicut Euangelica quoque te-
 stante historia cognouimus) toti orbi su-
 perueniēte, ante seculi cōsummationem.
 Quam expositionem nos impræsentiarū
 sigillatim persequi nō intendimus. Ne ta-
 men prorsus eā pertrāseamus intactā. pla-
 cuit ex Gregorij Næocæ. metaphrasi ver-
 ba pauca recitare, quibus indicat potius
 quā explicat, quomodo ad propositū il-
 lud de calamitatibus ante seculi cōsumma-
 tionē locus iste valeat intelligi. Sic itaque
 habet, Operæpretiū igitur fuerit, vt cū ad-
 huc sis adolescēs deum timeas priusquā
 miseris obiiciare, veniātque ille magnus
 & terribilis dies domini , quādo neq; sol,

enarratio-
nes.

Mat. 24.
Luc. 11.

Verba
Gregorij
Næocæs.
ex meta-
phrasi de
signis præ-
cessuris cō-
summatio-
nem secu-
li.

&c. neq; stellæ reliquæ vltra fulgebunt,
 mouebuntur autē supernæ virtutes, ange-
 li custodes mundi in tēpestate & turbatio-
 ne illa vniuersi, ita vt quiescant tūc tam vi-
 ri potētes quā mulieres operariæ & fu-
 giāt in tenebrosa domiciliorū penetralia,
 clausis ianuis omnibus. Et si qua molendo
 occupata prohibita fuerit, timore nimio
 gracili vocula, vt auicula parua clamabit.
 Omnes autē impuræ mulieres, in terram
 cadant. Similiter & ciuitates & illarū san-
 guinarij magistratus, vindictam supernè
 expectabūt, vrgente acerbissimo cruētis-
 simoq; illo tempore, quod erit vt amygda-
 lus florens. Tunc ita frequentia aderunt
 supplicia, sicut multitudo locustarū aduo-
 lantium, & ita è medio abiicientur pecca-
 tores, vt nigra despectissimāq; capparis.
 Et bonus quidē vir in domū suā æternam
 gaudēs proficiscitur. Improbiverò omnia
 suo luctu cōplebunt, neq; illis repositū ar-
 gentū neq; probatū aurū pderit. Magnus
 enim fons cōprehendet oīa quousq; apud
 puteū stēt hydria & vehiculū rotæ quam
 contingit quandoq; elabi. Cū igitur cur-
 sus tēporum p rotam, & vitæ per aquā de-
 signatus, & præterierit seculū vrnā gerēs,
 & iacuerint homines super terrā, tum erit
 vna salus, si agnouerint animæ creatorem
 suum,

factū, & ad eum reuolauerint. Hactenus il-
 lius verba perdurāt, ex quibus lector attē-
 tus collatione facta, satis cōmodē poterit
 præsentē locum de miseris cōsummatio-
 nis seculi intelligere. Apertissimē verò &
 planissimē hunc locū totum, eiúsq; parti-
 culas singulas, in prædictū sensum expla-
 nat, eximius vir Richar. à sancto Viçt. in *Richar. à*
 tractatu quem inscripsit de fine seculi, aut *san. Viçt.*
 de signis & calamitatibus quæ præcedent
 consummationē seculi: in quo singula hic
 dicta exactissimē tractat & explicat luci-
 dissimē, vt solet ille sua oīa & exactissi-
 mē tractare & lucidissimē dicere. Alij verò *Alia ex-*
 præsentē locum intelligunt & exponūt de *positio, de*
 iis quæ in vniuscuiuscunq; hominis mor- *calamita-*
 te particulari contingunt, atq; in senibus *tibus se-*
 prius etiā quàm moriātur vidētur incipe- *num ante*
 re. Cui sententiæ, cum plures atq; etiā ve- *mortem.*
 tustos, Hebræos, Græcos, atq; Latinos vi-
 deam fauere, nos quoq; eā per singula or-
 dine suo discurretes explicare tētābimus.
 Primū itaq; , vnicuiq; homini in morte
 obtenebrescent sol & lumen eius, luna &
 stellæ omnes, quoniā non amplius illa va-
 let percipere. Ita & senibus, quādo ad mor-
 tem, appropinquant, obtenebrescent illa:
 quoniā caligantibus oculis nequeunt illa
 satis percipere. Quēadmodū de Heli sa- *1. Reg. 3.*

Gen. 27. cerdote legimus ꝓ caligabant oculi eius, nec poterat videre lucernā domini. Itē de Isaac, ꝓ præ senectute caligantes haberet oculos, vt nec filium ad se proximē accedentem à filio absente posset visu discernere. Reuerti deinde dicuntur morienti *Reuertitur nubes post pluuiam.* nubes post pluuiā, quando tribulatio post tribulationem aduenit, & post calamitatem vnā euestigio subsequitur alia peior, id est senectutem morbum lōgum & malum, ipsa mors omnium terribiliū terribilissimum. Huius autē significationis ratio est, quoniam post pluuiam solet aer serenari. Quando verò post pluuiam iterum nubes videntur oriri, expectanda est pluuiā maior, non trāquillitas. Vel aliter per reuersionem nubium post tenebras, intelligatur caligatio & obuolutio cerebri, quæ tandem post pluuiam venit, id est post multū aquei humoris, partim fletu, partim fluxu spontaneo oculorum & narium, partim frigidorum flegmatum ex-
Custodes domus commouetur. creatiōe, emissum atque eiectū. Custodes insuper domus cōmouentur, instante mortis tempore, .i. sensus ipsi qui corpori sunt velut custodes, quoniam ad hoc præditum est corpus sensibus vt per illos sibi caueat à noxiis, & quæ sibi sunt salutaria admit-
 tat, quod est etiā custodum domus officiū,
 arcere

arcere volentes adferre nocumentum, commodum verò afferentibus pateface-
re ostium. Hi custodes domus commo-
uentur indubiè, imminente morte, quo-
niam hebetari incipiunt & suo malè fun-
gi officio, ac tandem prorsus deficere. O-
lymp. verò domū intelligit animā, cuius
custodes dicit supremas eius vires, quas e-
tiam manifestū satis est morte appropin-
quante naturaliter conturbari. Cuius exē-
plum in semetipso omnium hominū for-
tissimus Christus dominus noster, mon-
strare voluit, quando imminente mortis
hora cœpit pauere & tædere, contristari &
mœstus esse, adeò vt se tristem ad mortem
vsque affereret. Alij intelligunt ossa quæ
in corpore humano carni molliori sunt
artificiose intertextæ, ad custodiam fabri-
cæ corporis: vt scilicet per illa dura, con-
seruarentur & defenderentur mēbra mol-
liora quemadmodum cerebrum osseo te-
gmine superposito tegitur, & defenditur,
& viscera costis ex omni parte ventrem
circundantibus, ac deniq; per totum cor-
pus expāsa sunt ossa, propter carnis in suo
statu & loco conseruationem. Et hi quoq;
domus custodes commouebuntur, quan-
do morte instante iuncturæ illæ quibus
cum membris mollioribus cōiungeban-

*Mat. 26.**Mar. 14.*

*Nutāt vi
ri fortissi-
mi ante
mortē, &
molentes
otiantur.*

tur solui incipient, atq; ipsa etiā ossa ex-
hauriri, & non amplius in suo robore cor-
pus valeant constituere. Viri autē fortissi-
mi qui nutare dicuntur adueniēte morte,
intelliguntur crura & tibiæ, quæ corpus
totū, pondus vtiq; magnum ferre solent
ac sustentare. In Hebræo autē dicitur tan-
tum, viri fortitudinis. Molentes, intellige
ipsas mandibulas, vel qui in eis sunt den-
tes, cibū comminuētes, ad eum modū quo
mola cōminuit triticum. Qui adueniente
morte, otiosi fiunt, quoniam officiū suum
perdunt, atq; etiā ante mortem non bene
fungi possunt officio suo, vt solent in ro-
bustiori ætate. Dicuntur quoq; molentes
isti in minuto esse numero, quoniam seni-
bus pauci sunt dentes, & iisdem non bene
in loco suo firmi. Videntes autem per fo-
ramina, intellige oculos ipsos, vel oculo-
rum pupillāq; per concaua foramina in
quibus introrsum consistunt, foras aspi-
ciunt, donec viger in homine anima. Sed
morte adueniēte, contueri vltra desinunt,
atq; etiam senectute ingrauescente ægrè
videre possunt. Ostia clauduntur in platea
quando foramina meatuum per quæ so-
lent spiritus vitales sensitiui atq; motiui
transire, obstruūtur, vt non vltra ad orga-
na & loca solita diffundantur. Atq; ita vi-
detur

*Videntes
per fora-
mina.*

*Ostia clau-
duntur in
platea.*

detur interpretari Olym. Alij verò offia
 dicunt in platea claudi, quādo labia in fa-
 cie comprimuntur & clauduntur, vt vo-
 cem formare amplius homo non possit.
 Platea enim quædā videtur, quod est in-
 ter labia spatium, quoniā illac ingredi de-
 bet omnis cibus, aer quoq; & ingredi & e-
 gredi, qui ad pulmonem attrahitur aut ab
 eodē emittitur. Quod autē additur, in hu-
 militate vocis molentis, ita intellige: quo-
 niā præ nimio frigore sic constriunguntur
 morientis labia, & sic dura fiunt præcor-
 dia, ex quibus vox debet procedere, vt vix
 magno labore per os possit submissam
 qualemcunque vocolā formare. Os enim
 est, quod hic dicit molens, quoniā eius est,
 sicut cibum cōterere suo motu, sic & vocē
 formare. Quidam verò Hebræorū, humi-
 litatem vocis ipsius molentis intelligunt
 murmur ipsius stomachi, cuius est officiū
 molere atque digerere. Hic enim in seni-
 bus murmurat, quasi semper grauetur ci-
 bo, cum non possit digerere quod iniici-
 tur. Consurgere quoq; dicuntur senes iā
 iam morituri ad vocē volucris, quoniam
 impotentiam habent multam dormiēdi,
 & somnū si quē habent, tenuissimum ha-
 bent, vt vel ad leuissimum quemlibet ru-
 musculum excitētur. Filia autē carminis

*Ad vocē
 volucris
 excitātur
 senes.*

Obsurde- aures intelliguntur, quæ dum vigeret in
scunt filia eis sensus, canticorum modulatione solent
carminis. oblectari. Hæ autem carminis filia in sene-
 2. *Re. 19.* ctute & in morte obsurdescent: quoniam

sensu deficiente, non ultra oblectantur car-
 minum modulis, neque ullis sonorum diffe-
 rentiis. Quæadmodum requisitus à David
 Berzellai Galaadites, ut requirere acciperet
 secum in Hierusalém, pulchre in sua illa cor-
 data responsione indicavit, dicens: Quot
 sunt dies annorum vitæ meæ, ut ascendam
 cum rege in Hierusalem? Octogenarius
 sum hodie. Nunquid viget sensus mei ad
 discernendum suave aut amarum, aut delecta-
 re potest seruum tuum cibus & potus, vel
 audire possum ultra vocem cantorum atque
 cantatricum? Vel in eandem ferè senten-
 tiam, per filias carminis accipe omnia in-
 strumenta musica, quæ in senectute omnia
 obmutescunt homini, ac vicissim obsur-
 descit illis homo. Dicuntur præterea se-
 nes iam morientes excelsa timere, & for-
 midare in via, quoniam propter debilita-
 tem & defectiōem vehementer fiunt pau-
 di: statimque ubi vel leuè rumusculum audie-
 rint, sursum respiciunt, quasi aliquid mali
 eis desuper immineat, & territameta que
 de cælo venire solent, ut tonitrua & coru-
 scationes, vehementer horrent. Habent
 quoque;

Excelsa
timet se-
nes.

quoque imaginationē defectu debilitatā: unde fit, vt frequenter ex imaginatione super sibi mala euenire existiment aut timeant, cū nihil sit. In via quoq; ambulantes semper sunt pauidi, &c. Hunc sensum aliquatō clarius indicat quod habet lectio Hebræa in hunc modū: ab excelso quoq; vel ab excelsis timebunt. Hier. verò aliter sic exponit: Ab excelsis timebunt, id est, ardua ingredi non valebunt, & formidabunt in via, hoc est, lapsis poplitibus ac tremēti vestigio etiā in plano itinere fluctuantes, offēsam gressuū formidabūt. Olymp. verò ad diem iudicij accommodat. Tunc enim ab excelso, id est, à facie iudicis venturi de nubibus cæli timebunt, & formidabunt in via, subaudi iudicij, id est quando rapientur ad tribunal iudicis, vt accipiant mercedem secundum opera sua. In eo autē quod sequitur: Florebit amygdalus, impingua. &c. signa tria ponuntur antecedentia mortem. In senibus nanq; caput canis perfunditur similiter & barba: quod per florem amygdali significatur, quoniam albescit (vt ferunt) amygdalus, cū floret. Venter quoq; senibus distēditur, repletus superfluis humoribus, quod per locustæ impinguationē significatur. Locustæ nanque pinguedo solida & vera

*Hiero.
exposi.*

*Olymp. e-
narratio.*

*Florescit
in senum
amygda-
lus.*

*Impin-
guatur lo-
custa.*

pinguedo nō est, sed phlegmaticus potius humor cōcretus videtur: atq; ita & in senibus, dū vēter incraffatur, similiter & pedes intumescūt, nō est vera. i. pinguedine, sed magis ab aqueo humore. In senib⁹ quoq; friget concupiscentia, tam appetitus cibi quā rei venereę. Id significatur per capparidis dissipationem: quoniā capparidis (vt aiūt) herba est prouocatiua libidinis, item & appetitus. Senibus ergo appropinquāte morte, dissipatur capparidis: quoniā penitus deficiētibus, ipsa nec appetitū cibi nec rei venereę libidinē potest vltra prouocare. His præcedētib; quod restat adiungit Sa-

Dissipatur capparidis.

Ibit homo in domū æternitatis.

Psal. 89.

Luc. 16.

piēs cum ait: Quoniā ibit homo in domū æternitatis suę. i. de loco isto peregrinationis ad locū stabilis mansionis, nēpe vel ad caelestē beatitudinē vel ad inferni miseriam. Quæ enim nobis in hoc mundo datur māsis, non æternitatis est, sed breuissimi tēporis. Propter quod à Propheta vigiliæ vel custodiæ in nocte & nihilo cōparatur. Quæ verò post hęc vitā nobis assignabitur pro operum nostrorum præmio, illa proculdubio æternitatis erit, quoniā non erit de altera ad alteram transitus. Chaos enim magnū (iuxta magni Patriarchę sententiā) inter illas firmatū erit, vt qui de altera velint trāsire ad alterā, non possint.

Inter

Interim verò dū homo moriēs domū requirit eternitatis suę, vel apud superos vel apud inferos, quid in terra de corpore illic relicto agatur narrat, dicens: Et circuibūt in platea plāgentes. i. domestici & cognati efferēt hominē de domo sua in qua mortuus fuerat, per plateā ad locū sepulchri, planctū & luctū (vt moris est) faciētes super mortuo: nec aliud possunt, quantum ad corporale obsequiū, relicti superstites. Non enim aliud possunt, quā pōpa debita defuncti corpus terræ mandare, funerisq; exequias iuxta consuetudinem celebrare. Olympi. verò hæc omnia ad diem iudicij, prosequendo expositionem supra paucis indicatam, refert, dicens, beatæ vitæ hīc describi iucunditatem, sub comparatione verni tēporis, quando amygdalus solet florere, locusta impinguari & capparidis dissipari. i. aperiri, vt ipse ait haberi in alia versione. Vel aliter: Florere amygdali ad fœlicitatem beatæ vitæ pertinet, impinguatio locustæ ad miseriam damnatorum, & capparidis dissipatio ad peccati destructionem. Sancti enim in iudicio florebunt sicut amygdalus: flore iucundissimo atque sempiterno, sicut & in Psal. dicitur: Iustus vt palma florebit. Suppliciū verò inferni, quod per locustā significatur

De modo sepultura post mortem.

Olym. diuersam ponit sententiam.

Psal. 91.

- Exo. 10.* (eo quòd frequens sit in scriptura, per locustas fieri comminationes pœnarum, & Pharaò cū tota Aegypto locustis fuit platus grauissimè) tunc impinguabitur: quoniam dilatato ore & ventre, vorabit plurimos, quasi sine numero. Ita enim metaphoricè dicimus impinguari quippiam, etiam pinguedinis non capax, quādo magna ei aduenit rei alicuius quam quærit abundantia. Interim verò dum iusti in gaudio impij degūt in supplicio, capparitis dissipatur: quoniam peccatum vltra nullum inuenietur, post iudiciū. Remanebit quidem pro præteritis peccatis in impiis æternum supplicium, peccatum verò in se vltra nullum erit. Quod verò in domū æternitatis suæ homo vadit per mortē, ad bonos peculiariter pertinet, qui per mortē pergunt ad domū æternitatis suæ. i. ad quā possidendam & inhabitādam à deo sunt conditi, quæ est ciuitas cœlestis, de qua dicebat Apostolus: Non habemus hīc manentem ciuitatē, sed futurā inquirimus. Et iterū: Expectabat enim fundamēta habentē ciuitatē. Illud verò de circūeuntibus in platea atque lugentibus, ad damnatos peculiariter pertinet. Hi enim (iuxta Evangelicam parabolam) clausa ianua, non poterunt intromitti in ciuitatē sanctorum,

ac proinde, foris stare compellentur. Iuxta *Luc. 13.*
 quod ipse in Euang. saluator Iudæis ex-
 probat, dicens: Tunc incipietis foris sta-
 re & dicere, &c. In quem sensum etiam il- *Psal. 58.*
 lud Psalmistæ: Conuertetur ad vesperam
 & famen patientur vt canes, & circuibunt,
 ciuitatem, nonnulli doctores catholici ex-
 ponunt. Et iterum illud: Impij in circuitu *Psal. 11.*
 ambulant. Nec malè conuenit huic sensui
 quod suprâ dixit Ecclesiastes: Labor stul- *Ecccl. 10.*
 torum affliget eos qui nesciunt in urbem
 pergere. Quia videlicet nesciunt impij in
 urbem pergere beatorum, iccirco circui-
 bunt in platea: & quia laborabunt in mi-
 seria tunc sibi subito superuentura, ideo
 plagent.

*Antequam rumpatur funiculus argenteus,
 & recurvat vitta aurea, & conteratur hydria
 super fontem, & confringatur rota super cister-
 nam, & reuertatur puluis in terrâ suam vnde
 erat, & spiritus redeat ad deum, qui dedit illû.*

Repetendum est hic, quod in principio ca-
 pitis positum est: Memento creatoris tui in
 diebus iuuenturis tuæ, antequam rumpatur,
 &c. Admodum autem variè locus iste enar-
 ratur. Beatus Hiero. per funiculum argenti,
 candidam hanc vitam & spiram quod nobis
 de cælo datur, dicit ostendi. Auream autem *Hier. nar*
 vittæ recursum, animam dicit significare, *ratio.*
 quæ

quæ illuc recurrit vnde descenderat. Reliqua verò duo, nempe cōtritionem hydriæ supra fontē & rotæ supra cisternā, per metaphorā ait mortis esse ænigmata. Nam sicut cōtrita hydria iuxta fontē & rota per quam solet ex cisterna aqua hauriri cōfracta nō vltiā aqua ex fonte vel aqua potest hauriri, ita postquā semel finē acceperit funiculus vitæ huius, & anima viuificatrix semel abscesserit, non est vltiā vnde vita expectetur. Quam expositionē vt facilē & probabilem satis prosequentes, videamus primum, quare vita ista funiculo comparetur, & funiculo argēteo. Deinde, quare anima nostra vitta dicatur, & signanter vitta aurea. Præterea, quid sibi velit illa hydriæ contritio iuxta fontem, illāque rotæ supra cisternam confractio. Quod ad primum attinet, funiculus rectē dicitur vita hominis: quoniam sicut ex tactu & conuolutione fragilis lini fit funiculus, sic hominis vita ex diebus singulis altero alteri per successiōnem connexis, producitur & extenditur. Meritò verò non funis dicitur, sed funiculus: quoniam (teste beato Iob) breues sunt dies hominis. Non autem aureus dicitur hęc funiculus, quoniā nō optima est hęc vita defectibilis, in qua donec viuimus nondum caliginem æternā euasimus

Vita hominis funiculus dicitur argenteus.
Iob. 14.

simus. Neque item omnino pessimus est, quoniam non est omnino mala hæc vita, ut est vita damnatorum, quorum est funiculus omnino piceus, id est vita in caligine mortis æternæ. Argētum verò medium est, & splendorem habet: Ita & vita præfens non mala est, si volumus: & lumen ab ea accipimus, si volumus. Quod ad secundum attinet, vittā puto vocari posse animam hominis, quoniam sicut vitta capillos capitis omnes in vnum constringit ne diffluant, ipsa verò ablata disperguntur illi in suam multitudinem, sic anima in corpore omnia membra, tam multa tam diuersa, quasi intra suæ virtutis ambitum concludens, simul continet, ne diffluant abinuicem. Mox verò ipsa ablata, dissoluantur omnia. Aurea autem vitta meritò dicitur, ob excellentiam sui, rationalis anima: nimirum quia ad imaginem & similitudinem Dei creata, magnificam in hac suæ conditionis nobilitate gloriam præ se ferens, formâque omnes corporales præcellens, quemadmodum aurum suo fulgore & nobilitate ceteris omnibus præstat metallis. Quantùm verò ad tertium, hydria rectè dicitur corpus hoc nostrum, quod de limo terræ finxit cælestis figulus. Cui & apertè illud consonat quod

*Anima
dicitur vit-
ta aurea.*

*Corpus
corrupti-
bile, hy-
dria di-
citur.*

ait

2. Cor. 4. ait sanctus Apostolus: Habemus thesaurum istū in vasis fictilibus, vbi manifestū est, illū ad firmētū corporis nostri de terra respicere. Hæc hydria prius formatur quā in eam fundatur aqua: quoniā primū deus corpus format de terra, ac deinde formato corpore inspirat in illud spi-

Gene. 1. raculū vitæ, id est, rationalem animā. Con-
Cōteritur teritur autem hæc hydria, quādo per mor-
hydria iu tem corpus resoluitur in partes ex quibus
xta fontē. conflatū est, & in terrā reuertitur. Vigilā-
 tissimè verò notandum quòd dicitur hæc
 hydria cōteri iuxta fontē. Quando enim
 iuxta fontē hydria cōteritur, non perit a-
 qua quæ in hydria est, sed recurrit quāto-
 tius ad fontem vnde hausta erat. Sic dū cor-
 pus hominis deficit, rationabilis anima
 nō cum eo perit, sed ipsa ad fontem suum
 quantotius recurrit, vnde processerat. i. ad
 abyssum diuinæ bonitatis, vnde effluxit:
 quemadmodū statim apertius subditur:
 Et spiritus redeat ad deū qui dedit illum.
 Neque solūm aqua quæ in hydria erat in
 fontem refluit, sed & partes hydriæ cōtri-
 tæ iuxta fontē alicubi manēt, vt nō à lon-
 gè debeāt colligi si quis velit ac possit eas
 adinuicem rursūm cōiunctas solidare. Ita
 cum moritur homo non solūm non perit
 anima, sed neq; corpus omnino perit, sed
 tant

tantum dissoluitur: manentque sic partes
iuxta fontem, ut facile omnium artifex deus,
qui composita nouit solidare, rursus illas in
pristinam compositionem possit reunire: quod
& faciet in resurrectione nouissima. Po-
stremo, de rota super cisternam, ita intelli-
ge. Quemadmodum rota illa quae super ci-
sternam posita est, violenter illic detineri
debet, inclusa ferramentis & clauis affixa:
postea vero quam frangitur rota illa, aut
vincula siue clauis quibus illa haeret affixa,
tum in plenitudine aquae ruit & ibi quietem
habet. Sic anima hominis in corpore isto
mortali & corruptibili quasi violenter de-
tinetur, nimirum quasi in carcere & ergastu-
lo, compositae naturali alligata. Quibus liga-
minibus compositis in morte, anima ipsa in
plenitudine aquae, in abyssum diuinitatis
transit, ibique plena fruitur requie. Nec
mirum videatur, quod rotam comperetur ani-
ma in corpore, quoniam sicut rota in suis re-
tinaculis assidue mouetur & circunuoluitur,
sic anima in hoc corpore corruptibili
raro quiescit, sed continuo volutatur, ni-
mia mutabilitate. Et quomodo rota illa
quae supra cisternam est, per hoc quod se vol-
uit super cisternam, aquam haurit ex ea: non
habet tamen quietem, donec collabatur in
ipsam sic anima etiam, pro statu corporis

*Rota su-
per cister-
nam quid
sit.*

huius, dum se ad illā abyssum diuinitatis
 cōuertit, ac circa illā sese occupādo volui-
 tur, aquas gratiæ ex ea haurit, in consola-
 tionē & refrigeriū. Verūtamen non plenā
 habebit hīc requiē, donec ita tantū volui-
 tur, & nondū plenē in illā sese potest im-
 mergere. Aliter per funiculum argēteum
 intellige protractionē continuā neruorū,
 per oīa corporis mēbra. Per vittā auream,
 connexionem venarum & arteriarū quæ
 similiter per totum corpus expanduntur.
 Constat enim ex doctrina Physicorū, per
 totum corpus expansos esse neruos, qui
 omnia ipsius membra ad modū funis colli-
 gant, sibi que inuicem cohærere faciunt.
 Venas quoq; & arterias similiter per om-
 nia membra expandi, vt per venas quidē
 nutrimentum, per arterias verò spiramen-
 tum ad singula membra perferatur. Et si-
 cut neruus ex sua naturali qualitate albus
 & quōdammodo lacteus apparet, argenti
 colorem aliquo modo representans: sic ve-
 næ & arteriæ rubicundæ magis sunt, pro-
 pter sanguinē, & colore magis auro sunt
 similes. Disperguntur autem venæ & ar-
 teriæ per singulas corporis partes, dispo-
 sitione & artificio admodum mirabili, ad
 eum ferè modum quo vittas solēt per ar-
 tificiosam compositionem cōtexere. Atq;
 hinc

*Aliter
 prædicta
 omnia ex
 ponuntur.*

hinc fit, vt neruorum extensionem voce-
mus funiculum argenteum, venarum au-
tem & arteriarum dispositionem vittam
auream. Quomodo autem in morte, & fu-
niculus iste argenteus rumpatur, & recur-
rat aurea vitta, satis manifestum est consi-
deranti, vt omnia statim post mortem in
puluerem dissoluantur. Deinde, per hy-
driam supra fontem intellige vesicam vri-
næ. Quemadmodum enim hydria vas est re-
cipiens aquam à fonte exhaustâ, sic vesica
receptaculum est humorum procedentium ab
epate quasi à fonte humorum omnium. Inde
enim ad cætera membra sanguis & humo-
res alij deriuantur. Conteritur igitur in
morte hydria supra fontem, quando vesica
rumpitur & frangitur, nec ultra accipit
humores, vt solet ab epate. Per cõfractio-
nem autem rotæ super cisternam intelligi po-
test destructio meatus impuræ superflui-
tatis. Rota enim instrumentum est, per
quod de cisterna educitur aqua impura
& sordida. Cisterna enim plerunque con-
tinet aquam lutulentam, & frequenter
purgari debet. Ita venter est quasi cister-
na quædam impura, stercorea semper in se
continens, quæ debent per secessum emit-
ti, vt purgetur immunda cisterna. Rota
autem per quam fit hæc purgatio meatus

*Olym. a-
lia à præ-
dictis in-
telligētia.*

& secessus ipse accipitur. Quid sit igitur iuxta hunc intellectum contractio rotæ super cisternam, intelligitur. Olym. verò per funiculum argenti intelligit avaritiã quæ ad modũ funis hominem implicat & inuoluit. Idem intelligit per florem auri. Sic enim legit: Antequam coneratur flos auri. Quod etiã iuxta nostram lectionem sic potest accipi, si tantũ per vitam auri sacculũ auri intelligamus Est ergo sensus. Memor esto dei tui, ò adolescens, antequã veniat tẽpus illud quo avaritia destruetur, & nihil prodesse poterit aurum vel argentũ. Circa autem cõtritionem hydriæ supra fontẽ & rotæ supra cisternam, eadem ferè summatim dicit, quæ nos in prima expositiõẽ latius sumus prosequuti. Sunt & aliæ aliorũ enarrationes, quas prætereo breuitatis studio. Quod autem postremò adiicitur. Et reuertatur puluis, &c. planè explicat quid in præmissõ metaphonico sermone per varias cõparationes dictũ voluerit. Apertè enim exprimit hominis defectiõẽ per mortẽ, quando abinuicem separãtur corpus & anima, quæ per tempus vitæ amica societate inuicem sibi cõclutinata cohæserant. In morte enim puluis (id est corpus de puluere terræ formatũ) reuertitur in terrã suam, quando

*Puluis: ved-
dit in ter-
ram suã.*

quādo perdit humani corporis formā, qua donec animæ cohærebat, videbatur à terræ puluere distingui. Et bene dicit in terram suam, id est (iuxta domini vocem) in terram de qua sumptus est. Spiritus verò, *Gene. 3.* siue rationalis anima ad deum reuertitur à quo processit, quantū quidē ad omnes, vt exhibeatur ante tribunal creatoris & iudicis sui, recipiātque cōdignā pro operibus mercedē: quātū verò ad bonos specialiter spiritus magno desiderio redit ad deū, vt cū eo & in eo viuat & gloriatur imperpetuum. Iuxta quod sanctus Apосто. ait: Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, ædificationem habeamus ex deo, domum nō manufactam æternam in cælis. *2. Cor. 5.*

Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas. Cūque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarrauit que fecerat, & inuestigans composuit parabolas multas. Quasiuit verba vtilia, & conscripsit sermones recliſsimos ac veritate plenos.

Nunc tandem vagatus per omnia noster Ecclesiastes, ad caput sermonis sui reuertitur, thema quod initio proposuit totidem verbis replicans. Et quoniā sermonem iam iam finire parat verbisq; ponere modū, dicitur? *summatim animi sui sentē-* *Parat finem conclusionis Ecclesiastes.*

tiã, quo fidẽ sibi aſtruat, rursus ſapientiã
ſuã abundantis & multã experiẽtiã facit
mentionẽ. Et hoc ſpecialiter notat, mul-
tas ſe parabolas cõpoſuiſſe, & ſermones
ad informandos mores perutiles conſcri-
pſiſſe: ne quis fortẽ exiſtimet, eum circa
curioſa tantũ ſe occupafſe. Atq; horum
occafione ſubdit de verbis ſapientum,
quanta debeant ſuſcipi attentione ea quã
verã ſunt ſapientiã verba, contrã verò,
quanta debeant ſolicitudine vitari ſuper-
uacanea dogmata, quã ſolidã vtilitatis
nihil adferunt. Ait ergo:

*Verba ſapientum ſicut ſtimuli, & quaſi clauis
in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſiliũ
data ſunt à paſtore vno. Hiſ amplius fili mi, ne
requiras. Faciendi plures libros nullus eſt finis,
frequẽsque meditatio carnis afflictio eſt.*

*De ver-
bis ſapien-
tium nota
bile.*

Quemadmodum ſtimulis boues tardi
excitantur ad celerius pergendum, ſic pi-
gri homines ſapientum verbis, modò ex-
hortatoriis, modò obiurgatoriis, modò
cõminatoriis, excitantur ad agendum be-
ne. Digniſſimũ verò attentione eſt & alta
mente reponendum, q̃ in hunc locum ita
ſcribit diuus Hiero. Simul (inquit) & hoc
notandum eſt, quòd dicatur verba ſapien-
tum pungere, non palpare, nec molli ma-
nu attrahere laſciuiam, ſed errantibus &
tardis

*Hiero. di
Sum.*

tardis pœnitentiæ dolores & vulnus infigere, si cuius igitur sermo non pungit, sed oblectationē facit audientibus, iste nō est sermo sapiētis. Verba quippe sapientum, vt stimuli. Hæc ille: Quod autē sequitur: Et quasi clauis &c. id dupliciter intelligitur. Primū quidē, vt illa in altū defixio soliditatē firmitatēq; significet. Clauis nanq; in altū siue profundū defixi, firmi sunt & immobiles. Ita manifestē enarrat Hiero. Aliter defixio ista refertur ad intīmā affectus compun̄ctionem, vt sit sensus: Verba sapientū sic hominis cor penetrant & pungunt, vsq; ad cordis intima, sicut clauis qui defiguntur in altum. Quō enim figuntur altius, eō plus penetrāt. Atq; hunc sensum Olymp. insinuat, qui tamen iuxta veterē æditionem hoc loco legit, sicut clauis igniti. Sic enim ait: Sunt etiā verba sapientū clauis ignitis atq; candētib; similia, qui altius ac facilius, lignis insiguntur. Ita & sapientium verba theologorum, in *A* Chri-
penitissimos sinus intellectus nostri altius *sto* habent
figuntur. Vnde verō hanc vim occultāq; *verba sa-*
energiam habeant sapientum verba, & *piētū vir-*
vnde suam nacta sint auctoritatem, subse- *tutis effi-*
quenter insinuat, dum ait: Quæ per magi- *ciam.*
strorū concilium, data sunt à pastore vno,
nempe deo. Non enim (vt sanctus Petrus 2. Pet. 1.

ait) voluntate humana allata est aliquādo
Matt. 23. propheta, sed spiritu sancto inspirati lo-
 quuti sunt sancti dei homines. Et in euan-
 gelio dicitur, quoniam vnus est magister
Eccle. 1. omnium nostrum, Christus. Et iterum ali-
 bi dicitur: Omnis sapientia à domino deo
 est. Ab hoc igitur vno pastore summo, qui
 est veritas prima & regula veritatis, men-
 tiri nescia, verba sapientum procedunt, &
 per magistrorum deo inspiratorum con-
 cilium, id est, vnanimem consensum, tra-
 dita sunt: quoniam omnes veræ sapientiæ
 magistri, omnes prophetae & apostoli, tā
 veteris quàm noui testamenti, eādē at-
 testantur & confirmant veritatem: vt vi-
 deantur omnes quasi ex vno ore loqui, alij
 verò occultius pro ratione temporum. Et
 quoniam ea quæ in diuinis libris, per verę
 sapientiæ magistros, per diuinam inspira-
 tionem nobis sunt tradita, abundè ad salu-
 tem videntur sufficere: cætera verò quæ
 non ita per magistrorū concilium à deo
 sunt tradita, suspecta meritò haberi debēt
 & incerta, iccirco adiungit: His amplius
 fili mi ne requiras. Quasi dicat: Noli quis-
 quis in soliditate veritatis consistere velis
 vagari per infinita & incerta, immo no-
 xia sæpe & pestifera, secularium gentiliū
 aut hæreticorum dogmata: in quibus licet
 bland

blandiora forsitan auribus verba sis lecturus, quàm in verè sapientum libris, non tamen fructum illum salutaris compunctionis es inuenturus, quem in illis inuenis. Ob hoc & subiungit euestigio: Faciendi plures libros null' est finis. Quod de libris curiosis gētilium, vel philosophorum vel poetarum, itē & hæreticorum, intelligendum esse Hiero. & Olymp. pluribus verbis testatur. Non enim simpliciter voluit Ecclesiastes, ne quicquã adderetur iis quarum scripta erant. Alioqui, quid omnes Prophetarū libri posterius adiecti? Quid euangelia & sanctæ Apostolorum literæ, quæ multò post adiecta sunt? Neque simpliciter quorumlibet librorū multitudinem damnat. Alioqui Hieronymi, Augustini, Ambrosij, Gregorij, ac cæterorum sanctissimos labores fateri cogemur superuacaneos. Verùm horum libri, iuxta intentionem Ecclesiastis multi non sunt: neq; amplius requirit à priorum sapientum verbis, qui posteriores quoq; iisdem de rebus lucidius eloquentes libros euoluit. Cùm enim vnum doceant, nempe veritatem eandem & virtutem eandem omnes sacræ paginae, quotquot tandem videantur esse titulorum distinctionibus, verè tamen non nisi vnus liber sunt. Qui

*Faciendi
libros nul-
lus finis.*

verò relictis sacrae paginae libris, ad libros
 se confert gentilium Poetarum, quorum
 alius hæc, alius illa fragmenta componit:
 Philosophorum, quorum alius hoc tuetur
 alius impugnat, alius afferit, alius negat:
 item & hæreticorum, qui diuersos diuer-
 si cōmentātur errores, hic verè dicitur re-
 quirere amplius ab illis quæ tradita sunt
 per magistrorum concilium, ab vno pasto-
 re, & hi verè in libris multis versantur.
 Mendacium nanq; & vanitas, ad veritatis
 doctrinam & libros non pertinent: neque
 possunt mendacium & vanitas, quæ isti do-
 cent ad veritatem reduci, sicut ad vnam
 primam veritatem reducitur omnis veri-
 tas. Ad eadem quoque debet referri quod
 sequitur: Et frequens meditatio, carnis af-
 flictio est: frequēs nanque meditatio cir-
 ca hæc multa, vana, curiosa incerta, & fal-
 sa aut suspecta nihil aliud est quàm vexa-
 tio carnis, quæ tali curiosa inuestigatione
 maceratur & atteritur, cæterum spiritus
 ipse nullam ex hac meditatione habet cō-
 solationem. At verò iugis meditatio circa
 vñ illud, quod dominus aiebat esse ne-
 cessarium, circa verba illa sapiētum à deo
 data, nō carnis est afflictio, sed potius mē-
 tis impinguatō & exultatio. Beatus enim
 vir qui in lege domini meditabitur die

Luc. 10.

Psal. 1.

ac nocte, & erit ille tanquàm lignum plātatum secus decursus aquarum.

Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time, & mandata eius observa. Hoc est omnis homo. Cuncta quæ sunt adducet deus in iudiciū, pro omni errato siue bonū siue malū sit.

Ad audiendū libri conclusionē omnes exhortatur, dicens: Finem loquendi pariter omnes audiamus, indicans, ad omnes *Timēdus est deus.* pertinere quod dicturus est: Deū (inquit) time & c. Vbi partis posterioris adiectio indicat, eum in priore nō de seruili, sed de filiali timore loqui. Qui enim timet serui *Mat. 20* li tantū timore, mandata dei non obser *1. Ioan. 4.* uat, in quibus ante omnia præcipitur diligere deus ex toto corde, ex tota anima. Timor autem non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, hoc est, inquit omnis homo. Hoc, nempe deum timere eiūsque mandata obseruare, est omnis homo, id est cuiuslibet hominis est officium, hoc omnes respicit, tangit omnes, omnes obligat, neq; ab hac lege quæquam eximitur. Et quicquid ad hunc scopum hominem adiuuat, id acceptandum est, quicquid verò ab eo auocat vel impedit, refutandum. Vnde meritò verba sapiētum audienda sunt, quæ ad mandatorū dei obseruationem sollicitè torpentes excitant. Ceter

terorum autem dogmatum & librorum
 gentilium inutilis illa multitudo, quæ po-
 tius à deo mentes hominū auocat, omni
Ad iudi- iure reiiciēda & abominanda. Subiungit
cium cun- deinde memoriā iudicij extremi, ad quod
Et deduc- omnium humanarum actionū deducenda
centur no est discussio. Cuncta (inquit) quæ fiunt in
biscum. hoc tempore meriti atque demeriti, addu-
 cet deus in iudiciū, vnā videlicet nobiscū:
 quoniā & omnes nos oportet manifestari
 ante ipsius tribunal, & simul nobiscum ap-
 parebunt opera nostra per deum illumina-
 torem, quemadmodum pulchrè de hoc
 ait Apostolus: Nolite inuicē iudicare, do-
 nec veniat dominus qui, & illuminabit
 Rom. 14. abscondita tenebrarū, & manifestabit con-
 I. Cor. 4. filia cordiū, & tūc laus erit vnicuiq; à deo.
 Apo. 20. Item in Apoc. sedente domino super thro-
 num magnū & candidum, resurgunt mor-
 tui ex terra & mari: & deinde singulorum
 aperiuntur libri. id est, opera reuelātur &
 patefiunt conscientiæ. Vnde signāter dici-
 tur: Adducet ea deus in iudiciū. Per ipsum
 nanque illuminatorē cordiū patefiēt om-
 nia. Adducet, inquit, omnia ad iudiciū di-
 scussionis, vt examinētur opera nostra, bo-
 na sint an mala. Pro omni errato, videli-
 cet puniēdo, vt omne malū quod illic de-
 prehensum fuerit accipiat debitā remune-
 rati

rationem. Siue bonum siue malum sit, ad caput refertur sermonis, hoc modo: Cūcta quæ fiunt deus adducet in iudiciū, siue bonum sit siue malum quod feceris. Ac quæ enim & bona & mala opera illic discutietur: bona, quidem, vt bonum reddatur præmium, mala verò ad malum. Hac sententia tam graui, tam fideli tam vtili, tam attentione dignissima, sapienter sapientissimus Ecclesiastes concionem suam existimauit concludendam: vt vel hinc patentissimè videant omnes si quæ in prioribus capit. forsitam leuius dicta videantur, quasi *Nota vi.* ad exhortationē voluptatum seculi huius, *gilãter se-* ea non ex ipsius animo ad eum sensum sic *riã libri* esse proposita, sed vel ex aliorū assumpta *conclusio-* persona, vel ex sua sententiã secundū *rectæ nem.* moderamen intelligentiæ. Certè finis iste concionis, qui mortis memoriã tam multis tamq; meditati cõparationibus nobis ponit ante oculos, sapientum pungentia verba sola commēdat, timorē dei suadet, & iudicium nouissimum ante oculos statuit, hominis non est ex animo ad voluptatem & carnis lasciuiã exhortantis, sed legētis animū ad virtutem & probitatem formare cupientis, quam profectò in hoc libro efficaciter admodum commēdatam inueniet, qui mente attēta & corde deuo-

eo illum studiosè perlegerit, ipso vno omnium primo magistro & pastore interius operante, qui cū patre & filio. s. viuit, & regnat de^o vnus, sol^o viu^o & verus. &c. Amē.

ANNOTATIONES IN
caput duodecesimum.



Ntequam veniat tempus afflictionis. in Heb. Vsq̄uequo non veniant dies mali, & accedant anni quibus dicas, non est mihi in eis voluntas siue voluptas. Sententia nihil differt à nostra lectione. Sic & in eo quod sequitur: Et otiosè erūt molentes in minuto numero. Hebraica lectio in eundem sensum habet: Et cessabunt molētes, eo quòd imminutæ sint. Et obsurdescent omnes filix carminis. In Heb. est: Humiliabūtur omnes filix carminis vel cantionis. Ita poterimus per filias carminis intelligere cantatrices cationibus deditas, quæ humiliātur apud senes iam moriētes, quoniam nullam illis attentionē præbent auditus: quemadmodū ex aduerso rectè dicuntur hæ filix cantionū exaltari apud adolescentes, qui sibi aurē præbēt & in eiusmodi plurimū oblectātur. Excelsa quoque timebūt. In Heb. est: etiam ab excelsa timebunt. Vnde notū fit, in nostra lectione nomē excelsa in casu accusatiuo esse accipiendum

dum, non in nominatio plurali. Impinguabitur locusta. Alij vertunt: Grauiabitur vel increffabitur dorſū, vel onerabitur ſpina dorſi. Item & in eo quod ſequitur: Diſſipabitur capparis: Alij vertunt, Peribit libido. Alij, Peribit appetitus. Diſtio enim Hebraica (quemadmodū & Hier. annotauit) ambigua eſt ſignificationis, interpretaturque amor, deſideriū, concupiſcentia, libido, vel capparis. Antequā recurrat vitæ aurea. Alij vertūt: Antequā deficiat fons aureus: alij, flos aureus: alij, circulus aureus: alij, lenticula aurea. Et reuertatur puluis in terrā ſuam. In Heb. ad verbum ſic legitur: Reuertatur puluis in terrā: ſecundum quod fuit ſupple à principio antequam in corpus hominis fuiſſet formatus. Verba ſapientum, &c. Particula illa, in altū, non habetur in Heb. ſed adiecta eſt ad clarius exprimēdum illam deſixionē. Illud quoque quod ſequitur. Quæ per magiſtrorum conciliū data ſunt à paſtore vno, variè vertitur: Quidam ſic vertunt. Quæ per magiſtros congregationis ſiue communitatis data ſunt à paſtore vno. Idque ferè in ſententiam ſuprapoſitam recurrit. Magiſtri enim cōgregationis ſanctæ dei, ſunt Prophetæ, Apoſtoli, ceterique ſancti doctores à deo inſpirati, vt eccleſiam doceant. Alij
 ſic

fic vertunt. Quæ habent collectiones vel cœtus, data à pastore vno. Antiqua æditio sic habet: Sicut clavi igniti, qui à compositionibus dati sunt, vel quæ verba à compositionibus data sunt, quod ad nostrã sententiã facilè accomodatur, intelligẽdo ex cõpositionibus magistrorũ sanctorũ. Finẽ loquẽdi pariter omnes audiamus. In Heb. est: Finis verbi totius audiendus est. In antiqua æditione legitur: Finis sermonis verbi vniuersi, auditu perfacilis est. In eo quoque quod sequitur: Pro omni errato, alij vertunt, de omni abscondito vel de omni ignorato. Vt indicetur, de iis etiã quæ in occulto gesta sunt & nobis forsitan exciderunt à memoria, rationem esse reddendam coram tribunali iusti iudicis, Christi Iesu domini nostri, cui est cum patre & spiritusanto gloria æterna. Amen.

*FINIS ANNOTATIONVM
ex Hebraica veritate & antiqua æditione
quæ dicitur septuaginta interpretum,
per fratrem Franciscum Titel-
mannum Hassellensem. Deo
semper & vbique glo-
ria. Vna vni. Vn
de eo om-
nis.*



